Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/historiadoctrina0000drea

HISTORIA

DOCTRINAE CATHOLICAE

INTER ARMENOS

HISTORIA

DOCTRINAE CATHOLICAE

INTER ARMENOS

UNIONISQUE EORUM

CUM ECCLESIA ROMANA

IN

CONCILIO FLORENTINO

AUCTORE

D^RE ALEXANDRO BALGY

ARCHIEPISCOPO ACRIDENSI EX CONG. MECHITH. VIENNENSI
S. C. DE PR. FIDE CONSULTORE

ALMA COLLEGE
275.954
LIBRARY
B198
Alma, California

VIENNAE
TYPIS CONGR. MECHITHARISTICAE (W. HEINRICH).
1878.

PRINTED IN GERMANY

MAGNO. ARMENORUM. ANTISTITI.

APOSTOLO. ILLUMINATORI.

MARTYRI. INVICTISSIMO.

GREGORIO. PARENTI. OPTIMO.

PATRONO. CAELESTI.

Vulgaturus in bonum ac profectum praesertim Gentis Nostrae tenuem hanc opellam, quemnam Patronum potiori jure deligerem quam Te fidei nostrae Restitutorem, Patrem, Amplificatorem? Tu enim a Deo vocatus ac missus ut opus ab Apostolis eorumque discipulis inchoatum instaurares atque absolveres. Armeniae populos a daemonum ac peccatorum servitute ad libertatem filiorum Dei, a densissimis ignorantiae tenebris ad mirabile lumen Evangelii perduxisti, innumeris, diuturnis dirissimisque suppliciis incredibili animi fortitudine

toleratis. Etenim augustissimum vivificae Trinitatis Mysterium, naturali sapientiae cujusvis creaturae prorsus inaccessum per Te nostris mentibus illuxit. Tu nos docuisti aliud Mysterium absconditum a saeculis in Deo, *JESUM CHRISTUM* verum Deum verumque hominem, qui secundum divitias misericordiae Suae nos perditos, alienatos a vita Dei, regeneravit in spem vivam, fuso sanguine Suo. Tu docuisti nos, sicut unum vocare Patrem Deum, ita unam vocare Matrem Sanctam, Catholicam, Apostolicam Ecclesiam, unicam Jesu Christi *Sponsam*, unicum ejus *Corpus*, unicum Ejus *Ovile*, unicum Ejus *Regnum*, unicam Ejus *Domum*, extra quam nulla datur salus, quum ipsa sit *columna et firmamentum veritatis*.[1]) A te pariter didicimus, hujus Sponsae vice Christi in terris Sponsum visibilem, hujus Corporis item visibile Caput, hujus

[1]) S. Greg. Illuminator in Agathangelo.

Domus Rectorem, hujus Ovilis Pastorem, hujus Regni Clavigerum, esse Romanum Pontificem, B. Petri in Apostolico Principatu Successorem, cujus supremum inerrans Magisterium oratione ac promissis Christi Domini suffultum orbem illuminat et confirmat, portisque inferi usque ad consummationem saeculi resistit, ne praevaleant adversum Ecclesiam.

Itaque Tu, Pater Optime, ne *in vacuum curreres aut cucurrisses*, venisti Romam *videre Petrum*, Romanum Pontificem ut quos Christo pepereras filios, ei in Temetipso sisteres, eorumque nomine immutabilem fidelitatem et obedientiam Ejus legibus ac decretis profitereris. Quamdiu Armeni hisce Tuis institutionibus conformem vitam duxerunt, fueruntque *solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis, unum corpus, et unus spiritus*, etiam a barbaris vexati et inter politicas perturbationes, *ambularunt ut*

filii Lucis edentes *fructus* lucis uberrimos et praeclaros *in omni bonitate et justitia et veritate*, dum e contra a Romanorum Praesulum imperio recesserunt ab Ecclesia, a Christo, a Deo ipso separati inaruerunt sicut arbor maledicto perculsa, sicut palmes a vite divulsus.

Id quidem satis percipi potest ex lectione hujus libri, quem Tibi, Sanctissime Praesul, Martyr fortissime, ceu munusculum amantis, grati devotique animi mei pignus qualemcumque offero enixe deprecans, ut sub Tuis auspiciis accipias, tuearis meque ipsum clientem, filiumque Tuum benidicas, Tuoque favore ac benevolentia prosequare.

Romae, MDCCCLXXVII.

Recurrente festo die ab inventis Tuis sacris reliquiis.

Alex. Balgy,

ARCHIEPISCOP. ACRIDENSIS.

PRAEFATIO.

Ecclesiae Armenae quo vetustiores origines, eo minus comperta est historia non solis Europaeis, sed vel ipsis Armenis.

Futurus videbatur labor non poenitendus, immo potius ob necessitudinem cum historia generali Ecclesiae Catholicae nedum utilis, sed necessarius, si quis animo prorsus a praejudiciis vacuo pervestiganda, atque in majorem lucem ponenda susceperit exordia, et eventus illius peculiaris Ecclesiae, in qua plura, nec exigui valoris memorabilia occurrunt ad ipsa Christinae rei initia pertinentia.

Haec mecum diu repetens, me tandem ad hujusmodi laborem contuli, atque inquirere coepi omni qua fieri potuit diligentia veritatem factorum, quae fundationem respiciunt Armenae Ecclesiae et cum ipso aevo Apostolico nectuntur: tum evolutionem, et incrementum Christianae fidei, variasque phases doctrinae Catholicae duodeviginti saeculis decurrentibus; quaeque pedetentim per plures annos persecutus eram hocce commentariolo perstrinxi, quod „Historia doctrinae catholicae inter Armenos“ inscriptum, Armeno, et latino idiomate separatim edidi, ut nostratibus,

et exteris aeque usui esse possit: gratiasque maximas ago uni ex sodalibus Ordinis S. Camilli, qui praesentem versionem adornavit.

Utrum proposito meo, aliorumque desiderio fecerim satis, lectorum esto judicium; illud sancte profiteor, nihil me hasce paginas qualescumque scribentem veritate antiquius habuisse: atque idcirco ut dictorum veritas undequaque comprobaretur necessarium existimavi Appendices subjungere, quibus exhiberem ipsa documenta authentica, acta nempe Synodorum a Patriarchis Armenis diversis temporibus coactarum, in iisque confectos canones. aliaque id genus summi ponderis monumenta complura, quae ipse propriis oculis, itineribus etiam initis diligenter contuli, et magna ex parte hactenus inedita publici juris feci.

Utinam hae meae paginulae Dei favore subnixae cedant in ejusdem Dei maximam gloriam, in exaltationem S. Matris Ecclesiae, et Armenos praesertim vel catholicos in vera fide confirment, vel devios ad unitatem revocent, cujus Christus Dominus arcem, et fundamentum in Petri sede constituit.

INDEX.

I.

Christianae Religionis in Armenia origo, et propagatio 1

II.

Altera, eaque totalis Armenorum ab Ethnica superstitione conversio, et Ecclesiasticae hierarchiae in Armenia institutio . 6

III.

Fides catholica in Armenia integra servatur 9

IV.

Armenorum a Synodo Chalcedonesi, fideique doctrina de duplici in Christo natura recessio 18

V.

Varia, et instabilis conditio in Armenia 25

VI.

Fides ac doctrina Catholica in Armenia restituitur et confirmatur . 28

VII.

Continuatio nunquam interrupta unionis Armenorum cum S. Sede Apostolica 62

VIII.

Status rei religiosae in Armenia barbarorum potestati subjecta . . 77

IX.

Armeni ad Concilium Oecumenicum Florentinum se conferunt, eique intersunt 88

X.

Effectus Concilii Oecumenici Florentini quoad Armenos 156

XI.

Emancipatio Ecclesiae Armenae Catholicae, ejusdemque in Imperio Turcarum Hierarchica institutio 189

Conclusio 198

APPENDICES.

Appendix I.

Canones S. Isaac Patriarchae (426) 203

Appendix II.

Canones Synodi Dovinensis (719) 208

Appendix III.

Canones Synodi Siracavanensis (862) 217

Appendix IV.

Theoriani Orthodoxi cum Catholico Armenorum Colloquium, Imperatorum Diploma, missum ad reverendissimum et religiosissimum Generalem Armenorum: (6678) 220

Appendix V.

Theoriani Disputatio secunda cum Nersete Patriarcha. Armenorum . 259

Appendix VI.

Propositiones Graecorum, quas postulant a nobis (Armenis) ad pacem conciliandam: et juxta illas resolutiones appositas 286

Appendix VII.

Epistola Canonica Constantini I. Patriarchae, Canones Synodi Sisensis (1243) 294

Appendix VIII.

Constitutio Concilii Generalis Sisensis Armenorum jussu Domini Gregorii Patriarchae, et Leonis Armeniae Regis ad uniendam Armenam Ecclesiam cum Romana, coacti anno Domini MCCCVII, et Armenorum DCCLVI. 301

Appendix IX.

Constitutio Concilii Adanensis Armenorum, jussu Constantini Patriarchae, et Osini Regis Armeniae propter unionem Armenorum cum Ecclesia Romana 313

Appendix X.

Mandatum Oratorum Armenorum 336

Appendix XI.

Professio fidei Azariae Patriarchae (1585) 339

Appendix XII.

Pius Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. *Reversurus ex hoc mundo* etc. 354

Appendix XIII.

Decretum Apostolicum — *Sanctissimus Salvator* 365

Appendix XIV.

De SS. Reliquiis S. Gregorii Illuminatoris Notitiae historicae . . 370

HISTORIA
DOCTRINAE CATHOLICAE INTER ARMENOS
UNIONISQUE EORUM CUM ECCLESIA ROMANA
IN CONCILIO FLORENTINO.

I.

Christianae Religionis in Armenia origo, et propagatio.

Inter dotes ac praerogativas, quibus fulget catholica Ecclesia, eminet profecto unitas, quam Christus tantam esse voluit, ut eam ex unitate Divina tamquam exemplari deducere atque exprimere non dubitaverit. „Rogo . . . ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint . . . ut sint consummati in unum". Joan. XVII. 20—23. Hinc Ecclesia Catholica nihil unquam potius habuit, quam ut inter fideles concordiae, charitatisque vinculum servaretur, atque in asperrimis licet adjunctis (gravissimis laboribus, molestiisque toleratis), omni cura et ope enixa est, ut vel illam nutantem fulciret, vel collapsam restitueret. Hujusce rei exempla quam plurima ex historia ecclesiastica peti possunt; sed ceteris praetermissis, satis erit animum advertere ad vere maternam constantemque sollicitudinem, quam S. Petri Sedes perpetuo ostendit, ad continendos in catholica unitate Graecos, reliquosque Orientis fideles;

quantumque adlaboraverit, ut eos foedissime Caerularii schismate dilaceratos ad pristinam unitatem revocaret, perspectum habemus. Concilium Oecumenicum Florentinum aeternum extat hujus sollicitudinis monumentum. In eo siquidem de unitate Ecclesiae instauranda praecipue actum est: ac disjecto cum maxima omnium laetitia divisionis pariete, et Orientalibus ad Apostolicae sedis centrum remeantibus, optatissima unitas Fidei, charitatis ac sacramentorum in unico Jesu Christi ovili innovata ac sancita fuit. In eo opere Spiritus Sancti virtus eluxit, cujus impulsu, et assistentia factum est, ut „Unum esset Ovile, et unus Pastor." Merito igitur immortalis Pontifex Eugenius IV., ipsa jam unione cum Graecis peracta, praegaudio gestiens exclamabat: „Laetentur coeli, et exultet terra: sublatus est enim de medio paries, qui occidentalem, orientalemque dividebat Ecclesiam, et pax atque concordia rediit".

Supererat autem in orientis regionibus alius grex, et ipse a castris aberrans, quem Romana Ecclesia vigili prosequebatur affectu. Eugenius IV. eum proprio nomine vocavit: Armenique dissidentes Summi Pastoris vocibus obtemperando, ad salutis pascua remigrarunt: quapropter Summus Pontifex voti compos, perfecta jam unitate, exundantem animo laetitiam his promebat vocibus. „Exultate in Deo . . . Ecce Dominus optatissimam Armenorum unionem sua ineffabili misericordia concessit."

Hanc unionem optatissimam vocat Pontifex, multis sane de causis, quae portionem illam Dominici gregis ad Ecclesiae Romanae omnium Matris ac Magistrae sinum revocabant. Revera Armenorum gens inter alia Divinae Providentiae munera, illud privilegii loco sibi merito vendicat, quod Regi Regum ac Domino Dominantium Jesu Christo, adhuc in terris

versanti, ac coelestem Doctrinam praedicanti, tamquam opima spolia obtulerit, dum Illi Regem obtulit, qui suavissimo ejus jugo coronatum caput inflecteret. Ut enim a veteribus accipimus conversio Abagari Regis Edessenorum, auditione miraculorum Christi Domini inchoata, post Ejus passionem absoluta fuit ministerio S. Thaddaei ex septuaginta Christi discipulis, qui speciali missione accepta Edessam petiit, eumque cum uxore Helena, et Sanduchta puella sacro regenerationis fonte purgavit.

Vadem damus Eusebium Caesareensem, cujus hic juverit verba exscribere. „Domini ac Salvatoris nostri Jesu Christi divinitas, cum propter admiranda illius opera ubique jam celebris esset, innumerabiles ab externis et a Judaea remotissimis regionibus, morbis, et cujusquemodi doloribus afflictos, spe reparandae salutis attraxerat. Itaque Rex Abagarus, qui gentibus trans Euphratem positis non sine laude praecerat, gravi morbo, et qui humana ope curari non poterat, cum consumeretur, simul atque de Jesu nomine ubique diffuso, ac de stupendis ejus miraculis, quae omnium testimonio firmabantur, accepit, missis per tabellarium litteris [1]), supplex Eum rogavit, ut se a morbo liberaret. At ille tum quidem vocanti minime est obsecutus. Litteras tamen ad eum scribere non recusavit, quibus unum e discipulis suis, qui ipsum sanaret, se missurum esse pollicebatur, neque ipsi solum, sed ejus propinquis, et familiaribus salutem praestiturum. Nec multo post ad exitum perducta sunt, quaecumque ei promissa fuerunt. Nam post Resurrectionem Christi ejusque ad coelos ascensum, Thomas unus ex duodecim Apostolis, divino quodam impetu impulsus, Thaddaeum unum ex septuaginta Christi discipulis Edessam misit, ut Christi doctrinam illis gentibus nuntiaret. . . . Cujus quidem rei testimonium habemus ex ipsius Edessae, in qua regnabat Abagarus, tabulariis desumptum, Lib. XIII.

1) Conferenda haec sunt cum Joan. XII. 20—23. „Erant autem quidam gentiles ex his, qui ascenderant, ut adorarent in die festo. Hi ergo accesserunt ad Philippum. . . et rogabant eum dicentes: Domine volumus Jesum videre.“

Nostri instituti non est ad trutinam revocare authenticitatem epistolaris commercii, inter Christum et Abagarum per manum alicujus ex discipulis habiti, prout animadvertit Moyses Chorenensis, rerum Armenarum scriptor saeculi V. (Historia Armen. Lib. II. c. 37); ejus tamen documenta in Tabulariis Edessenae Civitatis existentia citantur ab Eusebio, (loc. cit.), — a S. Ephrem in Testamento (Bolland. Febr. I. 62), — et veluti germana defenduntur a Tillemontio (Mém. d'hist. ecclésiast.), — a Welte Theutono (Quartalschrift, Tübingen 1842. p. 235) — ab Anglis Historiae universalis Scriptoribus (Tom. IX.), — et a Bollandistis etiam recipiuntur (loc. cit.).

Conversio Abagari cum suis, plurimisque Edessae incolis, est factum historicum, quod saniori criticorum parti habetur exploratissimum. Ecclesia Armena inter Sanctos veneratur Abagarum et Sanduchtam una cum S. Martyre Addeo, qui primus Edessenorum Episcopus a S. Thaddaeo ordinatus fuerat, quo tempore S. Bartholomaeus coelestem doctrinam inter populos superioris Armeniae magno cum fructu disseminabat. Verum quidem est Sanatrucem filium Abagari, in idololatriam relapsum, persecutionem in Christianos commovisse; at fidem ab Apostolis satam convellere e sua ditione non potuit; hinc tertio christiani nominis saeculo adhuc in urbibus Amidensi, Nisibena et Cascarensi publica templa visebantur. Per idem tempus S. Dionysius Alexandrinus cum Merugeno Armenorum Episcopo [1]) de lapsis in persecutione, qui ad saniorem mentem redierant, per epistolas egit: cujus rei testem habemus Eusebium (H. E. Lib. IX. c. 8). „Qui (Armeni) cum Christiani ipsi quoque essent, et divinae Religionis studiosissimi, Deo invisus tyrannus

[1]) Orsi, Storia Eccl. Tom. V. 353. Ed. Venet.

(Maximinus) eos ad simulacrorum, ac daemonum cultum traducere per vim conatus, etc."

Est vero res notatu dignissima, necessitudo Armenae Ecclesiae cum Romana in prima Fidei susceptione, quod nimirum opera et concursu Romanorum advenarum, christiana religio in Armenia floruerit, et profecerit. Etenim sub initium secundi saeculi, Sanatruce regnante, invenimus fideles Romanos evangelicae perfectionis studio in Armeniam appulsos, ut ibi liberius propriae saluti procurandae incumberent, atque in ea regione, quam patriae loco sponte selegerant, christianae religionis instituta verbo et exemplo propagarent. Erant ex his quinque Presbyteri Osceani, qui etiam Armeniam sanguine pro fide effuso rigarunt, eorumque, in Ecclesia Armena, festiva recordatio quotannis celebratur.

At vero, ex Armeniae oris, Christiani Romanam peregrinationem suscipiebant Beatorum Principum Apostolorum Petri et Pauli sepulchra veneraturi, ut ita Romanae fidei speciem suis oculis usurpantes, communis Religionis vinculis firmius obstringerentur. Evidens hujus rei praeclarumque monumentum extat inscriptio pertinens ad an. 381, sepulchro affixa conjugum christianorum Quintilli et Yperechiae [1] Cappadocum, Illuminatoris concivium, qui ob egregiam pietatem, omnium in se oculos amoremque pertraxerunt.

Vulgationem hujus monumenti hucusque in Musaeo Vaticano asservati acceptam referimus V. E. Commendatori de Rubeis, — Inscriptiones Christian. Tom. I. p. 155 n. 355, ubi sequens legitur epigraphus.

1) Yperechiae nomen Armenis usitatum constat ex Martyrologio Armeno, in quo Martyrium Hyperichianum sub Imperatore Maximiano consignatum legimus.

A. ☧ Ω.

CIVEM ARMENIACVM CAPPADOCEM
NOMINE QVIRILLVS PIVS OMNI
BVS AMICATVS VIXIT ANNOS
P'. M'. LXX PRAECESSIT AD PACEM
VI ID MARTS. POST CONSS RICO
MERE ET CLEARCO DIE LVNAE
BISOMV CVM YPERECHIAM COMPAREM

II.

Altera, eaque totalis Armenorum ab Ethnica superstitione conversio, et Ecclesiasticae hierarchiae in Armenia institutio.

Alteri propagationi Fidei christianae in Armenia, opera S. Gregorii Illuminatoris exeunte saeculo tertio, et quarto ineunte effectae, longe ante praeluxerunt Virgines christianae numero triginta sex, quae cum Romano essent genere, Ripsimianae [1]) Cajanaeque dictae sunt, a Ripsima inter eas virtute praestantissima, ejusque institutrice Cajana; quae omnes ut Virginitatem Coelesti Sponso illibatam servarent, Caesariano gladio compulsae in Armeniam se receperunt, virginitatis fideique vexillum in his terris extulerunt, earumque germina foecundarunt proprio cruore pro Christo prope Valarsapatam Armeniae metropolim, quae nunc est Ecimiazin. Harum Virginum beatae passionis narratio lectorem erigit, sancteque delectat; earumque memoriam omnis Armenorum natio etiamnum religiosissime colit. S. vero Gregorius Illuminator, tanto erga easdam aestuabat devotionis affectu, ut loca, ubi Martyrium subierant, templa Deo dedicaverit, sub earumque beatissimis auspiciis munus suum Apostolicum et Armenorum conversionem collocaverit.

[1]) Moys. Choren. Hist. Arm. Lib. II. C. LXXXVI, XCI.
Martyrologium Romanum, ad diem XXIX Septemb. = Lazarus Pharpensis, Hist. Ed. Veneta Armena: 1793. p. 10.

Ecclesia Armena in harum Virginum anniversaria festivitate, solemni praeconio earum mirabilia gesta exornat, dum ita in horis Nocturnis canit:

„Virgines patria, et genere mirabiles,
Negotiatrices magnanimae, absconditae margaritae,
Sese sponsionem pro multis dederunt,
Regionem et regnum incognitum redemerunt.

Ripsimis mysterium magnum, et nomen pretiosum,
Electa in terris, et Angelis Sociata,
Tu sanctitatis exemplar Virginibus fuisti,
Tu hominibus justis Magistra.

Jubente Domino, et aspirante coelesti Numine
Ab occidente in Orientem Ripsimianae venerunt,
Et castitatis splendore, et angelica vita
Idololatriae tenebras dissiparunt."

Breviar. Armen.

Idem Gregorius a prima juventute christianis virtutibus, ac disciplinis imbutus, Magni Basilii, et utriusque Gregorii Nazianzeni, inquam, et Nysseni Caesareae Cappadociae magisterio usus, ac deinde ab Occidentalibus et fortasse in ipsa Roma Catholicae Ecclesiae mores edoctus, Apostolatum gessit, cujus indoles utriusque Ecclesiae spiritum referebat. [1])

Fides igitur, quam ipse praedicaverat populis longe lateque inter Caspium et Ponticum mare, Caucasum Taurumque interjectis, erat fides Catholica Romana, quam quisque luculentissime perspicere potest ex ejus catecheticis homeliis quae adhuc supersunt. [2])

1) Moys. Chorenens. Hist. Arm. Lib. II. C.LXXX. Venet. 1841. = „Gregorio se ne andò a Tiridate (in occidente), per soddisfare al debito del padre suo, o più veramente per esercitare l'opera del suo apostolato nel paese nostro, l'opera sua di sacerdote e di martire." Confer. Elisaeus Hist. Vard. Ed. Ven. 1828. p. 123. — Conf. S. Joh. Chrysost. in S. Illuminat.

2) Agathangelus in Hist. Arm.

Quin ut Romanae Ecclesiae Armeni fideles ceu membrum capiti copularentur, ipse Gregorius Illuminator ad B. Petri successorem iter aggressus comite ipso Tiridate rege neophyto plebem nuper Christo acquisitam ipsi exhibuit [1]), ut fieret „unum ovile et unus Pastor.“ Haec omnia constant ex antiquissima, et jugi traditione testibus coaevis, vel fere coaevis innixa, et a S. Gregorii aevo ad nos usque deducta.

A summo Pontifice Silvestro peculiaribus benevolentiae signis exceptus, atque extraordinariis facultatibus auctus ad Ecclesiae Armenae sinum remeavit. Ecclesia itaque Armena, supra inconcussum Petri fundamentum aedificata adeo catholicae doctrinae tenaciter inhaerebat, ut eam Arianae haereseos saevissimus impetus, omnia undique vastans, nullo pacto subvertere, vel commovere potuerit: atque in vivis adhuc agente M. Gregorio Illuminatore, dum illa pestis in excidium serperet christiani gregis, nullum quo se Armenis obtruderet aditum reperit. Gregorius Sacrosancti Nicaeni Concilii decreta, et Symbolum obsequentissime amplexatus promulgavit, nonnullis additis articulis, queis Nicaenae sanctiones munirentur, illustriores fierent, quae gregis sui incolumitati consulerent. [2]) Nostris etiam diebus consuetudo ab eodem M. Apostolo inducta solemnis est, ut in Mysteriorum celebratione, symboli recitatione completa, haec pericopes ad majorem vim et perspicuitatem subjungatur: „Nos itaque glorificamus Eum, qui erat ante omnia saecula, adorantes SS. Trinitatem, et unicam Divinitatem Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, nunc, etc.“

[1]) Idem. Histor. Arm. Conf. Faust. Byzant. auct. saec. IV. Hist. Arm. Lib. III. C. XXI. Elisaeus, Hist. Vard. p. 124. Conf. S. Joh. Chrysost in S. Illuminat.

[2]) Corenese, Storia Armena, Lib. II. c. XC. — Id apprime confirmat Agathangelus, loc. cit.

Supra hujusmodi fundamentum S. Gregorius constituit Ecclesiam, quam ipse nuper excitaverat: sed formalis hierarchiae, ritusque proprii, et peculiaris institutio initium habuit saeculo V. aetate nempe Interpretum: et etiamtum successores S. Illuminatoris, ejus exemplum secuti, consecrationem recipiebant ab Exarcha Caesareae Cappadocis.

III.

Fides catholica in Armenia integra servatur.

Postquam vero S. Illuminator ad coelites volavit, qui ei in Ecclesiae Armenae regimine successerunt, haud minus pro illius fide tuenda, atque augenda adlaborarunt. Enimvero, vix Macedoniana haeresi oborta, Armeni Praesules pro Divinitate Spiritus Sancti steterunt; ac contagioni gliscenti, ne fides sibi credita pollueretur, invicti pectoris robur opposuerunt. Fidei conservandae ipsorum vigilantiam, ac impensissimum studium demonstrat anathematis formula, recitationi Symboli ex eo tempore subnexa: „Qui autem dicunt, aliquando Filium non extitisse, et aliquando non extitisse Spiritum Sanctum, seu ex nihilo factos esse, aut diversae substantiae dicunt esse Filium Dei vel Spiritum Sanctum, seu esse mutabiles, aut alterabiles, illos qui haec dicunt Catholica et Apostolica Ecclesia anathematizat.“ Pari ratione Armeni Episcopi ingruentem Nestorianam et Eutychianam haeresim junctis viribus retuderunt, ut nil pejus Armenorum pietas detestetur ac perhorrescat. Dogmaticis sanctionibus in Ephesina Synodo editis de unitate Divinae hypostaseos ac de duplici in Christo natura Armeni omnes plenissima fide acquieverunt, et Beatissimam Virginem prout in eo Concilio statutum fuerat *Θεοτόκον* id est Deiparam salutarunt. Vetustissima, et per idem fortasse tempus inserta est divinis officiis, ac trisagio subjecta Antiphona, quae ita canit:

„Gloriosa et benedicta Sancta semper Virgo Deipara Maria, Christi Mater, affer preces nostras Filio tuo et Deo nostro."

Ecquis non jucundo ac pergrato aliquo sensu afficiatur memoria repetens felicissima illa, ac vere aurea Ecclesiae Armenae tempora, quibus Majores nostri adeo fidei vigore pollebant, ut illis merito Apostoli gratulatio aptari posset „Fides vestra annuntiatur in universo mundo?" — Hac fidei opinione quae de nostris hominibus late increbuerat permotus Sanctus Proclus Constantinopolitanus litteras misit ad S. Isaacum Patriarcham et ad Armenum Episcopatum, quoad questionem de tribus capitulis, deque eorum auctoribus, quae ea tempestate magna animorum contentione agitabatur. S. Patriarcha coacta (an. 435) apud Astisatam Synodo suorum Episcoporum, clerique Armeni, omnium rescripsit nomine. Non abs re erit, illius Synodicae epistolae fragmentum exscribere, in quo et nefarias Mopsuesteni qualitates graphice descriptas videas, et S. Patriarcham illius erroribus atque haereticae pravitati obnitentem. „Pestifer homo, magis autem fera, hominis habens formam diabolicam, mentito nomine Theodorus, qui schema et nomen Episcopi habuit, in angulo et ignobili loco orbis terrarum latitans, in Mopsuesteno secundae Ciliciae vili oppido, vere quidem et principaliter a Paulo Samosateno descendens, licet Photino, et ceteris haeresiarchis in libro de Incarnatione Domini nostri Jesu Christi in toto suo proposito ipsis verbis inveniatur usus, et si quid pejus. Iste per machinationem et audaciam et errorem diaboli volebat omnes homines acuta sua sicut colubri lingua, et veneno quod sub lingua aspidis est, deperire. Et interim quidem retinebatur suo latibulo, timens potestatem eorum, qui a Magno Deo et Salvatore nostro

Jesu Christo acceperunt calcare supra colubros et scorpios et omnes vires inimici, dico autem sanctos apostolos, et qui consequenter ab his susceperunt, martyres, et confessores, et episcopos, et ceteros Sanctos. Invento autem, nescio quomodo, tempore coepit repere, et extra fines suos, fiduciam gerens in paroecia ad eum non pertinente tamquam eruditus sermocinator, in Antiochia Syriae in Ecclesia alloquens sic dixit; *Homo Jesus* etc. Atque hic insanas recensens Theodori propositiones, Armenus Patriarcha prosequitur: „Misertus autem Deus Ecclesiae, suscitavit multos contra eum, in quibus et humiles constituti, nihil praetermisimus usque ad mortem pro veritate certantes, sicut et in nostris contra Theodorum et scripta ejus libellis ad Alexandrinum religiosissimum Episcopum Cyrillum diximus, et in his quae ad vestram dicimus Beatitudinem; et petimus postquam isti perlecti fuerint, et illos perlegere, quatenus fiat unitas vestra contra Theodorum, et sacrilega capitula, et dogmata ejus, et eorum qui similia sapiunt, vel docent; et sicut Domino placuit condemnari manifeste et nominatim in Epheso ab universali Synodo sacrilegum Nestorium, sic per vos etiam antea condemnatum sine nomine, sacrilegiorem in varia impietate Theodorum nominatim condemnari. [1])

Neque Armeni tantum Episcopi, sed Monachi etiam Nestorii asseclis obstiterunt. Quapropter Liberatus Diaconus [2]) injuria eos Apollinaristas vocat: nec mirum; id namque tunc temporis usuvenerat, ait Gravina [3]), ut qui Nestorianos oppugnabant Apollinaristae vocarentur; quam quidem notam vel ipse Nestorianorum acerrimus adversarius, fideique Catholicae strenuus

[1]) Labbe, Conc: T. VI. 79.
[2]) Breviar. c. X.
[3]) Dello stato della Cristianità, p. 69.

propugnator Cyrillus Magnus, cujus in Chalcedonensi Concilio praecipuae fuere partes, sustinere invitus debuit, et ipse Apollinaris discipulus appellatus.

At non minori charitate fervens S. Isaac dignus S. Illuminatoris successor unitatem catholicae Ecclesiae, auctoritatemque Romani Pontificis, Jesu Christi in terris Vicarii, ita in suis Epistolis Pastoralibus profitetur: „Multi insipientibus verbis conati sunt excitare dissensiones, et inducere schismata in concordia fidei, immemores praecepti ajentis — Unus Dominus, una fides, unum Baptisma — qui enim diversa loquuntur, perspicue divisionem fidei demonstrant. Nam praeceptum Dei non ecclesiam lapidibus lignisque fabricatam commendat, sed genus humanum supra petram veritatis fide aedificatum. Quapropter vera fides est Ecclesia, quae nos colligit, et aedificat in unitate scientiae Filii Dei: nam Ipse Vivificans docet nos dicens Petro: Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus Te. Jamvero cum audimus Petrum dici petram, quidnam dictum intelligemus? num quemadmodum saxum inter saxa? absit: sed homo ratione utens, caput apostolici agminis: et quoniam ipse (Petrus) fide immobili confessus est Christum Filium Dei vivi, beatitudinem obtinuit, et Petra appellatus est. Ita et qui super illam aedificantur non sunt lapides inanimes, sed homines ejusdem fidei participes: cum etiam sacrae litterae minime cunctentur saepe saepius ubi opus est hoc nomine appellare Dominum et Salvatorum nostrum. [1])“

[1]) Haec versio verborum Matth. XVI. v. 18. summo in pretio est habenda, utpote quae aptissima sit ad ineptas protestantium cavillationes excludendas, circa primatum jurisdictionis in universam Ecclesiam, et infallibile Magisterium Romanis Pontificibus in persona B. Petri collatum; simulque ostendat quaenam saeculo V esset fides S. Patriarchae, omnisque Ecclesiae Armenae circa singulares B. Petri, ejusque in Romano Episcopatu successorum praerogativas.

Ejusdem generis sententiis orthodoxo doctore dignissimis, scatent Regulae Pastorales sancti Praesulis coelesti sapientia praediti, cujus canones in latinum versos, valde utile esse judicamus, seorsim edere in Appendice Nr. 1.

Jam S. Basilii Magni temporibus fervens conspiciebatur Armenorum cum Romana Sede cooperatio et consensio, quum S. Nerses Magnus Patriarcha Armenus, consociatus Episcopis Orientalibus in Synodum coactis (371-372), cui Magnus ille Doctor praeerat, ad controversias Asianorum componendas, et ipse subscripsit Synodali Epistolae ad S. Damasum Romanum Pontificem missae. „Ob quae et maxime indigemus auxilio vestro, ut qui Apostolicam profitentur fidem, excogitata a se schismata dissolventes, deinde auctoritati Ecclesiae subjiciantur: ut perfectum fiat Christi corpus jam in omnibus membris integritati restitutum; ac non solum aliorum bona laudemus, id quod nunc facimus, sed etiam nostras ipsorum ecclesias in pristinum rectae fidei decus restitutas videamus. Revera enim excelsae beatitudini dignum est, quod a Domino pietati vestrae datum est, adulterinum quidem a probo ac puro discernere, Patrum vero fidem sine ulla dubitatione vel metu praedicare: quam quidem et nos suscepimus, et agnovimus apostolicis notis signatam, eique et ceteris omnibus, quae in synodico scripto canonice et legitime statuta sunt assentimur.“ S. Basil. Cit. XCII.

Eandem animi fortitudinem adversus insanam Eutychianorum sententiam Armeni ostenderunt: quod nimirum rectam, sinceramque fidem de Domini Nostri Incarnatione a Patribus acceptam inviolatam custodientes, non ita facile ab omni vento doctrinae abripiebantur. In praefata Synodo Astisatae, sedecim

annis ante Chalcedonense Concilium coacta (435), ut S. Procli postulatis satisfieret, B. Patriarcha Isaac communi consilio declarationem edebat fidei Ephesinae conformem. „Nos confitemur Christum ex duabus naturis unam hypostasim, unam personam, et unum Christum.“ Ita testabatur Vahanus Episcopus Nicaenus in Synodo Siracavanensi, an. 862. et ante ipsum Johannes IV. Patriarcha initio saeculi VIII. [1]) Quamobrem dogmaticae definitiones Concilii Chalcedonensis de duabus naturis in unica Verbi Persona subsistentibus absque confusione, vel permixtione, inseparabiliter et incommutabiliter, utriusque naturae manentibus proprietatibus, non poterant quin cum plausu et veneratione exciperentur ab Armenis, quorum in cordibus altas radices egerat fides in Concilio Oecumenico Ephesino sancita; praesertim si attendatur, Patres Chalcedone congregatos damnantes haeresim Eutychianam, Nestorianae oppositam, adhibuisse quoad sensum, ac vere dixerim ad verbum, decretum dogmaticum latum contra Nestorium a Patribus Ephesinis. — Id omnino patebit, si professiones fidei, in utroque Concilio editae, simul conferentur. Symbolum Chalcedonense ita se habet: [2]) „ . . . . Dominum Nostrum Jesum Christum consonanter omnes docemus, eumdem perfectum in Deitate, et eumdem perfectum in humanitate, Deum verum, et hominem verum, eumdem ex anima rationabili, et corpore, consubstantialem Patri secundum deitatem, consubstantialem nobis eumdem secundum humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato. Ante saecula quidem de Patre genitum secundum Deitatem, in novissimis autem diebus eumdem propter nos et propter nostram salutem ex Maria Virgine Dei Genitrice secundum humanitatem. Unum eumdemque Chri-

[1]) Ciamcian, I. 527.

[2]) Mansi, VII. 116. — Harduin, II. 456.

stum Filium, Dominum, unigenitum in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum [1]): nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturae, et in unam personam, atque substantiam concurrente."

Porro Concilium Ephesinum decreverat [2]) . . . „. . . Confitemur itaque D. N. J. C. Filium Dei Unigenitum Deum esse perfectum, et hominem perfectum, ex anima rationali et corpore constitutum; ante saecula quidem ex Patre natum secundum Divinitatem, postremis vero temporibus eumdem ipsum propter nos et propter nostram salutem ex Maria Virgine secundum humanitatem [3]); eumdem Patri consubstantialem secundum Divinitatem, nobis item coessentialem secundum humanitatem, siquidem duarum naturarum facta est unio, et propterea unum Christum, unum Filium, unum Dominum confitemur."

At enimvero alia erat peculiaris ratio, qua fiebat, ut Armeni decretis Chalcedonensis Synodi statim acquiescerent, et Eutychianas blasphemias aversarentur. Armena scilicet Ecclesia omnem Concilii cursum probe noverat, nihilque eorum, quae a Patribus agebantur, eam latebat: definitiones dogmaticas vel exinde callere optime debuit, quod ipsa praesente ac suffragante prodierint. Aderat quippe in frequentissimo illo totius Catholici Orbis coetu per suos Episcopos, qui omnium consiliorum participes fuerunt, et una cum aliis 630 Patribus operam in solidum contulerunt, ut contra Eutychetis errores

1) *Ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν Χριστὸν υἱόν, κύριον, μονογενῆ ἐκ δύο φύσεων ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως γνωρίζομεν.*

2) Mansi, I. 306.

3) *Ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ τὸν αὐτὸν κατὰ τὴν θεότητα καὶ ὁμοούσιον ἡμῖν κατὰ τὴν ἀνθρωποτητα. δύο γὰρ φύσεων ἕνωσις γέγονε, διὸ ἕνα Χριστὸν, ἕνα υἱόν, ἕνα κύριον ὁμολογοῦμεν.*

Symbolum conderetur, cui pariter subscripserunt, ut apparet ex Actibus illius Concilii, nomina Armenorum Praesulum exhibentibus, quorum illustriora quaedam ex Majori Armenia damus.

Manasses Episcopus Theodosiopolis (Թէոդոսիուպոլսի) Magnae Armeniae.
Papias [1]) Episcopus civitatis Erizorum, (Երիզայ.)
Proclus Episcopus Argissae, (Արճիշայ.)
Cyriacus Episcopus Egensis seu Aegliensis. (Եկեղեաց.)
..... Episcopus Valarsacopoleos, (Վաղարշակերտի.)
Ex Episcopis Armeniae Minoris:
Constantinus miseratione divina Episcopus Melitenae, (Մելիտինեայ.)
Aliique quos brevitatis gratia praetermittimus.

Quamvis nonnulli ex Armeniae Minoris Episcopis Graeci ritus fuisse putentur, nihilo tamen secius natione Armeni erant, (Ciamcian. I. 504.) et cum Armenorum gente, et Episcopis religionis foedere devincti, ut ostenditur ex mutuis epistolis inter Acacium Melitenensem, et S. Patriarcham Isaacum, Episcopos, Clerumque Armeniae. Episcopi graeco ritui addicti instituebantur solummodo in Armenia inferiori, quae est citra Euphratem, Graecorum ditioni subjecta; quemadmodum quinque Episcopi ad Imperatorem Leonem testantur. Vid. Mansi T. VII. 115.

Patres Armeni reduces e Concilio Chalcedonensi ea frequentia, qua nunquam in superioribus Conciliis interfuerant, praedicaverunt, ut par erat, et in publicam deduxerunt notitiam fidei canones et decreta proprio nomine signata, quibus summo honore ac veneratione receptis incunctanter fideles paruerunt, haud secus ac praecedentium Synodorum sanctionibus; eo vel maxime quod sanctiones dogmaticae in hoc concilio latae circa ineffa-

[1]) Ciamcian, Hist. Arm. Tom. II. 133.

bile Incarnationis Mysterium, nihil quoad substantiam continerent, quod a Patribus Ephesinis decretum antea non fuisset.

Haec animorum consensio et proclivitas ad suscipiendas nuper editas fidei constitutiones aliqua ex parte promanabat ex benevolentiae necessitudine, quae inter Armenos et Graecos tunc temporis intercedebat. Etenim primi, qui essent in Armenia litterarum cultores, quique nostrorum Interpretum discipuli vocarentur, theologicas ac philosophicas disciplinas Constantinopoli didicerant, in ea urbe, dum Concilium Ephesinum celebraretur, versabantur, paucosque ante Chalcedone coactam Synodum annos in Patriam remeaverant [1]): secum ferentes tum fidei, tum scientiae congestas opes, atque inibi contractas relationes foventes retinentesque. — Quod si in aliqua Majoris Armeniae parte bellum a Persis commotum exarsit, illud non obfuit, quominus Chalcedonensis Synodi, ejusque decretorum cognitio in omnem Armeniae ambitum efferretur: ac revera scimus in illius belli fervore integrum fuisse Armeniae Episcopis ac Primatibus, cum aula imperiali et Metrapolita Constantinopolitano litterarum commercio uti. [2]) Hinc ex historicis monumentis habemus, circiter nonaginta annos post Chalcedone peractam Synodum maximam in religionis negotio tranquillitatem late per Armeniam obtinuisse: sententiae autem, sive doctrinae ab ejus definitionibus vel lato ungue abhorrentis nullum in his apparet vestigium. Quae itaque erga praecedentes Synodos Ephesinam, Constantinopolitanam, Nicaenam, eadem erga Chalcedonensem fuit Armenorum

1) Hi post suum reditum in Armeniam, dirigentibus et opem porro ferentibus S. Patriarcha Isaac et S. Mesrope, cui tribuitur litterarum Armenicarum inventio, versionem SS. Bibliorum Armenam ex Codice Graeco Alexandrino summa fidelitate adornarunt, multaque alia SS. PP. Graecorum opera in patrium idioma verterunt.

2) Elisaeus, Hist. Arm.

mens animique comparatio, eorumque dogmatibus, ac praescriptionibus diuturno temporis tractu parem honorem detulerunt. — Atque inter eas belli vicissitudines Joannes Mandacunensis Patriarcha in extraordinario conventu populum alloquens, remittebat eos, qui in fide naufragium fecerant, ad „Janitorem, et Clavigerum coeli S. Petrum [1])“ nempe ad ejus successores in Cathedra veritatis, quam tunc Leo M. occupabat.

IV.

Armenorum a Synodo Chalcedonensi, fideique doctrina de duplici in Christo natura recessio.

Supervenerunt interea homines corrupti mente, reprobi circa fidem, qui purissimos fidei latices in Ecclesia Armena interturbarent: Monophysitae, inquam, Jacobitae, Semieutychiani, Acephali; qui facto agmine, odio in Catholicos inflammati, Palaestinam, Syriam, Aegyptum infestabant, in ipsumque Armeniae sinum fidei perniciem illaturi prorepserant. Haec sectariorum progenies ex una parte, fraude et astu suffulta, quae familiaris est ars haereticorum, ut facilius imperitis laqueos erroris injiceret, palam dictitabat a Patribus Chalcedone congregatis, atque imprimis a Summo Pontifice Leone M. Synodum Ephesinam damnatam, ac Nestorii haeresim innovatam fuisse: ex altera vero Byzantini Imperatores, Theologicam palaestram indecore ac temere ingressi, fidei quaestiones cito supercilio ventilantes proprioque judicio, quod proprium ecclesiasticae auctoritatis est, captiosissima edicta (ἑνωτικόν, ἔκθεσις τῆς πίστεως. τύπος) promulgantes, ita paulatim Armenorum mentes tenebris offuscarunt, ut clerus ac populus,

[1]) Lazarus Pharpensis, Hist. edit. Venet. 216.

saltem magna ex parte, dolis haereticorum cesserint, atque ipse Armenus Patriarcha Nerses II. Astaracensis ab illusoribus circumventus, a recto fidei tramite declinans, an. circiter 527. (535?) decem Episcoporum synodum coëgerit, in qua Concilii Chalcedonensis acta rescissa, doctrina de hypostatica utriusque naturae in Christo junctione repudiata fuit; simulque decretum, ut verba „*qui crucifixus es*“ in trisagio adderentur, rata insuper lex de duplici Festo Nativitatis et Epiphaniae Domini die 6. Januarii celebrando.

Nuperi quidam historici nulla solida ratione arbitrantur Armenos a regula rectae fidei descivisse an. 491 in Synodo Valarsapatana sub Patriarcha Babgeno. At veteres historici et mediae aetatis Scriptores, quos minime Jacobitarum labes infecit, nec non documenta in Monasteriorum scriniis asservata, prout ipsimet Armeni Patres (Litt. Greg. Patr. ad Regem Hayton. apud Galanum P. I. 444) testantur, id quod asseruimus satis superque evincunt. Insuper S. Nerses Clajensis in sua epistola, ad Imperatorem Manuelem Comnenum anno 1169 conscripta, ait: a sexcentis annis Graecos, et Armenos sejunctos esse, nempe a rejecta Synodo Chalcedonensi. En ejus verba „Sunt enim plusquam sexcenti anni, ex quo ista Christi membra a se invicem disjuncta sunt.“ Jamvero si ab annis 1169 demas annos 600 habebis an: 569; ac mirum sane videri debet, D. Josephum Cappeletti in sua versione operum S. Nersetis pro sexcentis annis posuisse septingentos. (S. Ners. Opp. Vol. I. 199.) — Confirmatur nostra sententia ab Eugenio IV. qui in decreto pro Armenis lato an. 1439 affirmat, a schismate Armenorum nongentos annos decucurrisse; id quod, supputatione facta nos ducit ad annum 539. Confirmatur haec nostra assertio ex epistola [1]) Photii, rerum Armenarum scientissimi, missa ad Patriarcham Armenum Zachariam I. circa annum 865. — Scio quidem adversae sententiae assertores niti quadam epistola data, ut fertur anno centesimo quinquagesimo quarto

[1]) Eam publici juris fecit P. Ciamcian, oppositae opinionis Patronus. Hist. Arm. T. II. 495.

post Chalcedonense Concilium a Patriarcha Armeno schismatico Abrahamo ad Cyrionem Patriarcham Georgianum. At quilibet eam perlegerit, facile deprehendit supposititiam esse. Nam ipsemet Patriarcha fatetur, se non alio referente hujusmodi notitiam hausisse, quam ex incerta et adulterina Graeca versione (Ciamcian. Hist. Arm. T. II. p. 49 . .). Idem dicatur de testificatione Patriarchae Johannis VI. Historici (898—924), nam apertissimum est, eam ex allato Apocrypho documento fluxisse. Ceterum quaestio haec de temporum differentia parum refert, cum de facto constet.

Ita non Pastor, sed mercenarius ac lupus gregem sibi commissum ab unitate Romana, et comunione Catholica primus divulsit. Summa certe calamitas, quae deinde viam stravit reliquis defectionibus Ecclesiae Armenae: horrendum facinus ex quo veluti offensionis lapide, omnis imposterum praevaricatio originem ducit: luctuosissimum exemplum, quod ut delerent, abruptamque unitatem primaevo statui restituerent, tot labores exantlarunt, tot lacrymas ac preces effuderunt sancti a Deo excitati orthodoxi Armenae Ecclesiae Praesules et Doctores.

Nec minus funesta fuit Synodus Dovinensis an. 596, in qua praedictus Patriarcha Abraham Chalcedonensem Synodum iterum, ac solemniori forma rejecit, inconsutilem Christi vestem conscidit, omnemque populum in majorem impulit ruinam non ex illusione vel inscitia, cum de rebus ac gestis Chalcedonensis Concilii a Cyrione Patriarcha Georgianorum apprime fuisset instructus, sed contradicendi studio, et passionum impetu abreptus. — Perarduum tamen est de iis, quae tunc et in posterum contigerunt, quibusdam notissimis casibus exceptis, aequum ferre judicium; ipsaque formalis ratio doctrinae, Chalcedonensi suffectae circa duas in Christo naturas, saepe saepius obscura est, sive propter documentorum inopiam,

sive quod ea quae suppetunt, nullam expressam doctrinae speciem praeferant, atque adeo pugnantia, ambigua, confusa loquantur, ut ferme impossibile sit aliquem ex illis determinatum sensum extundere, propriumque illius erroris conceptum apprehendere.

Haec non de omnibus valent Armenis: non enim universi ad unum avitam fidem deseruerunt; sed quovis tempore superfuit aliqua pars, quae intactum fidei patrimonium servabat, dum a ceteris misere dissiparetur: quin et alternis vicibus veritas et error inter hos eosdem dominibatur; ac elapsis diebus, qui saepe Deo miserante breviabantur, quibus inimicus homo electae fidei frumento noxia germina interserebat, subinde omnis Ecclesia Armena rectam, et catholicam sententiam de Verbi Incarnatione resumebat, geminasque in Christo naturas in unam Verbi Personam coeuntes, ut debebat, profitebatur. Neque illud omittimus nunquam Armenos, generatim loquendo, puris putisque Eutychianorum placitis adhaesisse, quibus naturarum distinctio de medio tollitur: anathematizant ea potius, ac detestantur. Armenis licet ab Ecclesia Catholica distractis alte defixa manebat sententia Christum verum Deum esse, verumque hominem; nihilominus ab explicita declaratione duarum naturarum summopere abhorrebant et abhorrent errantes extra ovile Ecclesiae. Praecipuum erroris caput in eo videtur fuisse, quod respuerent unionem hypostaticam duarum naturarum in Christo, partim ob quorundam ignorantiam, et obstinationem, partim quod alii naturae, ac personae conceptus pervertentes verebantur, ne si duas admitterent in Christo naturas, in oppositos Nestorii errores impingerent. Hinc amissa idea fundamentali ineffabilis Mysterii Incarnationis, ancipites circa veram doctrinam haerebant, in varias explicationes diffluebant, perplexi ac fluctuantes,

quasnam potissimum ex his quae circumferebantur (quasque longum esset numerare) seligerent, semper tamen aberrantes a simplici, ac genuina notione duarum naturarum in Verbi Persona subsistentium. Ex his plerique decepti verbis S. Cyrilli male intellectis „Una est natura Verbi Incarnati", commenti sunt tertiam quamdam naturam ex unione vel commixtione Divinae et humanae resultantem, quo fere modo ex animae corporisque junctione humanitas exurgit. Nec defuerunt, qui aliam erroris speciem consectantes, autumarunt ipsam formaliter naturam, seu substantiam Divinam humanitatem sibi devinxisse. In tanto opinionum conflictu secum invicem et a veritate abludentium, si quando Armeni pravis cupiditatibus incitati insurgerent in S. Synodum Chalcedonensem, et in S. Leonem M. vel etiam in Sedem Romanam, ut sequiori aevo factum est, qui schismatis signiferi essent, ut Tathevenses, Orotnenses et alii, in extrema ac pessima quaeque ruebant, ut postea dicemus.

Monothelismus, qui erat Monophysitismi consectarium, seriori aetate se exseruit in Armenia, sub multiplici aspectu ac eisdem fere conditionibus, licet non eadem vi, ac celeritate. Quin et saeculo VII. ineunte Monachi Armeni ad Aquas Salvias, qui Romae instituti fuerant, ut postea dicemus, egregium rectae fidei, doctrinaeque monumentum circa duplicem in Christo voluntatem in Concilio Lateranensi (an. 647) reliquerunt: in eo siquidem legitur[1]) solemnis protestatio Abbatum contra blasphemias Cyri, Sergii, Pyrrhi, et Pauli, retento plane Honorii nomine.

Ad additamentum quod attinet in Trisagio „Qui crucifixus es", illud quidem Armeni mordicus retinuerunt, ut propterea a Graecis per contemptum

[1]) Collect. Conc. Tom. X. 903.

Χατζιτζάριοι vocitarentur[1]) ab Armeno vocabulo խաչեցար (*Chacezar*) i. d. Crucifixus es; unde Chacezariani vox verti potest *Crucifixiani*. Asseri tamen omnimoda certitudine potest, additamentum illud, quaecumque fuerit ejus origo, nunquam Armenos in sensu haeretico Theopaschitarum recitasse in trisagio, vel cecinisse. Quin ad aequivocationes tollendas quovis tempore Ecclesia Armena in Synodis collecta, per Praesules ac Doctores suos minime dubitavit conceptis declarare verbis, illam additionem nonnisi ad Filium referri, nam totum trisagium canebatur ad laudem secundae Personae SS. Trinitatis, nempe Filii pro nobis Incarnati et crucifixi.

Haec declaratio sensus per circumstantiam explicantem, et per expressam confessionem Armenos ab omni suspicione erroris tutabatur: attamen quod morem ab Ecclesia ubique non receptum frequentarent, et pugnacius quam par erat defenderent, invidiae ictibus saepe patebant, saepe etiam ab impactis criminationibus se purgare coacti sunt.

Scimus ex historia, Petro Fulloni ac Severo Eutychianis, illud additamentum trisagio appingere volentibus, universum orientem catholicum obstitisse: cumque ipsi, ut pravum finem attingerent, Aegypti pacem et Palaestinae cruentis machinationibus turbarent, quosdam, ut tranquillitati consulerent, ac Theopaschitarum notam declinarent, in aliam formam flexisse additamentum, ajentes — Unum e Trinitate in cruce mortuum esse[2]) — universa tamen reclamante Ecclesia. Quod si nonnullae Orientis Ecclesiae additamentum illud susceperunt: illud postea incunctanter reprobarunt, et nunc universus catholicus Oriens

1) Combefisius, Auct. Bibl. PP. Graec. T. II.

2) Alzog, Kirchengeschichte V. ed. p. 208.

canit trisagium in ejus primitiva simplicitate. Insecutis temporibus S. Gregorius VII[1]) adjectionem illam Gregorio II. Mortyrophilo Patriarchae Armenorum tamquam scandalosam interdixit hisce verbis „Quam grave et pericolosum sit, ubi saniori intellectu vitari potest, Fratribus de fide scandalum generare etc.“ Alii quoque Pontifices, ac signanter Benedictus XIV. eam prohibuerunt. Patres armeni Synodi Adanensis (an. 1319), cum hujusmodi inveteratum morem radicitus convellere nequirent, oppositis aliis verbis ita praedictam formulam lenire curarunt, ut sensum plane catholicum funderet, erroris suspicione careret, jubentes ita recitari Trisagium: „Sanctus Deus, Sanctus et Fortis, Sanctus et Immortalis, Christe, qui Incarnatus et crucifixus es, miserere nobis.“

Hujusmodi Religionis, ac Fidei conditio generatim loquendo (abstractione facta hinc a quorumdam bona fide, illinc ab aliorum orthodoxia) ultra duo saecula perduravit, sed non in omni Armenia; nam quae pars veteris Regni satis ampla Byzantinis Imperatoribus parebat, ejus saltem incolae Chalcedonenses vocabantur [2]): quo nomine usuvenerat, ut catholici distinguerentur. Probabile est ex hac Armeniae parte convenisse ad Oecumenicam Synodum V., Constantinopolitanam II., illam Episcoporum aciem, qui Nestorio, Eutychi, reliquisque haereticis cum pestiferis suis dogmatibus anathema dixerunt, et eapropter meruerunt, ut una ex januis, queis ad Magnum S. Sophiae Templum patet aditus, ab ipsis nuncuparetur. „Sacras sanctae Sophiae portas ex eorum nomine apellarunt, et hactenus vocatur porta Armenorum“, ut graecus refert historicus. [3])

[1]) Ep. Lib. VIII, ep. I.
[2]) Ciamcian, Hist. Arm. T. II. 306.
[3]) Apud Combefisium, Auct. Bibl. PP. Graecor. Tom. II. 278.

V.

Varia, et instabilis religionis conditio in Armenia.

Anno 629, cum Imperator Heraclius in Armenia itineris causa versaretur. Patriarchae Armeno Esdrae persuasit, ut Synodum Carini (Erzerum) convocaret, cui finis esset propositus acceptandi sacrosanctum Chalcedonense Concilium, ejusque sanctiones dogmaticas, et unionem cum universali Ecclesia rursus ineundi. Accesserunt ad eam Synodum magno numero Graeci et Armeni Episcopi, ac praevio accurato examine, unanimi consensu Concilium Chalcedonense, ejusque dogmata amplexi sunt, ademptis omnino a Trisagio invisis illis verbis „Qui Crucifixus es“ etc. Iterum coeperunt parum aquae in calicem infundere.

Redintegratam cum Ecclesia Catholica unionem et Chalcedonensem doctrinam sancte servavit Nerses III. Esdrae successor. At mala stirps erroris, quam Syri Jacobitae Armenis inseverant, subinde eorumdem opera vel clam, vel aperte in novos surculos erumpebat. Itaque in Conciliabulo Manascertano (651) denuo rejectum fuit Concilium Chalcedonense, ejusque de duplici in Christo Domino natura definitiones explosae: statutum praeterea fuit de canendis in Trisagio addititiis illis verbis „Qui crucifixus es, miserere nobis“ et de aqua in calice minime miscenda. Hic satanae conventus abolitus postea fuit, ejusque acta rescissa; sed non idcirco divisio religiosa sublata fuit. Pars catholica Majorum vestigiis insistens fidem Chalcedonensem retinuit: e contra haereticorum factio sacrum illud Concilium aversata, duplicem in Christo naturam inficiabatur. Hac ancipiti rei religiosae fortuna, Partriarchis diversa sentientibus, Ecclesia etiam Armena huc illuc jactabatur, nunc dissidentes, nunc catholici viribus augebantur;

et, quod inde consequens erat, incerto pede modo errori serviebat, modo ad pristinam fidem revertebatur.

Saeculo VIII. ineunte (718—728) ad Patriarchalem Armenorum sedem evectus est Joannes IV. Ozniensis, cognomento Philosophus, vir non mediocri ingenio, de quo tantopere veteres, multo etiam plura locuti sunt recentiores. Armeni Scriptores non aeque sentiunt de ejus doctrina ac fide, nec expedit personali quaestioni laborem impendere. Extra controversiae aleam est, ipsum in Christo saltem generatim duplicem agnovisse naturam; attamen de Synodo Chalcedonensi silentium inexplicabile est, eo praesertim tempore, quo omnium linguis celebrabatur. Illi certe Patriarchae non defuit zelus pro ecclesiastica disciplina, divinique cultus splendore, quae res aliquam ejus nomini et memoriae laudem aspergit: sed si unitatem catholicae Ecclesiae dilexisset, certe a subscribendis ac provehendis quibusdam canonibus certo vituperandis Synodi Dovinensis an. 719, cui ipse praefuit, abstinuisset: cujusmodi praesertim sunt Canones VIII. e XX. [1]) qui certissime redolent spiritum dissensionis circa observantiam apostolicarum traditionum, resque ipsas in usu totius Ecclesiae positas. De his etiam alibi acturi sumus. In ea Synodo triginta duo canones ad disciplinam spectantes conditi fuere, quos operae pretium duximus majori ex parte referre in Appendice sub n°. II.

Transacto saeculi IX. dimidio Patriarcha Zacharias unus ex bonis Ecclesiae Armenae Pastoribus, qui gregem sibi concreditum per salutis semitam ducere omni studio curabant, a Vahano (Joanne)

[1]) Vid. Appendicem II.

Niceae Archiepiscopo validissima ope adjutus, toto pectore in id incubuit, ut omnis discordia evanesceret, et ejus natio in unum Christi corpus cum ceteris gentibus assurgeret. Tandem anno 862 coegit, quod ipsi in votis erat, Concilium Siracavanense ex numerosissimis Episcopis conflatum, cui ipse Princeps Asotius assedit. In eo quindecim canones de fidei doctrina sanciti fuerunt, quos nos integros dabimus. [1]) Speciali attentione digni sunt Canones XIII. et XIV., qui si ex una parte produnt inconsultam in rebus fidei et Religionis prudentiam, ex alia pertinaciam adversariorum in propatulo ponunt. Nihilominus Synodus Siracavanensis ututaliquo naevo laborans, et aliquatenus abnormis, videtur in ipsos Syros praecipuos in Armenia discordiae incensores, id boni egisse, ut minus adverso fierent animo erga Chalcedonensis Synodi Doctrinam. [2]) At hujusmodi rerum conditio in incerto versabatur. Nam e successoribus Zachariae quidam, ut Mastozius et Joannes VI. Historicus (897—924) fuerunt Schismatici declarati usque Vahanum (965—972), pastorali zelo et orthodoxa fide praestantem, qui ut Patriarchalem adeptus est potestatem, qua doctrinae integritate, qua laboribus Apostolicis unionem Catholicam mirifice auxit, ut Armenorum cum Ecclesia Catholica indissolubilis esset unio; et quamvis ejus salutares conatus haud penitus successerint, et a dissidentibus, invidia et odio in furorem actis, e sua sede Patriarchali exturbatus, ad Regem Gagic protectorem suum in Vaspuracaniam confugere debuerit: ipsius tamen in vinea Domini excolenda curae uberem post ejus depulsionem, ac decessum protulerunt fructum maxime in Provincia Vaspuracaniae, cum in idem labores contulerint S. Doctor Monachus Gregorius Narecensis,

1) Vid. Append. III.

2) Ciamcian, T. II. 687.

qui a S. Nersete Lambronensi ob eximiam vitae sanctimoniam Angelus in carne meruit appellari; nec non ejusdem Gregorii pater Chosroes Magnus appellatus, qui monachorum habitum induit, deinde in Archiepiscopalem Anzevaziae sedem evectus fuit, quibus addendus alter Gregorius. ob singularem litterarum peritiam praeclaram inter Armenos famam adeptus et Magistri cognomento exornatus. Hi omnes fidei et doctrinae Chalcedonensis defensores, tum praedicatione, tum scriptis editis omnes intenderunt nervos, ut quotquot in Armenia catholici essent, eos fortiores efficerent, donec tandem tempus effulsit a Divina clementia praedefinitum, quo fides ac doctrina catholica paulatim in toto fere Armeniae ambitu ad pristinam puritatem revocaretur.

VI.

Fides ac Doctrina Catholica in Armenia restituitur et confirmatur.

Initio Patriarchatus Gregorii II. filii laudati Principis Gregorii Magistri (1065). (qui ob vulgatas Armeno idiomate Vitas Martyrum, aliorumque sanctorum, Vcajaser, seu Martyrophilus dictus est) Ecclesiae Armenae nova aetas illuxit. Gregorius hic Antistes, ut meditatum unionis consilium prospere exequeretur, Constantinopolim usque perrexit; ac deinde illud vehementiori nisu prosecutus litteras misit ac nuncium ad Summum Pontificem Gregorium VII., suppliciter orans, ut vincula unitatis inter Sanctam Apostolicam Sedem, et Ecclesiam Armenam, quae saepe saepius remittebantur, solidiori nexu adstringerentur: postulans etiam Pallium, tamquam auctoritatis insigne et symbolum perfectae concordiae, et communionis cum Cathedra D. Petri. — S. Gregorius VII. qua erat charitate flagrantissimus,

Patriarchae litteras ac legatum paterni amoris significationibus excepit, Pallium ei benigne concessit, denique omnibus postulatis annuit. Exinde unio immediata Armenorum cum Ecclesia Romana coepit magis magisque roborari, ac spatio plurium saeculorum perseveravit.

Variis accusationum capitibus Armeni apud Sanctam Sedem pulsabantur, et quamvis legatus Patriarchae de illarum inanitate certiorem reddidisset Pontificem, tamen hic ipsum Martyrophilum percontari voluit, quibusnam potissimum criminibus Armeni insimularentur. Ab eo igitur sciscitatus est, an hae ipsis impactae criminationes veritate niterentur: 1°. quod in celebrando Missae Sacrificio aquam vino penitus non admisceretur; 2°. quod contra morem Sanctae Ecclesiae Sanctum Chrisma, non ex balsamo sed ex butyro conficeretur; 3°. quod Dioscorum Alexandrinum haeresiarcham, ob perfidiae duritiam in Chalcedonensi Concilio depositum, sequerentur. Volumus etiam, subjungit Summus Pontifex, charitatem tuam Fratribus suis significare, utrum vestra quoque recipiat quod Ecclesia universalis amplectitur, fidem scilicet quatuor conciliorum, quae a SS. PP. comprobata, a Romano Pontifice Silvestro et Leone, et aliis Apostolica sunt auctoritate firmata. Demum Pontifex peramanter monens „Prudentiam tuam, inquit, charitatis affectu commonendam censuimus, ut clausulam, quam in illa laude subjungitis,“ Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis, etiam istam videlicet, *qui crucifixus es pro nobis,* quas nulla nec orientalium, praeter vestram, nec Romana habet Ecclesia, vos (potius scandali occasionem, pravique intellectus suspicionem vitantes) superaddere de cetero, omittatis. Si vas electionis Beatissimus Apostolus de sumendis cibis, melius sibi esse non manducare

neque bibere, quam ut frater scandalizetur, asseruit; considerare debetis, quam grave et periculosum sit, ubi saniori intellectu vitari potest, Fratribus de fide scandalum generare.“ Ad haec Pontifex Armenis gratulatur, quod sacra Mysteria in azymo conficientes, morem sequerentur Romanae Ecclesiae, quam a Graecorum dicteriis, et calumniis defendit.

Qua responsione laudatus Patriarcha Pontificiis interrogationibus occurrerit, ignoratur. Putant nonnulli, eum Romam iter suscepisse, ut de his, quae in quaestionem venerant oretenus inter se et Pontificem conferret, sed suae opinionis nulla proferunt solida rationum momenta. Quae mixtionem aquae in calice offerendo respiciebat accusatio, in medium posita fuit etiam in Concilio Trullano (629), quo illius abusus abolitio decreta est [1]). At enim quonam praecise tempore ille capitalis abusus, in Synodo Trullana improbatus, inter Armenos irrepserit, haud facile determinari potest. In Ecclesiae Armenae fastis memoratur conciliabulum Manazcertae (651), idest paucorum phanaticorum Chalcedonensi concilio adversantium Synagoga, qui monophysiticis erroribus imbuti, de aqua sancto calici non miscenda statuerunt, at praeterquam quod ipsa natio latrocinalem illum conventum proscripserit, jam in Synodo Carinensi (629) scitum reperimus de aquae infusione in calice sacrificii [2]); quamobrem rite argui potest, initio saeculi VII. talem abusum extitisse. Reipsa qui majori solertia historiae Ecclesiasticae monumenta scrutati sunt, ratum exploratumque habent [3]), Syros Jacobitas, et sectarios

[1]) Quoad alias accusationes in ea Synodo Armenis irrogatas non immoramur, utpote ad disciplinam spectantes neque generatim apud Armenos inductas: quod nempe quadragesimali tempore in Sabbato, et Dominicis diebus lacticiniis vescerentur, et quod oblatas a populo carnes in Ecclesia coquerent et inter sacerdotes distribuerent, et ad sacerdotium admitterentur illi tantum, qui essent ex stirpe sacerdotum.

[2]) Epist. Patriarchae Greg. VII. ad Regem Arm. Haiton. Galanus P. I. 442. — [3]) Combef. Auct. Bibl. PP. Graec. Hist. haer. T. 2.

Incorrupticolas sacculo sexto primos illius pravae consuetudinis fuisse auctores; eaque deinde abdicata, pristinam resumpsisse. At Gregorius VII. Armenorum Patriarcha Anavarzensis, quaerens, „Unde igitur nobis hoc unquam defluere potuit?“ fatetur, hunc abusum aliunde originem non traxisse, „Nisi . . . ex eo, quia, cum Orientales innata quadam consuetudine vinum non bibant nisi purum, vel sacrum ipsum in mero perficere maluerunt, tum quoque, ut a Graecis, in quorum pravitate offenderant, discreparent“ [1]). — Attamen Patriarcha Joannes IV. Philosophus appellatus in Decreto Synodali Concilii Dovinensis an. 719, volens omissionem antiquae universalis consuetudinis et apostolicae traditionis magni nominis auctoritate confirmare, supponit, sed nullo modo probat, legem non infundendi aquam in calice Armenorum Apostolo Gregorio Illuminatori tribuendam esse. En ejus verba „Congruum est panem azymum et merum vinum offerre ad sanctum altare juxta S. Gregorii apud nos traditionem, *non autem ad aliarum nationum Christianarum traditiones deflectere.* Sanctus enim Illuminator, ex legalibus id assumens, tamquam Apostolus dioecesanis suis praeceptum dedit perficiendum. . . Nos quoque in eodem perseverare, haud vero ab eo recedere, novitatemque inducere oportet.“ At hic illusus Patriarcha, aliis imponendi cupidus, neminem praeter se vadem dat istiusmodi assertionis. Nam post quatuor elapsa a Magno Gregorio saecula, primus nationi suae sententiam appingere non veretur, quae et Illuminatoris muneri et sanctitati dedecus infert, perinde ac si novum quem Christo lucrifecerat gregem instituens, atque ea docens, quae ad Euchari-

[1]) Ep. ad Reg. Haitonem, in qua haec etiam loquitur, „At recole quaeso, illam Magistri Minasi sententiam, qui dicere saepe solebat: Culpa foret in Oriente, si in hac regione interna, in mensa recumbens, poculum vini puri suo etiam inimico non propinaret.“ Galan. P. I. 449.

stiae confectionem requiruntur, alia tradere potuerit, quam quae in totius Ecclesiae moribus posita fuissent, ab ipso Domini Salvatoris exemplo deducta, qui praeterea augustissimum hoc sacramentum voluit esse symbolum efficax amoris et unionis inter fideles; ut proinde miserrimi sint, quibus efficitur occasio et argumentum dissensionis. Nec vero Gregorius adeo erat rudis, qui nesciret sibi talem non esse facultatem, ut aliquid contra Apostolicam traditionem posset praecipere; quapropter laudatus ejus successor Patriarcha Gregorius VII. [1]) id apertissime negat. Verum, inquit, sacrum esse mero conficiendum quod nobis non sit a D. Gregorio; ecce liber ejus; neque a S. Isaac, ecce illius canones." Perlegantur etiam Acta duorum Conciliorum Sisensis, et Adanensis, quae integra a nobis exhibentur in App. VII. VIII.

Alter abusus talis erat, quo Sacramentum, defectu materiae aptae redditur invalidum: nec aliquid valet ratio quorumdam etiam ex Patribus Ecclesiae Armenae, qui ad illud cohonestandum praetexuerant, in Aquilonaribus Armeniae partibus olivam deesse; ideoque oleo sisami uti cogerentur.

Tertium accusationis caput generatim falsum erat. Improbabile tamen non est, paucos in Armenia extitisse fanaticos, qui perfidum Dioscorum venerarentur.

Quod quarto loco in medium afferebatur, est additamentum „Qui crucifixus es" de quo jam alibi plura verba fecimus.

Gregorius III. Pahlavuni, successor alterius Gregorii (1113—1167), a quo cum nomine et Sede

[1]) Ep. ad Regem Haitonem. Galan. loc. cit.

fidem, et constantiam in unione catholica habuit, summis Pontificibus Innocentio II, et Eugenio III. conjunctissimus fuit. Hic paternis amoris sensibus Delegatum, et Epistolam Patriarchae recepit, alias vicissim litteras dedit, monens ut retineretur consuetudo infundendi parum aquae in calicem, et Festum Nativitatis Domini die XXV Decembris celebraretur [1]). Interea ad Patriarchalem Sedem evectus est S. Nerses dictus Clajensis (1167—1172) praeclarum Armenae Ecclesiae decus, Pastor bonus, validissimus promotor Catholicae fidei et unitatis. Hic jam sub decessoris ac fratris Patriarchatu, tum verbo, tum scripto admodum laboraverat, ut unio a tot saeculis expetita perficeretur. Deinde vero ad sublimem illam dignitatem assumptus, coepit omni vi contendere, omnesque pastoralis officii curas exercere, ut gregem sibi commissum in sanis dogmatibus, et unitate Ecclesiae Catholicae contineret. Ad sanctum adeo finem consequendum opportunum arbitratus est, si concordiam cum Ecclesia Graeca rursus iniret: quae sub Comenis Imperatoribus a Catholica Societate penitus dirempta non erat.

Id quod confirmat Epistola ad Monachos graecos monticolas a Theoriano philosopho conscripta, qui ab Imperatore missus fuerat concordiae conciliator inter utramque nationem. Hujus epistolae partem publicavit Emm. Card. Mai ex graecis codicibus Vaticanis, quae ita se habet:

„In primis vobis auctor sum, ut contentiones non suscipiatis; nos enim hujusmodi morem non habemus neque Ecclesia Dei. Sed pacem sectamini, pacem Christi retinentes, qui facit utraque unum. Diligite autem Latinos, qui vestri in Christo fratres sunt: orthodoxi enim sunt, et catholicae atque apostolicae Ecclesiae filii, sicuti et nos. Etenim si quae exsurgunt, ut fieri solet, quaestio-

1) Vid. Append. VII. Acta Syn. Sisen.

nes, hae fidem non laedunt: quippe cuncta sunt bona, si certe ad Dei laudem fiant. Nihil porro sive in Latinorum ecclesiasticorum consuetudine sive in nostra est, quod ab honesto et decoro recedat: sed omnia praeclarum habent scopum atque propositum. Sapientibus igitur, recta omnia; stultis autem, scandalum et offensio."

Ita sapiebat ipse quoque S. Patriarcha, quum ad Imperatorem Emmanuelem scribens, insignia haec promebat verba: „Immo audivimus, quod sanctus omniumque Archiepiscoporum primus Pontifex Romanus, et Petri Apostoli Successor e Sapientibus suis quosdam misit loqui coram sancto regno tuo pro fidei unione." [1]) Hujus quidem consultationis satis felix fuit initium. Nam Gregorius IV. partes dedit Nerseti Clajensi pacem procurandi inter duos fratres Armeniae Principes, sibi mutuo bellum inferentes, qui tum prope Menestium castra locaverant, ubi Clajensis Alexium ducem exercitus imperialis, et generum imperatoris convenit. Statimque in eandem sententiam pari ardore conspirantes, quaedam communi consilio constituerunt, quibus Ecclesiae paci consuleretur, et scandalum diuturnae dissensionis inter duas nationes amoveretur. Nerses Clajensis spopondit, se declaraturum ei per litteras Armenorum fidem ac disciplinam, quod et fecit, dato sub nomine Eximii fratris sui Patriarchae (anno 1167) documento, cui titulum praenotavit „Libellus confessionis fidei Ecclesiae armenicae scriptus a Nersete Archiepiscopo etc." [2])

Imperatori Byzantino, pariterque Patriarchae Graecorum placuit libellus, et exinde coepit inter ipsum Imperatorem, et Nersetem Clajensem, qui interea Patriarchali dignitate condecoratus fuerat,

[1]) S. Nersetis Clajensis Opera, Vol. I. p. 202. Venet. 1833.

[2]) Ibi p. 173.

epistolaris consuetudo, cujus is fuit exitus, ut Imperator in Armeniam mitteret Theorianum, clarissimum Philosophum, injuncto officio pertractandi exortas de religione quaestiones, hisque compositis solida unionis jaciendi fundamenta. Theorianus, cui comes adjunctus est Atmanus Abbas Monachorum Armenorum Philippopoli commorantium, itineri se committens, pervenit in Rom-clanam civitatem, ubi reddita Patriarchae Imperatoris epistola variae de religionis negotiis disceptationes subtiliter diligenterque institui coeperunt, quae unius mensis spatio conclusae sunt, idque prout optandum erat, consecutum, ut quaedam dogmata dilucidius exposita, praesertim de duplici in Christo natura reciperentur, et Concilio Chalcedonensi, ut reliquis oecumenicis, fides praeberetur.

Theorianus ad Imperatorem laetus revertens, functae legationis fructum retulit, Commentarium quippe disputationum, hisque elicitam a Patriarcha planiorem ac magis discretam fidei professionem, epistolam insuper ejusdem Patriarchae, cujus potiores partes hic referimus.

Epistola Nersetis Generalis Armeniae ad Imperatorem Dominum Manuelem missa per legatos suos, et in graecum conversa sermonem a monacho Atmano philippopolitano, praesente etiam magistro Theoriano, mense decembri, indictione quarta — scripta vero fuit post priorem cum Theoriano disputationem:

„Majestatis tuae deliberatio, coronate a Deo Imperator Romanorum, porphyrogenite triumphator, victor semper auguste, religionis pacisque ecclesiarum amator, ad nos quoque pervenit humiles sanctae tuae majestatis veneratores, indeque tuam divinae confor-

mem voluntatem cognovimus. Sicut enim nominis paritate, ita etiam operibus vero Emmanueli vis esse similis, qui pacem coelo terraeque conciliavit, mediumque maceriae parietem, ut Apostolus ait, destruxit. Una igitur cum scripta deliberatione, viva quoque voce sententiam majestatis tuae nobis patefecerunt missi a te homines, philosophus scilicet atque magister Theorianus, nec non popularis noster, monasticaeque professionis socius abbas, qui et Atmanus vocitatur. Quippe ex his summum vestrum circa ecclesiae catholicae unionem studium intelleximus: neque vero hanc voluntatem cupiditatemque ex hominibus ortam esse confidimus, sed divinitus coelitusque immissam: nam velut illa natura celsissima ad humilitatem nostram sese inclinavit, ut nos extolleret; et qui plenus erat, semet aliquamdiu gloria sua exinanivit, ut nos plenitudine sua compleret; ita sancta majestas tua, quamquam nihili indiga, attamen egentis instar cum nostra gestit paupertate versari; non ut aliquem defectum suum inde suppleat, sed ut divini amoris obsequatur impulsui, quo jubemur non tantum homines proximos ceu nosmet ipsos diligere, verum etiam inimicos; neque nostras solum, verum etiam alienas utilitates curare.

Itaque et nos sermone instituto, sacris scripturis ducibus, cum philosopho a sancta majestate tua misso. mentis quamdam medicinam experti sumus, cum fidem Romanae Ecclesiae ex praedicti viri oratione cognovimus. Etenim ab obscuris quibusdam maritimarum regionum accolis, qui se romanos dictitabant, et nunc et olim nescio quos sermunculos de Christi incarnatione non sanos audivimus: ideoque in aegritudinem quandam incidimus propter mentem nostram scandalo offensam, quia nos putavimus in partem aliquam nestorianae haereseos declinavisse. Vicissim

vos a popularibus quibusdam nostris, qui ob inconditos mores a nobis se subduxerunt, malam de nobis famam accepistis, dum hi suas contra nos calumnias doni instar ad vos adferrent, gratiam vestram atque amicitiam lucrari sperantes. Quare et animi vestri scandalo permissi sunt, dum nos Eutycheti ejusque adseclarum dogma tenere putaretis, qui unam naturam pravo sensu adserunt. Verumtamen ex hac colloquii ventilatione nudata est palamque convicta utrinque mentientium falsitas, prodiit in lucem veritas planeque constitit, tum vos a nestoriana divisione, tum nos ab eutychiana confusione longe abesse: invicem autem, per Dei gratiam, proximi visi sumus, quod adtinet ad dogmatum rectitudinem. Sed quoniam nostri imperii potestas, quae sacerdotii libertatem protexit, genti nostrae ab infidelium tyrannide erepta est, idcirco meus quoque pontificatus, patrio solo ac sede depulsus, in aliena regione periclitatur. Quam ob rem neque in praesenti Armenorum episcopi et doctores coram adsunt, neque licet sine horum generali concilio quaesitui vestro quantum opus est respondere, ne pro concordia ansam multiplicem discordiae demus, neque inconstanter aliquid absurdumve loquamur. Igitur haud rectum mihi visum est, cum iis tantum qui circa me sunt hominibus, de hac gravissima controversia defensionem scribere, priusquam in Armeniam magnam, immo et in reliquas orbis partes nuncios miserim, cunctosque Armenorum sapientes congregaverim, coramque ipsis vestram hanc de fide et disciplina ecclesiae quaestionem exposuerim: quod cum fiet, equidem omnes meos conatus, studium, voluntatem, operam, adhortationem, vim exempli ipsam, in eo collocabo, ut amoris mutui pacisque inter nos instaurandae auctor sim: videlicet ut nos vobiscum, qui priores hoc spiritale bonum fieri curastis, illa pacificorum beatitudine

digni simus, quam in evangelio Christus promisit. Quoniam vero missi a magnitudine tua viri postulaverunt, ut nunc etiam brevem aliquem scripto sermonem de nostra in rebus fidei sententia ad Sanctam Majestatem tuam mitteremus, id sane fecimus, haud fere nostris sed sanctorum, qui ante separationem vixere, doctorum verbis utentes" . . . . .

Heic autem eximius Patriarcha fidei professionem magis evolutam repetit, maxime relate ad Mysterium Incarnationis; quae quidem cum apprime nota sit nostratibus ex epistola [1]) ejusdem Patriarchae, typis impressa ac pervulgata, ejus extremam partem referimus.

„Nunc igitur et nos, juxta orthodoxorum sanctorum patrum traditionem anathematizamus eos, qui unam naturam dicunt factam Verbi incarnati per conversionem et immutationem: item illos, qui Christum aiunt haud ex nostra substantia humanam sumpsisse naturam ac divinitati univisse, sed ipsum per se carnem sibi in Virginis utero circumposuisse, aut de coelo eam attulisse, aut phantastice non vere hominem apparuisse: item illos, qui alia quavis ex causa unam Christi naturam dicunt, non autem propter inseparabilem inconfusamque unionem. Sic etiam Nestorianos anathematizamus, qui Christum in duas naturas ita dividunt, ut Deum seorsum habeant ab homine, id est eum qui passus mortuusque est, seorsum ab eo qui impassibilis immortalisque est; neque utramque rem unionis virtuti tribuunt, passionem et impassibilitatem, mortem et immortalitatem. Nos vero credimus Dei Verbum illud a Patre ante saecula genitum invisibile, impassibile et immortale, nostram ex

[1]) Videsis integram epistolam apud Card. Mai Script. Vet. Tom. V.

virgine naturam perfecto modo sumpsisse, et cum sua divina natura inconfusa et inseparabili unione copulavisse. Atque ita qui est in divina natura invisibilis, evasit visibilis in humanitate; qui est impalpabilis, factus est palpabilis; impassibilis immortalisque secundum divinitatem, passibilis mortalisque secundum nostram naturam evasit: non autem seorsum alius est impassibilis, alius passibilis; alius immortalis, alius mortalis: verum ille, qui passus mortuusque est in assumpta hominis natura, idem impassibilis immortalisque est in propria divina natura. Idcirco et Dei sanguis, et passio et mors, et Deus crucifixus dicitur, et cetera talia, quae divinae naturae haud proprie sed ineffabilis unionis causa tribuimus. Etsi autem impossibile est morte vitam atque immortalitatem largiri hominibus [1]), nihilominus postquam Dei Verbum mortali passibilique hominum naturae unitum est, id quod antea fieri non poterat, possibile evasit: nam impassibilis passus est natura passibili, immortalis mortali mortuus est. Idcirco et nos vivificati fuimus, qui corpus ipsius sumus et membra, coagmentata viventi vivificantique nos Christo, nostro capiti, qui est benedictus et glorificatus in saecula.

Pauca haec in praesenti, ex multis quae dicenda supererant, dictata sunt ab exiguo humilique ingenio nostro infirmaque doctrina, ad sublimem sapientiam vestram, ut summatim intelligat Armeniacae ecclesiae circa fidem de sancta Trinitate et de Christi incarnatione firmum dogma: licebitque vobis cognoscere

1) Hic locus, quem ex originaria Graeca versione Emm. Card. Mai latine expressit, nos ad fidem Armeni textus editi ita reddendum putamus.

Quemadmodum fieri nequit, ut propria Dei natura passiones sustineat, et moriatur: ita et propria hominis natura nequit per mortem dare vitam hominibus. Quum tamen Dei Verbum rationalis hominis naturae sese univerit, impossibile illud possibile fecit, et quod fieri non poterat, possibile evasit.

a parte totum; veluti tenui minimoque cibi potusve gustu, a salubri noxium discernere licet. Absolutum vero plenissimumque tractatum de controversiis omnibus, quibus invicem dissidemus, quantaecumque hae sunt, post congregatam ut supra diximus synodum, ad tuam potentem majestatem scribemus.

De vitae autem nostrae casibus, propter loci temporumque, in quibus vivimus, asperitatem. et de rerum necessariarum inopia, deque molestiis longinquae nostrae stationis, qui in medio tabernaculorum Cedar versamur, certior fiet Sancta Majestas tua ab iis, qui hanc nostram epistolam deferunt, oratoribus; qui et coram vestra celsitudine ac magnitudine parva nostra munera sistent, nimirum tres arabicos equos et arcus musuliticos; quae etsi res exiguae sunt, mystice tamen significant fore ut ascendas super equos tuos, et hostium tuorum arcus conteras: nimirum ut verus Emmanuel invisibiles potestates, sic tu visibilem illorum vim reprimas, qui ecclesiam oppugnant; atque ita digni efficiamur, ut te in Christi Dei gloria videamus tibique gratulemur.“ [1])

Scripta est Armenorum anno DCXIX (1170) Armenorum mense Areg, Romanorum autem Octobri.

Theorianus Imperatori exhibuerat genuinum authenticumque exemplar disputationum cum Patriarcha habitarum, jamdiu a Lewenclavio addita latina versione vulgatum, cujus praecipuas partes in Appendice IV. colligere visum est, quo lectores, quae contentioni subjecta fuerint, plenius edoceantur, simulque pateat, Patriarcham animo ad unionem paratissimo, omni ope ac vi in eam collimasse, cogitasseque de Synodo cogenda omnium sibi parentium

[1]) Integer hic locus in Armenico textu desideratur: et epistola sequenti indictione concluditur.

Episcoporum, quorum suffragiis decerneretur de modo fidei Catholicae in Armenia confirmandae, ac poneretur basis omnimodae stabilisque unionis cum Catholica Ecclesia. Cujus rei testem habemus Epistolam a Patriarcha, absolutis jam cum Theoriano disputationibus, ad Imperatorem missam, quae ceteris in antecessum exaratis integritate et perspicuitate doctrinae valde praestat. Enimvero in aliis praecedentibus epistolis de duabus in Christo naturis ita locutus fuerat: „In secunda vero creatione, unus e divinitate, Verbum Patris, Filius unigenitus descendit in uterum Virginis Mariae, non recedens a sinu Patris quoad Divinam incircumscriptam naturam, et de sanguine purissimae Virginis, quae ex Adami limo, assumens suae copulavit Divinitati inscrutabili et ineffabili commixtione: fitque ex duabus perfectis naturis Divina et humana una persona perfecta, immutabili et inseparabili natura.“ — At in hac tertia Epistola, quae incipit „Majestatis tuae deliberatio“ ita sane melius mentem aperit suam: „Quamobrem haud cum Nestorio unum Christum in duas personas partimur, neque cum Eutychete ejusque adseclis in unicam naturam confundimus; sed duas naturas ex magni Theologi Gregorii sententia dicimus, qui in epistola ad Cledonium adversus Apollinarem ejusque consectaneos duas naturas adfirmat; cujus rei addit causam, quia videlicet Deus homoque est. Recte id sane; nam si Deus tantummodo esset, vel homo tantummodo, recte diceretur unam naturam habere, vel divinam scilicet vel humanam.“ Deinde pervagatam illam B. Cyrilli sententiam „Una est natura Verbi Incarnati“ propriis S. Doctoris verbis adscitis, ita congruenter ad Catholicum sensum edisserit: „Idem Doctor, qui divisionem inferentibus obstitit, contra eos quoque, qui unicam adfirmabant confusam naturam, dicit in epistola prima; considerantes igitur, ut

dixi, incarnationis rationem, duas vidimus naturas inter se convenisse per unionem inseparabilem, inconfuse inconvertibiliter: nam caro utique caro est, non divinitas, quamquam Dei facta est caro. Verbum pariter Deus est, non caro, quamquam idem per oeconomiae mysterium ad se carnem transtulit. Pauloque post ait: quantum igitur cogitatione solisque animae oculis perspicere rationem licet, qua Unigenitus humanatus est, duas esse naturas unitas dicimus, unum Christum filium et Dominum, Verbum Dei humanatum atque incarnatum." [1]) Planum esset alia loca permulta componere, ut ostendatur doctrinae praestantia, qua circa alia quoque doctrinae capita, haec epistola praefulget; sed praefixi brevitatis fines id minime patiuntur. Auctor vero est S. Nerses Lambronensis, eorum particeps quae gesta fuerant, et retro actorum narrator, Theorianum Constantinopolim reversum de priori sua legatione, deque inita cum Patriarcha concertatione tum verbo tum scripto retulisse: S. Patriarchae Armenorum flagrantissimum pro unione reficienda studium tantopere commendasse, oblata etiam ejus epistola, ut Patriarcha, et Imperator Byzantinus, „virique ecclesiastici qui aderant, omnisque aulicorum turma, commentarium disputationis circumferentes, atque huc illuc discurrentes exclamarent: En Patriarchae Armenii praeclarum sapientiae specimen! En rectae ipsius confessionis haud ambigua documenta!" — ut vero inchoatum unionis opus prospere conficeretur, Imperator iterum in Armeniam misit Theorianum praefatumque Abbatem Joannem, datis facultatibus, imo promissis monitis et obtestationibus, ut quoad reliqua a Graecis postulata (Appendix VI.) aequius mitiusque agerent. Hoc modo duobus elapsis annis altera habita est collatio, cujus adjuncta ferme nos laterent,

[1]) Card. Mai, Script. V. Coll. VI. 325.

nisi praeclarissimus Cardinalis Mai, ejus exemplar a pulvere et oblivione vindicatum e pluteis Vaticanae Bibliothecae in publicam adduxisset notitiam, quod et nos primitus Armenico idiomate donatum in usum nostratum deducimus, adjecta latina versione ab eodem Emo. Principe adornata (Appendix V.). Ex epistolis vero Imperatoris, et Hellenici Patriarchae ad S. Nersetem Clajensem, quaedam dumtaxat eaque notabiliora loca derivabimus.

Rescriptum sanctissimi Patriarchae Domini Michaelis, philosophorum supremi, ad praedictum Generalem, nomine potentis sanctique imperatoris nostri Domini Manuelis datum.

„Epistola tua, Generalis reverendissime, ad Majestatem meam delata est, meaque potentia comperit te justitiae viam agnovisse; et, ut ait Scriptura, te discipulum esse factum regni coelorum, similemque homini negotiatori, qui de thesauro suo nova et vetera profert: quippe qui primariis divinisque apostolorum consentiens atque obtemperans traditionibus, patrum quoque posteriora statuta canonumque praescripta sectari decrevisti. Accendisti enim in meditatione tua ignem tuum, recte attenuasti, spiritalique fornaci tradidisti; et siquid inerat splendorem veritatis obscurans, divina flamma excoquendum curasti; quod reapse instar aridi sarmenti combustum est. Jam siquid, adhuc epistolam tuam attente inspicientes, fortasse offendit, id quoque tuae severitatis aequitas, ceu exuberans neque ad perpendiculum quadrans (videlicet tamquam pauca et inobservata zizania inter purum orthodoxiae triticum nota) id inquam utpote scandali occasionem, et ingenuae puraeque mentis quamdam maculam, funditus abrasum abolebit et antiquabit. Quippe quum te habemus, qui gentis caput es, tum reliquis generalibus Synodis tum etiam quartae adsentientem, bonam spem alimus

fore ut reliqua membra conspirent cum capite; ita ut id omne quod laudabilem concordiam distrahit et unitatis vincula dissolvit, utpote alienum et adversum universi corporis compagi, purgatum denique e medio tollatur. Etsi enim praeteriti Armenorum pastores insanierunt, ut ait propheta, cunctusque grex desipuit et dispersus est; attamen qui eis successit cordatus sapiensque pastor palantes congregavit, et aliena mortiferis herbis pascua cunctis demonstrabit minabitque gregem, et spiritali ovili quaquaversus tuto concludet, jucundabitque patrem familias, quia commodatum talentum usuram peperit, et coelestes spiritus de drachma inventa laetificabit . . . . . Jamque adeo laetetur Dei Ecclesia, nostrique et ipsius ecclesiae causa divorum gaudeat apostolorum chorus, patrum sanctorum coetus, fidelium hereditas, cunctique divinae gratiae ministratores. Lugeant Eutyches, et Dioscorus; ploret Nestorius, pudore adficiatur Severus, eique consentiens Timotheus; valeant, quotquot mendacia nobis vobisque, ut scripsisti, obtruserunt. Neque vero nos hominicolae Nestori adsentimur, prava ejus opinione afflati, ut duas unius Christi personas orthodoxo dogmati oggeramus; sed unum Christum confitemur dominum et Deum nostrum in una persona post unionem quoque adorandum, duabus nempe naturis sub una persona inseparabiliter inconfuseque unitis, ex duabus, inquam, naturis et in duabus: naturis enimvero pollere duabus etiam post unionem Christum dicimus atque credimus.

Tuae igitur reverentiae scripta ad Majestatem meam fidei expositio, lecta a nobis est, plenaque sapientiae et veritatis visa, neque ab ecclesiae nostrae fide discors aut devia, praesertim si ejus mens ac veritatis summa consideretur: quamquam aliquando dictio ejus, quae nobis est insolita, legentem vellicat. Nam, quod naturae suae proprietatem immutabilem

inconversamque etiam post unionem retinuerit humana substantia illa, quae de purissima et sanctissima virgine deipara sumpta fuit, omnem tulit dubitationem sanctae et oecumenicae quartae Synodi doctrina ejusque confessio, nec non magni inter sanctos Leonis papae romani epistola, quam orthodoxiae columen ecclesia nostra semper appellavit. Porro quod in hypostatica ineffabili unione, immo et post factam sine mutatione vel conversione unionem naturae ipsae indivisibiliter et inseparabiliter maneant, melius id inquam a nobis dicitur scribiturque, quam quod vos dicitis naturarum mansisse immutabilem et inconvertibilem ostensionem. Etenim accuratis verbis, non periphrasticis, de dogmatibus loquendum est atque scribendum, in iis praesertim regionibus locisve, ubi ambiguum quid suspicatur, vel in controversiam vocari videmus. Ergo Christum dicere ex duabus naturis et in duabus naturis et duas habentem naturas, id demum orthodoxum est et apostolorum patrumque regulae apprime consonum: secus vero si post unionem una in eo praedicetur natura, id manifeste contra rectam et a patribus traditam doctrinam fit; etsi nonnulli student praetextus nescio quos obtendere, et falsi dogmatis deformitatem colore aliquo imbuere verborum persuasibilium, quae recipi prorsus non queunt, propter hujusmodi doctrinae varias salebras et invenustatem. Cur enim opus est hanc ansam stulto errori praebere, occasionemque non incongruam iis offerre, qui spurium dogma sectantur atque tuentur? Quae horum colorum, et contortorum argumentorum, ac veluti excusationum utilitas? Aut cur laborandum est propter hanc vanam et infructuosam circumlocutionem? Sicut enim oportet corde credere ad justitiam, neque absurdo aliquo cogitatu mentem polluere; ita par est lingua quoque ad salutem confiteri, et ne verbo quidem tenus aut syllaba, sive dum scribimus

sive dum loquimur, dictione uti, quae scandali occasio sit. . . . .

Porro imperite falsoque hi, qui ita nugantur, exemplum ab homine sumptum oggerunt. Humanum quippe compositum una natura esse dicitur, quia rerum, unde concretum est, appellationes et nomina haud proprie recipit: neque enim homo proprie anima vel corpus dicitur; neque has appellationes ac nomina naturarum, ex quibus constat, recipit; ipse enim est Deus et homo, has appellationes naturaliter gerens. Non igitur eum quisquam una pollere natura dicat, neque unam post unionem adfirmet naturam. Insuper hominis una natura dicitur, quia de multis atomis subiectum eius componitur, quae atomi idcirco humanae naturae participes esse dicuntur: quam rem de Christo neque dicere licet neque cogitare.

Age vero et ipsum Sanctum Cyrillum in multis suis diversisque scriptis comperimus, sicuti etiam Reverentia tua in datis ad Majestatem meam litteris significavit, duas in Christo post unionem naturas praedicare atque docere. Cur hunc contradictionis veluti accusabimus, dicendo eundem unam quoque adfirmasse post unionem esse naturam? Prorsus enim sive Cyrillum hoc in transcursu, ut videtur, dixisse atque scripsisse credendum est; sive is abusive naturam pro persona posuit, ut ipsum alibi, itemque ex classicis patribus alios fecisse scimus; sive unam naturam de Christi divinitate pronunciavit, ita tamen ut humanam quoque demonstraverit, dum addidit „incarnatam“; sive denique secundum alium quemvis sensum intellectumque aut oeconomiae rationem ita locutus est vir sanctus; minime id certe ad infirmandam rectae fidei doctrinam, et scandalum repugnantiae sibi excitandum fecit. Quum ergo veritas explorata est, in eamque omnes sancti patres doctoresque nostri, magna Sanctae Dei ecclesiae lumina,

conspirent, frustra jam obiicitur atque obtruditur mordicusque tenetur vocula, quae ecclesiam, id est unum Christi corpus, discindit et lacerat" . . . .

Redditis a Theoriano hisce litteris Patriarchae Armeno, suscepta est altera disputatio, quae etsi diutius prorogata fuerit, tamen pro voluntate Imperatoris successit. Nam Patriarcha Concilium Chalcedonense omnino inter Oecumenica recepit, solemniterque promisit, se ab asserenda unica in Christo natura abstenturum: usum miscendi aquam in calice sancte servaturum: pro confirmandorum unctione oleum olivarum adhibiturum: quoad leges disciplinares, ac festorum celebrationem, se ab Ecclesia Catholica nullatenus discessurum: ac denique nulla mora interposita suos Episcopos in Synodum convocaturum ad haec eorum consensu firmanda, litteris invitationis ad eos incunctanter exaratis. — Haec omnia ex praecitato disputationum commentario perspicue eruuntur. (Appendix V.)

Sed alia erat divinae Providentiae dispositio. S. Patriarcha morte praeventus ad coelestem gloriam transivit, antequam ea, quae mente conceperat, in praxim deduceret, sanctissimae haereditatis loco relinquens successori suo Gregorio IV. integrum catholicae fidei sensum, atque inconcussam obedientiam et adhaesionem Romano Pontifici supremo Ecclesiae Pastori, quem ipse venerabatur ceu „Sanctum, omniumque Archiepiscoporum primum Pontificem Romanum et S. Petri Apostoli successorem." [1])

Gregorius IV. Tela, cujus fidei sinceritas in sua Synodali Epistola ad Imperatorem et Patriarcham Constantinopolitanum enitescit, documenta Sanctissimi Decessoris intimis condens visceribus, illius menti

1) Resp. ad prim. Man. Graec. Imper. Ep. — S. Nerset. op. Venet. 1833.

votisque consentiens nihil magis enisus fuit, quam ut opus ab illo inchoatum ad laetum successum perduceret. Etiam ipse Imperatorem hortabatur, ut ad fidei damna sarcienda mentem appelleret, disciplinaria vero capita ad commodius tempus discutienda remitterentur.

Id spectans, omnes suae jurisdictioni subjectos Episcopos an. 1179 in Urbem Rom-cla, ubi residebat, convocavit. Aderat huic Concilio, illudque veluti anima moderabatur doctissimus Archiepiscopus Tarsensis S. Nerses Lambronensis, cui Patriarcha munus demandaverat Orationem Synodalem praehabendi, et quaestionum ac rerum tractandarum ordinem consilii sui lumine dirigendi. Sapiens Archiepiscopus demandatam sibi Provinciam naviter administravit, suaque dicendi ratione doctrinae copia referta, et spiritus oleo delinita, omnium Patrum sibi devinxit affectum.

Ut erat ipse Romanae Sedi devinctissimus, ita orationem suam contexuit, ut ad gignendam unitatem fovendam pacem, animos charitatis glutine copulandos, et catholicitatis centro fortiori nexu adstrigendos foret aptissima. Praemissa ad Patriarcham et Patres Synodi exhortatione, ut ad aedificandam Sion Urbem fortitudinis ac salutis nostrae, impigram alacremque operam ponerent „En, inquit, steterunt pedes nostri in atriis coelestis Hierusalem et nostrum est extollere aedificationem spiritualis templi Dei supra Petrum fundati, et in pluribus locis a Nabuchodonosor excisi. Accipiamus, si ita libet, ante omnia sanctam Dei legem, ejusque incumbamus lectioni. Ad ejus normam, ejusque monitis praelucentibus necesse est, ut hoc coeleste opus aggrediamur.“ Eos deinde ad concordiam vehementer excitans sic prosequitur: „In nobis est fructus Spiritus, qui juxta Apostolum

est charitas, gaudium, pax; numquam in illis, qui iracundia, contentione, livore, invidia tabescunt. Ecquis est adeo plumbeus, quem lateat fructus istius invidiae, quae caecitatem parit et dissidium, *nosque a communione cum tot christianis nationibus, ab earum amore et legibus, ab earum Ecclesia, ab earum consensu disterminat!*" Materiam deinde Synodo praefixam attingens, clare mentem suam aperit relate ad ineffabile Incarnationis Mysterium, duplicemque in Christo naturam." Lugebit igitur, exclamat, super nos Hieremias, sive quivis alius Propheta dolens, et lacrymarum imbre perfusus dicat nobis: Prophetae tui Israel, viderunt tibi falsa, et stulta, et pro veritate figmenta tibi praenuntiarunt. Odii et livoris fundamentum, Christum, mediatorem pacis constituamus. Oh nos igitur vere miseros, vere lugendos! Caput anguli conversum est in murum divisionis, lapis ille angularis, qui facit utraque unum. Fuit hoc falsorum prophetarum opus. Quomodo igitur lugebant super nos discipuli veritatis? . . . Hi enim semper fuerunt, et adhuc sunt divisionis osores, duplicisque naturae Christum agnoscunt, non alia certe mente, nisi ut Ipsum verum Deum, verumque hominem fateantur, et pessimam Eutychetis haeresim averruncent, exsecrentur. Unum quippe idemque est, Jesum Christum Deum hominemque confiteri, eumque duplicis naturae asserere. In priori sententia essentiae continetur ratio, ejusque definitio, in altera ejusdem perhibetur essentiae sine definitione confessio. Qui ergo Deum hominemque confessi sunt, duas naturas unius Personae profitebantur. . . . . Hoc scimus et confitemur, neque respuimus gratiam Salvatoris nostri Dei, quae est Verbum caro factum. Dicimus unam Verbi Incarnati naturam, ut ineffabilis unitionis Mysterium contra Nestorium majori vi adstruamus. Sed ajentes Verbum, illudque incarnatum, diversarum naturarum

proprietates juxta S. Cyrillum asserimus. Neque enim dicimus Verbi Incarnati unam naturam, ut proprietates utriusque essentiae permisceamus, ut ipsi calumniantur, sed ob ineffabilem conjunctionem duplicis naturae in hypostasi Verbi, integris manentibus proprietatibus Divinitatis et humanitatis. Dum ergo dicimus unam naturam, locutione illa unionis declarationem exprimimus, non naturarum definitionem, hoc enim est impossibile . . . locutio illa, qua unam dicimus naturam Verbi Incarnati, est declaratio ineffabilis unionis hypostaticae, non naturarum extinctio: expressio nominis, non essentiae definitio.„ — Deinde objectioni occurrens —“ Eccur inquiunt, nemo id hucusque declaravit, quin potius contrarium docuit? Hujus rei examen, inquit, soli Deo relinquimus; equidem nostrates non pauci in eamdem concessere loquendi rationem, nonnullos veteres sanctos imitati; at ea subinde homines indole contentiosi abusi sunt, et qui ad veritatis et pacis defensionem facerent contemnentes, ea voluerunt et scriptitarunt, quae magis ad errores et inimicitias fovendas conferebant“ . . .

Heic vero quibusdam recensitis Armenis Doctoribus, qui duas naturas propugnarunt, Johanne scilicet philosopho, Esdra, Vahano Patriarchis, et S. Gregorio Narecensi, ad propositum rediit aitque:

„Quod si quidam sunt, qui his bellum indicerent, quos ego probe novi, audio, nec ignoro, quid ipsi sentiant, et licet a quibusdam sapientes ac sancti habeantur, non tamen eos video exemptores legis charitatis. Ipsi revera somniis indulgentes, minime dubitarunt Ecclesiae Christi unitatem lacessere, et arroganti incedere supercilio. Utinam, quod oro, Deus veniam ipsis de hoc immani flagitio impertiat, nec reminiscatur quae illi patrarunt ad hoc infandum malum augendum. Exinde nullus alius emersit fructus

praeter contemptum nominis Christi, quem nunc a multis fieri cum maximi animi dolore conspicio. Ex assidua cum hisce hominibus consuetudine, odium in christianas nationes et Ecclesias pro natura in ipsis inolevit: et dum calumniis et maledictis proscindunt, et detestabilem irae cupiditatem explent, in animum sibi inducunt, Christi se sumere vindicias. Oh! nunquam satis deflenda calamitas!" — Deinde doctissimus Orator gradum faciens ad controversias, et discordias circa observantiam Festorum ac praeceptorum disciplinarium, „Festa, inquit, et rituales traditiones ex amore Dei ortum duxerunt, non ex his Dei dilectio progignitur. Est igitur incongruum ad ista disciplinae capita mordicus retinenda id pessumdare, in cujus gratiam sunt instituta. Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, Chrisma sanctificans, Festa Dominica, et alia id genus institutiones signa sunt, et causae effusae super nos Redemptoris gratiae. Quid igitur nobis expedire magis videtur? Mutare materiam (nempe oleum sesami, quo Armeni aliquando utebantur in confirmatione), ad aliud tempus Festa remittere (Festum Nativitatis Domini, ad 25 Decembris), vel, ne fiant mutationes, pacem abrumpere Ecclesiae! Nonne potius convenit ad voluntatem Domini nostras actiones componere, qui cum Sabbatum ad hominis quietem sanctificasset, fas tamen judicavit, eo ipso die ad hominis medelam et salutem operari? An judaicis superstitionibus adhuc detinemur? Sedulo, Fratres, a tali agendi ratione caveamus, ne Verbum Dei etiam nos redarguat tamquam eos hypocritas, qui ut nostras traditiones statuamus, irritum facimus mandatum Dei. Etiam nos Isaiae exprobratio feriat? „Hypocritae, ait Dominus, bene de vobis prophetavit Isaias dicens, Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. Sine causa autem colunt me docentes doctrinas et mandata hominum". [1]) Prosequitur S.

[1]) Math. XV. 7—9.

Archiepiscopus ad examen revocans quaestiones circa rituum et festorum observantiam obortas, et orationi synodali finem imponit hisce commoventibus verbis „Ista omnia vitantes, Fratres mei, quoniam nunc Sanctum Concilium Pontificum divinitus coadunatum componitis, os nostrum aperiamus, et attrahamus super hoc opus divinum, ad quod conficiendum vocati sumus, Spiritum illum Sapientiae supernae, quae libera imprimis est, sancta, pacifica, mansueta, docilis, plena misericordiae, bonorum fructuum productrix, et cum pace iis donata, qui pacem inquirunt. Hoc bonum semen seminantes, Fratres mei, in animabus nostris, fructum colligemus in aeterna vita cum omnibus sanctis .... Advenit jam tempus, in quo sapientes agricolae poterunt infoecundos ramos de Christi vinea auferre, et superflua folia removere. Hodie Veritas nostra, et Misericordia Dei obviant sibi et palam per totum orbem justitiam, et pacem annuntiant."

Absoluta oratione, Patres ibi coacti, sanctissimo Praesuli concinentes, spiritu concordiae et unitatis catholicae Fidei repleti, omnes ad unum, videlicet Gregorius IV. Armenorum Patriarcha, *Catholicos* Aluanorum, Archiepiscopi novem, unus et viginti Episcopi demptis Abbatibus, et Sacerdotibus fidei catholicae professionem ediderunt, cujus deinde duo exemplaria apprime similia instar epistolae Synodalis alterum Imperatori Manueli Comneno, alterum Patriarchae Constantinopolitano transmiserunt. In hac fidei professione explicita declarabant, duas in Christo adesse hypostatice conjunctas naturas, duasque voluntates, et operationes divinam nempe et humanam: amplexi sunt Concilium Chalcedonense, declarantes se inhaerere doctrinae, ac sequi fidem omnium Conciliorum oecumenicorum, quae anathema dixerunt

Ario, Paulo Samosateno, Macedonio, Nestorio, Eutycheti, ceterisque haereticis cum impiis suis dogmatibus. En juverit pauca quaedam exscribere ex hac synodica epistola: In hac fide fundati veneramur orthodoxam, atque divinitus revelatam vestram confessionem, quam amplexati sumus, et in nostris generalibus sessionibus perlectam, deprehendimus consonam SS. Ecclesiae Patribus: ideoque mea parvitas, hujusque Synodi Patres per praesentem compendiariam fidei confessionem vobiscum unanimes et uniformes existimus, et cum omnibus ecclesiis orthodoxorum christianorum hanc eamdem fidem profitentium. De aliis quoque capitibus, quae in controversiam venerant, Patres consenserunt: atque ita unio cum Ecclesia Catholica rursus sancita fuit. — Acta istius Synodi Rom-clani non extant, sed alia suppetunt autentica documenta praeparatoria ad Synodum, quibus quaestiones jamdiu inter Graecos et Armenos agitatae in ordine ad religiosam unionem perficiendam illustrantur, nec ingratum erit legentibus, si ea inseramus in App. VI. cum versione latina Clementis Galani [1]) errata quidem et sphalmata corrigentes.

Excerpta superius relata e sermone Lambronensis fidem faciunt, fuisse in Armenia factionem ex quibusdam compactam dissidentibus in negotio religionis, qui nullo pacto componi poterant cum aliis recte sentientibus. Horum coriphaei erant quidam falsi doctores, qui dicebantur Zorogetenses, Sanahnenses, Halbatenses, Anienses, et ejusdem furfuris schismatici, contra quos acriter invehuntur sancti et a Deo illuminati Patriarchae, et Doctores Ecclesiae Armenae. Gregorius IV. Patriarcha et S. Nerses Lambronensis, quibus praeiverat S. Nerses Clajensis, vehementer connisi sunt qua litteris, qua exhortamentis, hanc nebulonum turbam Christo conciliare, sed omnes eorum curae paterno affectu illis exhibitae parum profuerunt. Nihilominus Catholica fides Chalce-

[1]) Conc. Eccl. Arm. P I. 351.

donensis in Synodo Rom-clajensi confirmata, tam late progrediebatur, ut centum post annos, unus ex ducibus schismaticorum Stephanus Urbelian [1]) conquereretur, quod universa Armenia et Georgia chalcedonensi lue inficeretur.

Non in his tantum beneficiis suae nationi procurandis Apostolica perillustris Viri sollicitudo conquievit, sed ad illud se porrexit, quod erat maxime optandum, ut Ecclesia Armena per omnem juncturam subministrationis suo Capiti jungeretur: quod ut obtineret, Gregorium antistitem Philippopolitanum, cum Epistola, obedientiae et submissionis teste, ad Romanum Pontificem Lucium III. legatum misit. Is Veronam se conferre debuit, ubi Pontifex eo tempore morabatur, a quo et honoroficentissime exceptus est. Cohaerenter ad missionis finem, de concordia Armenorum cum Ecclesia Romana graviter accurateque tractatum fuit, ita ut Apostolicae Sedis votis et juribus congruebat; idque satis comprobavit Pontifex, dum in peculiaris benevolentiae signum, infula, et pallio Patriarcham muneravit, eique rescripsit Epistolam, cujus heic damus excerptum, quod P. M. Ciamcian ex antiqua versione (a Lambronensi) Armenice exarata vulgavit.“ [2])

Lucius Episcopus, Servus servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Gregorio Patriarchae, omnibusque Archiepiscopis, et Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, praesulibus Ecclesiae cunctis, clericis omnibus, universoque Armenorum coetui, Salutem et apostolicam benedictionem. Omnibus Christum colentibus benedictionem concordiae, incorruptae fidei confessionem, non ea carnis et sanguinis, sed ea

[1]) Ciamcian Hist. Arm. T. III. 138.
[2]) Hist. Arm. III. p. 142.

Spiritus Sancti revelatione. [1]) . . . Quapropter et vos, dilecti Fratres et filii, qui in gremio hujus vestrae Matris quiescitis, fidemque ejus recolentes, unionem cum ipsa in omnibus diligitis, atque conglutinati in omni veritate, omnibusque bonis operibus estis, Deum orate beneficentissimum, ut unum cum eodem sitis; atque participes bonorum ejus coelestium effecti, cum petra illa, capite angulari, quae duos muros simul conjunxit, atque ex duobus unam extruxit domum, conjungamini. Hoc super fundamento, cui conjunxistis fidei aedificium, curare sapienter et vigilanter, ut in cultu quoque Dei nos imitamini, debetis. Cum vero fidei professio apud vos prorsus sit recta, quae sunt in re disciplinari imperfecta, ea vos perficite. [2]) . . Sicut enim fulgida iniquas inter gentes fide splendetis, ita nihil inter vos in Sacrosancto missae sacrificio festisque diebus mancum reperiri, neque, ut ullus vestrae decorem fidei obscuret defectus, pati vos oportet. Nos vero disciplinae nostrae statuta omnesque recte agendi rationes cunctis Christianis sincere ostendere debemus, vosque in immaculata, quam tenetis, fide peramanter complectimur; et quotiescumque vestras aut litteras recipimus, aut legatos videmus, magna et spiritus et carnis perfundimur laetitia, vosque progredi atque augeri in fide ac pace gaudemus, quippe rerum vestrarum veritatem accepimus ex relatione Archiepiscopi Philippopolitani Gregorii, Fratris nostri veri, a vobis ad nos deputati, quem meritis prosecuti sumus honoribus: laudesque illi, qui infideles ac impias inter nationes infinitos ex

[1]) Deinde (inquit praefatus P. Ciamcian) exponit Pontifex, inconcussam soliditatem Ecclesiae a Christo Domino super Petri fide fundatae, ostendit amorem, quo Sedes Apostolica ceu Mater universas filias ubique terrarum diffusas amplectitur, atque ita subjungit etc.

[2]) Hic Pontifex benigne urget traditionem ab Apostolis acceptam, et a Patribus observatam de aqua sacro Calici infundenda, hortaturque ut Festum Nativitatis Domini die XXV. Decembris celebratur. (Nota praedicti P. Ciamcian.)

christianis cultores sui nominis conservat, eo quod vosmetipsos bene habetis, cum gratiarum actione persolvimus. Ei itaque benedicimus in terris, ac in coelis gaudium est inter angelos aeternum. Nunc ergo vos coetumque vestrum affectu, amore ac benevolentia Ecclesia haec Romana tuetur. Tibi, Frater Patriarcha, sacra haec Ecclesia ornamenta homophoram, pallium, inter omnia honorum insignia primum, ac mitram, qua ego ipse utebar, misi; ut quemadmodum eis a nobis receptis hic decoreris, ita ad futurae animeris vitae gloriam consequendam. . . . Post haec te uti supremum Ecclesiae istius caput rogamus, ut oleum sanctum in feria quinta sanctae hebdomadis, nos imitati, qui semel in anno consecramus, benedicatis; eodemque et sacras baptismatis aquas perfundatis, et baptizatos signetis, et lapidem sacri altaris ungatis, et sacerdotum manus episcoporumque capita obliniatis, cujus virtute quique in suis obeundis muniis roborentur. Episcoporum autem ordinationes die peragite dominica, ea enim super apostolorum coetum descendens Spiritus Sanctus, eos, ut evangelium universo terrarum orbi praedicarent, misit; Sacerdotes vero, diaconos ceterosque clericos, die sabbati quatuor anni temporibus ordinate, siquidem et Apostoli praemissis jejuniis et oratione, manus super discipulos posuerint. Itaque si haec perfeceritis, nulla in re separati a nostris disciplinis eritis, nobisque in Dei cultu facti participes filii Patris coelestis erimus. Quare, dilecti fratres, haec quae superius scripsimus, firmiter recipite tota fide ac obedientia, ut per hanc, qua nobis obsequimini hac in re obedientiam, ii, qui vestro subduntur moderamini, obtemperantes nobis — una coeleste regnum consequamur.

Datum Veronae Die tertia Decembris.

Tandem Summus Pontifex, ut Patriarchae viam ad exequenda monita et consilia, quae in Epistola peramanter exposuerat, complanaret, per eundem Archiepiscopum Philippopolitanum, rituales et pontificales libros Ecclesiae Romanae eidem transmisit.

Gregorius IV. cum Patriarchalem Sedem tenuisset 20 annis, ex hac vita decessit, eique successere duo Gregorii V. VI aliique, qui omnes Petri sedem debito honore, et obsequio prosequentes Romanorum Pontificum experti sunt benevolentiam et charitatem, in bonum et prosperitatem tum spiritualem, tum temporalem Armenorum redundantem.

Romani Praesules nil intentatum reliquerunt, ut Armenos in sanis dogmatibus continerent, et populum a servitutis jugo et oppressione liberarent. Summa, qua pollebat Innocentius III providentia ac perspicacia, amissum regnum in Sobole Rubenidum ipsis restituit, sceptrum et coronam Leoni Principi attribuens per Archiepiscopum Moguntinum Imperii Romani Cancellarium; atque hujusmodi Regnum sicut Romanos Pontifices conditores habuit, ita eosdem continuo nactum est propugnatores ac Patres. Haec omnia a Romanis Pontificibus beneficia in Armenos conlocata, nonne etiam si sola spectentur, debuerunt nostros homines ad amorem, venerationem, fidelitatem erga Petri Cathedram impellere, gratosque animi sensus nunquam interituros in ipsis excitare?

Ita quidem veteres nostri Patriarchae affecti erant erga Romanos Pontifices. Enimvero videamus, quosnam grati animi sensus ostenderet Gregorius VI. cognomento Apirati, scribens ad Pontificem Innocentium III.

Vobis, qui estis Caput post Christum, consecrati ab eo, et caput Catholicae Ecclesiae Romanae: matris

omnium ecclesiarum, adeo prudentes et sancti, ut debetis esse in loco Apostolorum sublimis Papa, et vobis sanctis Archiepiscopis, Episcopis, Cardinalibus, presbyteris, clericis et omnibus, qui sunt de Vestra Sancta Ecclesia, salutem et fraternitatem. Pax Dei sit inter Vos. Gregorius homo Jesu Christi per gratiam Dei Catholicos totius Ecclesiae Armenorum, filius Vestrae Sanctae Ecclesiae, quae est fundamentum legis totius Christianitatis.

Sciatis, quod nos Archiepiscopi, Episcopi, presbyteri et clerici oramus Jesum Christum, qui est Caput omnium nostrum, ut servet vos et vestros ab omnibus malis; quia cum Vos, qui estis caput, estis incolumes, nos qui sumus corpus, bene valebimus per vestram benedictionem. Noveritis Domine, quod ad nos venit nobilis, sapiens et sublimis Archiepiscopus Moguntinus, qui nobis attulit ex parte Dei et ex parte Sublimitatis Ecclesiae Romanae, et ex parte magni Imperatoris Romanorum sublimem coronam, et coronavit Regem nostrum Leonem, et nobis reddidit coronam, quam nos perdidimus a longo tempore. Unde nos fuimus elongati a vobis, et nos recepimus eam libenter, et cum magno gaudio; et nos inclinamus, et gratias agimus Deo et S. R. E. et alto Imperatori Romanorum. Sciatis, Domine, quod ipse nobis monstravit vestra praecepta; et nos ea multum libenter audivimus, et libenter volumus legem et fraternitatem sublimis Ecclesiae Romanae, quae est mater omnium ecclesiarum, et nos solebamus eam habere, et nunc eam habemus, et libenter volumus esse ad vestrum mandatum. Et firmiter sunt ad mandatum vestrum omnes Archiepiscopi, Episcopi, et omnis Clerus nostrae ecclesiae, qui sunt in nostris terris, et sunt multi per Dei gratiam. Et nos rogamus Vos, ut oretis Deum pro nobis: quia nos sumus in ore draconis, et

in medio inimicorum Crucis, et inter eos, qui sunt naturaliter inimici nostri. Et nos rogamus vos per Deum, quatenus nobis mittatis tale adjutorium, tale consilium, quod nos possimus conservare honorem Dei, et Christianitatis et vestrum. Quia postquam nos sumus vestri, et vos estis memores nostri, efficiatis tantum erga nos, quod nos gratiam referamus Deo, qui nos redemit sanguine suo, et quod gratiam agamus Sanctae Cruci Domini nostri, qui fecit totum mundum. Jesus Christus defendat Vos, et omnes vestros ab omni malo, et nobis det vestram benedictionem [1]).

Hic jam sponte se offert occasio ut aliquid breviter delibemus de Monasticis Armenorum ordinibus, qui SS. Patrum doctrinam presso gradu sectantes, Sedi Apostolicae Romanae medullitus inhaerebant.

Ante Saeculi VII dimidium, et deinceps videmus monasteria nostratum Romae instituta prope trophaea Principum Apostolorum, ad Vaticanum inquam, ubi Petrus crucifixus, et ad aquas Salvias, ubi Apostolus Gentium Paulus capite plexus fuit; ut propterea miranda sit Divina Bonitas erga Armenos, qua factum est, ut ipsi ad celeberrima Christianae Religionis monumenta quodammodo excubias agerent, eaque fidelibus ex omnibus terrae plagis confluentibus commonstrarent, seque socios eorum pietati adjungerent. Revera in actis Concilii Lateranensis anni 649 ista legimus: „Talasius Abbas Presbyter Venerabilis Monasterii Armenissarum (lege Armenorum), in hac Romana Civitate constituti [2]), qui appellantur Renati,

[1]) Apud Innoc. III. Ep. 206.

[2]) *Θαλάσιος πρεσβύτερος καὶ ἡγούμενος τῆς εὐαγοῦς μονῆς τῶν Ἀρμενίων τῆς ἑνδατε παροικούσης εἰς τὴν ἐπιλουγομένην μονὴν Ῥενάτου καὶ Γεώργως πρεσβύτερος καὶ ἡγούμενος τῆς ἐυαγοῦς μόνης τῶν Κιλίκων τῆς ἑνδατε παροικούσης εἰς τὴν ἐπιλεγουμένην Ἀκουας Σαλβίας καὶ οἱ σὺν αὐτοῖς πάντες εὐσεβεῖς ἡγούμενοι καὶ μοναγοντες ἔμπροσθεν τῆς ἁγίας συνόδου παραστάντες, εἶπον.*

et Georgius Abba Presbyter Venerabilis Monasterii de Cilicia [1]), quod ponitur in aquas Salvias [2]), quod in hac Romana Civitate habitare dignoscuntur, et qui cum eis sunt Reverendissimi Abbates, et Monachi adstantes coram sancto Concilio dixerunt . . . etc.“

In Cathalogo antiquissimarum Urbis Ecclesiarum, circa dimidium saec. XIV. exarato reperimus, in locis Vaticanae Basilicae proximis aliud Monasterium Monachorum Armenorum. „Oratorium Sancti Jacobi de Harmenis habet duodecim fratres.“ — Jam saec. XIII. et XIV. una ex viis Vaticano adjacentibus ab Armenis (del' Armeni) nominabatur ob Ecclesiam S. Gregorio Illuminatori dicatam [3]), cujus rei mentionem injecit Innocentius VII. in Bulla an. 1406. Huic Monasterio praefuisse putatur Abbas Lazarus Stephanus Vanensis ille, cujus memoria occurrit in monumento sepulcrali Monachi Mechitharis defuncti an. 1246, quod videre licet in Musaeo Christiano Lateranensi. Epitaphium lingua et characteribus Armenis insculptum hunc habet sensum, — „Aerae Armenae [4]) anno DCXCV erecta est Crux ista in propitiationem Mechitharis, et parentum suorum in Paternitate Stephani Lazari Vanensis. Qui adoratis, mementote in orationibus.“ Cruci subjacet inscriptio latine insculpta, „Haec Crux consecrata est.“

Quod si ad Aquas Salvias pergimus sacrum illud solum invisere, quod Beatissimi Pauli sanguine maduit, invenimus antiquissima, ac valde insignia monumenta recens effossa idiomate litterisque Armenis impressa, quae indubitatam fidem faciunt, Monachos

1) Putat Galletti in Principio p. 36 legendum esse „Sanctae Luciae.“

2) Nempe ut hodie dicunt ad Tres fontes, ubi Paulus Martyrium fecit.

3) Mallius . . . . Martinellius, Ciampinius . . . .

4) Aerae communis 1246.

Armenos saec. XIII. et XIV. ad illius praeclari Sanctuarii custodiam habitasse. Vir Cl. Commendator de Rubeis primus omnium duo monumenta nuper detecta ad tres fontes in publicam notitiam eduxit. Horum alterum positum fuit Memoriae Stephani cujusdam qui an. 1267 ex hac vita migravit atque hoc breve praesefert epitaphium. = Stephanus = Memoriae Stephani.

Aerae Armenae DCCXVI. (Vulg. 1267.)

Alterum longe majoris momenti, et propter annorum notas, et nomina Monachorum ad historiam illustrandam aptius, inscriptionem exhibet Armenicis litteris comprehensam, quae latine ita reddi potest:

Aerae Armenae ann. DCCLIV. (commun. 1305) die VII. Maji erectum est hoc signum S. Crucis nomine Sacerdotis Vardani religiosi Eremitae, qui obiit in Christo die XI. Aprilis, quae dominica erat Palmarum; et Frater ejus Gregorius monachus, qui est aedituus (ecclesiae) Decapitationis S. Apostoli Pauli erexit hanc S. Crucem intercedentem pro ipsis et pro aliis eorum fratribus. Qui visitatis hoc Sanctuarium petite, veniam a Christo pro Supradictis et (memoramini) mei miseri constructoris hujus crucis (id est) Franci lapicidae, parentumque meorum, et Christus misereatur vestri, Amen.

Equidem ex historia Ecclesiastica edocemur, per eam aetatem Monachos latinos Cisterciens habuisse Monasterium, proximum loco Martyrii B. Pauli. Jamvero inspecta arctissima conjunctione Ecclesiae Armenae cum Romana, inspecta etiam pene familiari consuetudine qua Armeni Monachi et Latini utebantur, prout ostenditur ex historia Fratrum unitorum Armeno-Dominicanorum, et ex actis Synodi Sisensis anno 1342, cui subscripserunt plures Doctores

Armeni FF. Minorum, prout etiam exinde eruitur, quod Rex Armenus Haito Seraphici Ordinis institutum amplexus est, aliusque Rex Armenus ejusdem nominis, inter Premonstratenses se Deo devovit, videtur inferri posse coexistentia Monachorum Armenorum cum Cisterciensibus prope locum B. Pauli Apostoli Martyrio consecratum. Quin et Regulae S. Benedicti Patriarchae Monachorum occidentalium a S. Nersete Lambronensi in Patrium Sermonem translatae innotuerant Monachis Armenis ad eorum aedificationem; ejusque versionis adhuc nonnulla fragmenta supersunt.

VII.

Continuatio numquam interrupta unionis Armenorum cum S. Sede apostolica.

Est autem omnino extra controversiam, quod non semel animadvertimus, saeculo XIII. Patriarchas inter Armenos et Summos Pontifices maximam intercessisse necessitudinem per epistolarum commercium manifestatam: seque mutuis paterni amoris et filialis devotionis et obedientiae significationibus excepisse. In alio a nobis edito opusculo [1]) fusiori calamo haec persecuti sumus multaque maximi momenti documenta huc pertinentia perstrinximus; nunc e re nobis videtur quaedam loca ex Epistola Innoncentii III. ad praedictum Patriarcham Gregorium VI. et ad Patriarcham Joannem VII. producere, in quo et orthodoxi eorum sensus clare patescunt, et paterna Pontificis benevolentia, qui insignibus omnino privilegiis Patriarcham decoravit.

Catholico Armenorum (Patriar. Greg. VI.) Quod die ac nocte in lege Domini meditaris, ex

[1]) Cathedra S. Petri principis Apost. Armenice. Viennae, 1853.

litterarum tuarum tenore cognovimus. . . Sane licet didiceris ex verbis Apostoli, quod omnes unum Corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, et in quod cunctos, quos sacri baptismatis unda regenerat, fratres facit, quoniam unus est Pater noster, qui est in coelis prout in Evangelio Veritas protestatur, in Nobis tamen, qui Beato Petro successimus, Christianae Fidei Magisterium recognoscis. Unde secus fontem scientiae nostrae, ac praeceptorum legis, et Ecclesiae crescere desideras, et nutriri. . . . Et licet loco quidem a nobis remotus existas, fide tamen nobis gaudes tam te, quam Armenicam Ecclesiam couniri, cum ex illo sitis ovili, de quo Dominus in Evangelio protestatur, alias inquiens oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus Pastor . . . Gavisus igitur quod Mater Ecclesiarum omnium, quae totum orbem sua irradiat claritate, et catholicam Armenorum Ecclesiam bono corde respiciens voluit consolari, in hoc illud impletum intelligens, quod inquit Petro Dominus: Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos, asseris quoque quod ab Ecclesia Romana fidem ab initio Armenica suscepit Ecclesia, quam tu et Episcopi tui, et grex tibi et ipsis commissus non minuistis in aliquo, nec auxistis, sed sicut accepistis, sic usque hodie inviolabiliter observatis, ejus tenentes consuetudines secundum Sanctorum Patrum praecedentium instituta. Nos igitur, qui diligere debemus proximos ut nos ipsos, de tuae fidei puritate gaudemus in Christo, et te velut venerabilem Fratrem nostrum et magnum Ecclesiae Dei membrum gerimus in visceribus charitatis, ac charissimum in Christo Filium Nostrum Leonem Regem Armenorum illustrem honorare disponimus, et universam Armenorum Ecclesiam, utpote filiam Sedis

specialem, specialiter confovere . . . . Monemus igitur Fraternitatem tuam, et exhortamur attentius, et per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus in Divini nominis timore persistens, et Apostolicae Sedis Obedientia perseverans, praedictum Regem, et universam Armenorum Ecclesiam in lege Domini, et nostra devotione confirmes, et eis sicut per alias litteras nostras mandavimus, formam Apostolicae remissionis exponas [1]) . . . .

Etiam Joannes VII. Patriarcha (1202—1220) similibus observantiae debitae relationibus erga Romanum Pontificem obstringebatur, a cujus liberalitate per manus Card. Petri titulo S. Marcelli inter festivas demonstrationes, clero populoque spectantibus, sacri Pallii munere decoratus fuit. Occasione hujus sacrae celebritatis Cardinalis Legatus, Patriarcha, et Rex Leo II. de variis constitutionibus edendis inter se convenerunt, quibus sancitis, et communi voluntate firmatis, Patriarcha et Rex seorsim per litteras iisdem fere verbis conceptas totius negotii R. P. Innocentium III. participem effecerunt. Et Joannis quidem Patriarchae epistola hisce continebatur sententiis (anno 1205):

. . . . „Accedentes Domino Petro tituli S. Marcelli Presbytero Cardinali Legato Vestro, ex injuncta sibi legatione ad partes Catholicatus (Patriarchatus) nostri, ubi illi, ob reverentiam cum clero, et grege a Deo nobis commisso obviantes, quanta potuimus honorificentia illum suscepimus, et mutuis communicantes complexibus, et alloquiis per manus ipsius S. R. E. et Vobis secundum litterarum vestrarum tenorem obedientiam, et venerationem exhibuimus, atque Pallium a Vestra Beatitudine delegatum

[1]) Baluzius, Epist. Innocent. III. Lib. V. Ep. 45.

solemnitate celebri, ac cum omni humilitate suscipientes promisimus in ordine nostro singulis quinque annis per nuntios Sanctam Romanam Ecclesiam tamquam Matrem, et Magistram omnium Ecclesiarum visitare, et in Conciliis cismarinis adesse,[1]) et quod in eisdem Concilia celebrari nobis absentibus vel nuntio nostro non deberent ab utraque parte statutum est. Institutiones S. R. E. in parte suscipimus, et in parte propter absentiam suffraganeorum longe lateque diffusam induciantes, et quia non sine magna personarum deliberatione hoc fieri potest, convenientibus Praelatis nostris vel majori parte ipsorum in uno tempore constituto, ipsorum ab assensu, ne in Ecclesia scandalum oriretur, constitutiones vestras, in quibus concordaremus, suscipere proposuimus.[2])"

Est etiam notatu dignissima Epistola Innocentii III. ad Leonem Regem, cujus, ne longiores simus, contenti erimus sequens excerptum heic apponere:

. . . „Accepimus enim ex litteris, quas regia Nobis serenitas destinavit, quod cum Regnum Armeniae alligatum Sedi Apostolicae obedientiae vinculis recognoscas, illud sicut non debebas, ita neque volebas obligari cuilibet alteri Ecclesiae Latinorum. Unde petebas tibi per litteras Apostolicas indulgeri, ut praeter Romanum Pontificem nullus latinus in te vel Regnum tuum vel homines Regni tui sive latinos, sive alios cujuscumque conditionis, excommunicationis aut interdicti possit sententiam promulgare. Volentes igitur, quantum cum Deo possumus, tuae serenitati deferre, et cum honestate nostra petitiones regias exaudire, tuis precibus inclinati auctoritate

1) In epistola Regis ad Pontificem legitur „In cismarinis Conciliis seu in persona propria, seu per nuntios suos interesse."

2) Baluzius, Gesta Innoc. III. CXVII.

praesentium inhibemus, ne quis in te, vel regnum tuum, aut homines regni tui cujuscumque conditionis existant, qui mediantibus tamen ejusdem Regni Praelatis sedi Apostolicae sunt subjecti, praeter Romanum Pontificem, et ejus Legatum vel de ipsius speciali mandato districtionem ecclesiasticam audeat exercere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae inhibitionis infringere.[1])

Ita etiam historia constat quadraginta septem solidos annos, quibus Constantinus I. sedem Patriarchalem occupavit (1220—1267), viguisse continuam pacem et concordiam inter Ecclesiam Armenam, et Catholico-Romanam.

At vero quidam abusus iterum Armenae Ecclesiae sese inserere coeperunt, inter quos praecipue notanda omissio administrationis sacramenti extremae unctionis graviter decumbentibus, etc.

Tum laudatus Patriarcha Romani Pontificis impulsu Episcopos in Synodum Sisensem IV. an. 1243 convocavit ad hujusmodi gliscentes abusus praecidendos. Leges disciplinares in Synodo latae XXV Canonibus comprehenduntur, qui maximopere urgent et commendant executionem praecepti Divino-Apostolici de extrema unctione aegrotis conferenda.

Epistola Synodalis Patriarchae, quae ad nos usque pervenit[2]), proclamat memoratos Canones quos in Append. VII. referemus.

Constantinus I. alterius etiam Synodi Sisensis V. (anno 1251.) celebratione inclaruit, in qua ad Patrum

[1]) Baluz. Acta Innoc. III. CXIV.

[2]) Cod. Arm. Mns. Farnesiani Prop. Fid. = Bibl P. P. Mechitharistarum Vindobonens.

notitiam detulit intimationem Pontificis, qua nimirum exigebatur explicita professio Processionis Spiritus Sancti etiam a Filio. Supremo Fidei Magistro morem gesserunt Patres universi, et mentis assensum dogmati proposito clara linguae confessione prompserunt. Ecclesia Armena jam inde a suis primordiis, et a S. Gregorio Apostolo, qui saeculo IV. floruit, haud absimilem fidem retinuerat.[1]) Doctor Vardanus, qui in Synodo aderat ejusque historiam descripsit, haec posterorum memoriae prodidit:

„Anno 700 aerae Armenae (h. e. 1251 aerae commun.) Magnus Papa Innocentius quaestionem proposuit, atque omnibus nationibus, quae christiano censentur nomine, datis litteris indixit,[2]) ut profiterentur Spiritum Sanctum Deum esse a Patre Filioque procedentem. Non placuit id Syris, Graecis et Georgianis (?); acquieverunt Armeni, qui per Theophilum Doctorem Vanacanum sententiam antiquorum Patrum perscrutantes, repererunt, dogma a Pontifice propositum doctrinae Virorum illustrium, Athanasii, Gregorii Theologi, Gregorii Nisseni, Gregorii Illuminatoris, aliorumque sanctitate et gloria praestantium consonare.“ Nullum itaque dubium, quin haec doctrina esset Armenorum propria; sed tamen dissidentes, qui superiorem Armeniam incolebant, parere detrectarunt: turbas ciere coeperunt contra Synodi definitionem, ac dissensionis spiritu in multitudinem injecto, etiam circa puram doctrinam de Processione Spiritus Sancti a Filio error insiliit; quique ex Armenis — deceptoribus studuerunt, in aequivocas Graecorum commentationes abeuntes, ab his etiam verba flexiloqua, sensusque futiles mutuarunt.

1) „Pater ex se, Filius ex Patre, et Spiritus Sanctus ex ipsis in ipsis.“ Est ipsamet confessio Illuminatoris. Vide Agathangel. Hist. Arm.

2) Notanda verba historici Armenii „Magnus Papa scripsit ad omnes nationes Christianas, ut profiterentur, etc.“ quin earum consilium vel suffragium requireret.

Iam olim a tempore Gregorii Martyrophili consueverant Armeni Patriarchae Pallium, quo uterentur, a Summo Pontifice recipere, etiam Patriarcha Constantinus I. suorum decessorum exemplis insistens Pallium a Summo Pontifice imploravit; et Gregorius IX. illud aliaque insuper dona concessit, addita luculentissima epistola, in qua prae ceteris haec verba attentionem merentur, · · · „Petitum a te Pallium, tuo, quod olim antecessoribus tuis fuit ab Apostolica Sede concessum, jam quasi prae nimia vetustate consumpto, sicut iidem nuntii exponere curaverunt, necnon mitram, stolam, annulum in signum Apostolicae dilectionis et gratiae, ac tuae devotionis indicium fraternitati tuae per nuntios mittimus antedictos.[1])

Constantino I. defuncto (1268) post aliquos Patriarchas anno demum 1292, Patriarchalem Sedem conscendit Gregorius VII. Anavarsensis vir intaminata fide, et coelesti sapientia celebris, qui Majorum vestigia premens indivulsae communionis foedere, et litterarum officio Apostolicae Sedi addictissimus fuit. Summorum Pontificum, et conscientiae vocibus excitatus omnem pastoralis curae vigilantiam et flagrantissimum zelum convertit ad abusus, in sacramentorum administratione invectos, stirpitus convellendos. Nihil vero ei magis cordi fuit, quam ut clerus sibi in animum induceret obligatione se teneri observandi in sacris ministeriis traditiones Apostolicas, et leges universalis Ecclesiae, quod ut facilius assequeretur, secum ipse deliberavit de Synodo convocanda, in qua juxta canonicas sanctiones de disciplina instauranda, aliisque reformationibus inducendis decerneretur, quibus Ecclesiae Armenae splendor augeretur. Ut aliquo praesidio suffultus coeptum consilium ad felicem exitum perduceret, epistolam sane longam,

[1]) Raynald, 1239. §. 83.

spiritali unctione perfusam, direxit ad Regem Haitonem II. patrem, principem piissimum, qui vale dicto hujus saeculi dignitatibus, ac regia corona deposita, in Fratrum Minorum Ordinem cooptari voluit; quapropter et in Armenos universim et penes Filium Leonem IV., qui regni habenas susceperat, existimationis et auctoritatis pondere plurimum valebat. In hac epistola, quae egregiae fidei et rectitudinis ejus documentum exstat locupletissimum [1]), id maxime enititur, ut Rex intelligat necessitatem adducendi Ecclesiam Armenam ad omnimodam uniformitatem quoad Apostolicas traditiones cum Ecclesia Romana, ad quam necesse est omnem particularem Ecclesiam convenire propter illius potiorem principalitatem. Infusio aquae in calice offerendo ex Apostolica traditione descendit, ab universali Ecclesia frequentata: nefas igitur Armenis ab illius se observatione subducere, quam ceteroquin Magnus eorum Parens S. Gregorius Illuminator, et qui eum consecuti sunt proximis praesertim temporibus S. Nerses Clajensis Patriarcha, et S. Nerses Lambronensis Archiepiscopus, Doctor Ecclesiae Armenae, non modo probaverunt, sed etiam religiose servarunt. In eadem Epistola, mentem suam patefacit, inducendi nonnullas disciplinares reformationes, quas praematura morte abreptus perficere nequivit; sed quaecumque ipse apparaverat, duarum Synodorum Sisensis an. 1307 et Adanensis an. 1316, sanctionem ac suffragium meruerunt.

Ut rerum in his Synodis gestarum, quarum utraque in Ecclesiae Armenae fastis celebratur, aliquam ideam animo informemus, simulque perspicue probemus Patres, qui ad illas confluxere, quaestiones

1) Galanus, — Conc. Eccl. Arm. publici juris fecit.

in medium allatas, non primoribus ut ajunt labiis attigisse, sed funditus excussisse, nec nisi rerum causis pervestigatis, et imi cordis persuasione sanctiones edidisse, satis erit decurrere acta, ac statuta, quae a nobis integra exhibentur,[1]) una cum latina versione Clementis Galani, a mendis praecipuis, quibus identidem inspersa erant, perpurgata.

In priori Synodo habita Sis, Urbe totius Regni Principe, in Ecclesia Cathedrali S. Sophiae, an. 1307. aerae communis, Armenae vero 756, die 19. Martii, Dominica Palmarum, lecta littera pastorali Gregorii VII. Patriarchae, placuit Patribus:

I. Ut reciperentur omnes Septem Synodi generales, et quidquid in illis a S. Patribus decretum fuit, praesertim circa duas naturas, voluntates et operationes Christi.

II. Ut festivitates dominicae uniformiter cum praefatis Ecclesiis Catholicis solemni ritu celebrarentur, nempe festum Annuntiationis XXV. Martii, quacumque die contigerit, similiter festum Nativitatis Domini XXV. Decembris, ac festum Purificationis II. Februarii, ceteras autem Sanctorum festivitates juxta Menologium Armenum: et Assumptionis Deiparae XV. Augusti, et exaltationis S. Crucis XIV. Septembris.

III. Ut Illae, quas peculiari nostra traditione celebrare solet Ecclesia Armena, eodem prorsus modo imposterum, sicuti nunc observentur.

IV. Ut trisagium cum additione „qui crucifixus es“ ita decantaretur: „Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, Christe, qui crucifixus es pro nobis, miserere nostri.

[1]) Vide Append. VIII., IX.

V. Ut in vigiliis Dominicae Nativitatis, Baptismi seu Epiphaniae et Resurrectionis piscibus tantum et oleo, juxta morem Rom. Ecclesiae uti fas esset.

VI. Ut in Sacrosancto Missae sacrificio parum aquae vino misceretur.

Hisce constitutionibus subscripserunt triginta sex Episcopi, Doctores (Vardapetes) decem, Abbates septem, sequenti declaratione subnexa:

„Quapropter nos omnes hic pleno Concilio congregati Episcopi, Doctores, Patres Coenobiorum, adstantibus piissimo Rege nostro Leone, ac Barone Baronum Magno Haitone Regis Patre, cum fratribus suis, ceterisque Armeniae Principibus atque Patriciis, et sacro populo, una simul consentientes, reverenter suscipimus Sancti Patris (Gregorii VII. Patriarchae) mandata, epistolamque tamquam veracem Apostolicum Canonem, atque Constitutionem, in omnibus Ecclesiis Armenorum confirmavimus observari. Et quamvis hae sacrae traditiones dominicarum festivitatum, quae priscis antea temporibus a Sancto usque Illuminatore nostro Gregorio in Ecclesiis Armenis extiterant, earumque observatio complures perduraverat annos, impostea exsoleverint, eas nihilominus in praesentia, misericordia et gratia Dei, atque opera Patriarchae Gregorii, piissimique Domini nostri Leonis denuo recipimus, et in pristinum restituimus: sumusque modo cum in festorum celebratione, tum in omnibus aliis rectis constitutionibus omnino *cum Sancta, et Catholica Ecclesia Magna Romana*, aliisque verum profitentibus et orthodoxis Ecclesiis Jesu Christi concordes. Praesenti autem hujus sanctae Synodi decreto nemo audeat in posterum adversari, aut contrarius apparere, ne poenas incurrat, partemque cum haereticis sortiatur, iis maxime, qui pro fru-

mentaceo pane, quo ad Christi Corpus conficiendum sancta utitur Ecclesia, panem hordeaceum, aut pro vino ad conficiendum Sanguinem Christi, aquam solam in Mysteriis sacris usurpant. Utque magnum Sacrae hujus Sanctionis decretum, firmum semper atque immutabile perseveret, fuit a cunctis, qui in hac sancta Synodo convenimus Episcopis, Doctoribus, et Abbatibus propria manu subscriptum, praesertim a Magno Rege nostro Leone, atque a Barone Baronum Haitone, et fratribus suis ceterisque Armeniae Magnatibus. Editum vero fuit anno Armenorum 756 die 19 mensis Martii in die festiva Palmarum in Civitate Sis Metropolitana in magna Ecclesia S. Sophiae.

Concilio absoluto, Episcopi pacifice ad suas dioeceses remigrabant ita animo comparati, ut quidquid adversarii oblatrarent, et contra niterentur, ipsi praescriptiones Synodales ad praxim deferrent; sed magna obstitit ac luctuosa calamitas. Rex nempe Leo IV. et Pater ejus Haito, et principes regio sanguine sati, proditorie necati fuerunt a Duce exercitus Tartari, quorum armis Regni protectio commissa fuerat. In tali rerum discrimine [1]) cum omnia in ea regione sus deque verterentur, certi schismatum fautores ansam inde arripuerunt, seditionum tumultus in Armenia superiori concitandi; et praecipue rebellionis vexillum in Synodum Sisensem extollentes, multos e clero et populo in partem sceleris traxerunt, de quo graviter conquesta est Synodus Adanensis. [2])

[1]) In hisce tristissimis rerum adjunctis, Sergius Hierosolymitanus, excusso jugo Patriarchae debitae subjectionis, contra Ecclesiae leges, naturali etiam repugnante aequitate Aegyptium Turcarum Imperatorem adivit, ab eoque decretum extorsit (1311) quo renuntiabatur Patriarcha Armenus Hierosolymitanus, quo titulo, ejus successores se jactarunt, et usque hodie intumescunt.

[2]) Vide Append. VIII.

Ossinus Princeps regiae stirpis, ut ad solium pervenit illico legatos ad R. P. Clementem V. misit rogatum opem et consilium in ea deterrima rerum conditione. Ab eo in spem erectus, et animo confirmatus, opportunum putavit per Synodi convocationem ingravescenti malo occurrere. Itaque an. 1316 Adanae in Ecclesia Regii Palatii convenerunt Patriarcha Constantinus II., septemdecim Episcopi, duo Abbates, Rex, ejusque frater, octo e Regni Optimatibus, et magno numero Sacerdotes ac Monachi. Patres Synodi et Patriarcha uno ore, eademque sententia rata habuerunt omnia decreta anteactae Synodi Sisensis, et leges disciplinares a Patriarcha Gregorio VII. latas, quibus sequentes addiderunt:

I. Ut Missae sacrificium supra corporali conficiatur.

II. Ut in Ecclesia sint Clerici juxta uniuscujusque ordinis gradum initiati: ut liquet ex Actis [1]), quorum pauca exhibere abs re non erit.

„Verum enimvero diabolus, qui veritatis et pacis adversarius est ac perpetuus inimicus, unionemque Corporis Ecclesiae Christi odio habet, sicuti olim tempestuosis gentilium agitationibus et incursibus Sapientiae Dei domum evertere satagebat, viros quosdam insipientes, ac veritatis oppugnatores, iterum pullulare fecit, Constitutionis hujus veritatem subvertere, atque nostram, quae cum orthodoxorum Ecclesiis erat concordiam dissolvere, et emoliri: imo quidquid a Sanctis Patribus de dominicis festivitatibus aliisque traditionibus decretum fuerat, vanum reddere et irritum. Quapropter hic illic discurrentes veros illos canones, qui in Metropolitana Civitate Sisensi in templo sanctae Sophiae Ecclesiae nostrae traditi et con-

[1]) Vide Append. IX.

firmati fuerant, abolere conati sunt, asserentes eos Constitutionibus Apostolicis, et S. Illuminatoris Gregorii traditionibus esse contrarios. His autem nugatoriis, et adversantibus verbis complures ex incauto populo decipientes a veritate hujus Constitutionis averterunt, quibus etiam in conciliabula convocatis aliam, contra traditiones Ecclesiae Catholicae et Apostolicae, sectam tuendam proposuerunt. Quae quidem omnia cum ad Ossini pientissimi Regis nostri aures pervenissent, Rex incunctanter missis ad sacrosanctum Patriarcham Constantinum nunciis, haec omnia illi significavit, iterum generale Concilium per omnem suae ditionis locum indixit, mandans cunctis Episcopis, Doctoribus, et Abbatibus, ut in unum simul convenientes rem totam accuratius pertractarent, veritatem patefacerent, atque malum ex medio tollerent, sicut inquit Apostolus: Auferte malum ex vobis ipsis: nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Et alibi: Ne qua radix amaritudinis rursum germinans impediat, et per illam inquinentur multi. Quamobrem in celebrem et regiam Civitatem Adanam in templum Divi Minasi, quod Regio Palatio adjunctum est, in Magna Transfigurationis Domini nostri Jesu Christi solemnitate una simul nos omnes convenimus (Hic sequuntur subscriptiones Patrum, Regis et Principum, quibus haec subjungitur declaratio). „Nos igitur omnes sacrae scripturae testimoniis, traditionibus ss. Patrum, atque orthodoxorum conciliorum definitionibus diutius adversus homines illos disceptantes, perspicue demonstravimus, falsam, vanam, commentitiamque eorum esse doctrinam: memoratam vero sanctorum conciliorum, et Patriarchae nostri Gregorii traditionem omnino justam, veram, rectamque comperimus; neque ut ipsi inaniter effutiebant, sed potius Illuminatoris nostri sancti Gregorii consonam, et Canonibus

apostolicis valde consentaneam eam esse perspeximus. Quapropter in confirmationem Decreti Magni Concilii Sisensis, et nos hic una congregati Episcopi, Doctores, Abbates, definiendo praecipimus, ut ejusdem praecedentis Concilii mandata, atque decreta ab omnibus summo in honore et reverentia, non secus ac evangelicae et Apostolicae Constitutiones habeantur, omnesque in eo rescriptae traditiones atque ordo festivitatum celebrandarum indefectibiliter in Armenorum Ecclesiis observentur. Eos autem qui vel huic nostro, vel praecedentis Concilii decretis et ordinationibus quomodolibet adversentur sive ecclesiastici illi sint, sive saeculares, *per Divinum Spiritus Sancti mandatum a Catholica et Apostolica Romana Ecclesia separamus, atque rejicimus; quin et a nostro sancto grege et ovili repellimus, quousque ad poenitentiam revertantur.* Quare nemo in posterum audeat hujusce nostrae definitionis veritati contrarius apparere, ne Domini et Dei nostri Jesu Christi damnationem, ac punitionem in hoc, et futuro saeculo incurrat. Porro autem ut hoc nostrum decretum firmum semper, ac stabile permaneat, Nos omnes hic congregati Patres, tradito supra signum sanctae Crucis et sacra Evangelia juramento, nomina nostra in fine illius propria subscripsimus: idemque proprio uniuscujusque sigillo consignavimus. Hic iterantur Patrum subscriptiones.

Hac ratione, peracta sunt Deo auxiliante intra decennium duo Concilia, quae apud Armenos et rerum Christianarum scriptores celeberrima habentur, in hisque agger irrumpentibus malis objectus. Praesertim vero nova sanctio apposita dogmati Catholico Incarnationis Dominicae, et legitimae administrationi Sacramentorum; et confirmatio unionis cum Sede Romana Romanoque Pontifice totius Ecclesiae

Pastore, ac Principe. Maxima sunt bona, quae ex gemina illa synodo profluxerunt.

Rex Ossinius statim a synodi celebratione misit legatos, Jacobum Episcopum Capanensem,[1]) Gregorium interpretem (dragomanum) duosque milites Stephanum et Girardum ad Joannem XXII, qui tunc universae Ecclesiae gubernacula tenebat, ut de negotiis regni agerent, deque rebus in Concilio gestis ad unionem cum Petri cathedra roborandam accurate referrent. Joannes XXII jam certior de omnibus aliunde factus, in sua ad Regem Epistola (1318) laudat ejus ardorem pro Ecclesiae catholicae amplificatione et unitate, ejusque S. Romanae Sedi adhaesionem commendat; sed volens praeterea ipse per se de Orthodoxia Armenae Ecclesiae experimentum sumere, examini subjecit Episcopum Capanensem, qui non renuit fidem suam veluti omnium Armenorum nomine scripto traditam Pontifici exponere. Joannes XXII. Episcopo vehementer ex animo gratulatus, rescripsit ad Principem hisce verbis, quae pariter testatum faciunt, duas praecedentes synodos inter Clerum, populumque Armenum, sectariis licet renitentibus, altas radices egisse. „Quam utique fidem, inquit Pontifex, praefatus Episcopus super hoc interrogatus a nobis, non sub involucro aut verborum ambagibus, sed clare, ac pure fuit professus ibidem, idque te ac tuos asseruit corde firmiter credere, et ore simpliciter confiteri, quod tenet, et docet Romana Mater Ecclesia.“ Nihilominus notat Pontifex Ecclesiam Armenam in administratione sacramentorum a Romana quoad duo discrepare: „I. Quod eorum simplices sacerdotes Confirmationis conferunt Sacramentum, quod apud nos soli conferre debent Episcopi. II. Ipsi etiam sacerdotes oleum, quod infirmorum dici-

1) Raynald. ad an. 1318. IX.

citur, consecrant pro sacramento unctionis extremae,[1]) cum tamen apud nos ad Episcopos spectet: „Hortaturque Armenos, ut, quavis differentia sublata, plene ac perfecte Romanae Ecclesiae cohaerere velint. Addit Pontifex praelaudatum Episcopum Capanensem, sibi assensum praestitisse ac declarasse Ecclesiam Armenam, pro qua legatione fungebatur, una cum Patriarcha, Primatum honoris et jurisdictionis B. Petri in omnes ejus successores transeuntem agnoscere, ac venerari. Romanaeque Cathedrae plenum obsequium impendere. Initio saeculi XIV. talis erat unio inter Armenos et Ecclesiam omnium Matrem ac Magistram, ut paulo post Joan. XXII Regem Ossinium postulaverit, ut locum satis amplum in civitate Adjacensi Fratrum Praedicatorum Alumnis assignaret,[2]) qui inibi commode commorari, et scholas aperire possent instituendis latinis etiam litteris adolescentulis, qui deinde rite formati idonei essent sacrarum disciplinarum interpretes, bonorumque studiorum in Armenia cultores et satores.

VIII

Status rei religiosae in Armenia barbarorum potestati subjecta.

At vero Armeniae Regnum a barbaris ac saevissimis hostibus subactum, in praeceps corruebat: Regia auctoritas, vix civili ordini servando, et perturbationibus cohibendis satis erat. Potestati ecclesiasticae quotidie deficiebant vires ad religiosa componenda dissidia, quae a flagitiosis, ac turbulentis hominibus salutiferae Ecclesiae actioni continuo

1) Ex quo apparet usum extremae unctionis infirmis conferendae: Vid. praescriptiones Synodi Sisensis an 1243. sub Constantino, I. Patriarcha.

2) Raynald. ad an. 1318. XIV.

obsistentibus, et originem duxerant et alebantur. Attamen in tanto contentionis aestu Fides, et unitas Catholica sarta tecta manebat adeo ut a Synodi Adanensis (1316) celebratione viginti septem elapsis annis, Episcopi in concilium coacti in Civitate Sisensi an. 1343 protestati fuerint,[1]) se duarum praecedentium Synodorum Sisensis nempe et Adanensis fidei, ac doctrinae firmiter inhaerere. Per idem tempus etiam penes alias finitimas gentes Chaldaeos, inquam, Syros, Persas revixerat, et vividius incaluerat Spiritus Fidei, et unitatis cum Ecclesia Romana. Missus fuerat a Summo Pontifice ad praedicandam Persis evangelicam veritatem B. Bartholomaeus Parvus O. P., cujus zelus ac labores, Divina gratia aspirante, admirabilem in illis regionibus sortiti sunt effectum. Postquam consecratus fuit Episcopus Magalensis, fama illius Apostolicae praedicationis undique regiones conterminas occupaverat. Quidam Doctores Armeni zelo ferventiores, inter quos Joannes Chernensis doctrina insignis, illius sanctitatis, ac sapientiae opinione commoti ad eum audiendum contenderunt, utque eo duce magis proficerent, pergratum sibi fore dixerunt, si in Armeniam pergere dignaretur, idque enixis precibus rogarunt. Apostolicus vir eorum se voluntati permisit, simulque profecti in oppido Chernae consederunt, ubi 30 circiter Armeni Doctores multique alii sapientiae studiosi, eo duce in ordinem religiosum coaluerunt, Fratrumque unitorum nomen sibi indiderunt[2]) an. 1328. duodecim a Synodo Adanensi elapsis annis, ad regulas S. Augustini, et Constitutiones[3]) S. Dominici vivendi modum attemperantes.

[1]) Raynald. ad. an. 1341.

[2]) Duobus post annis Chernensis Romam profectus est ad limina Apostolorum.

[3]) Galan. Conc. Eccl. Arm. P. I. 508.

Sub Pontificatu Innocentii IV. trigesimo ab institutione anno, quinquaginta Monasteria in Armenia possidebant, in quibus degebant 700 homines fere omnes Armeni hujusmodi institutum amplexi.[1]) B. Bartholomaeus paulo post ad Sedem Archiepiscopalem Nachigevanensem (Armenorum) evectus fuit, atque in sodalitate a se fundata, quamdiu ea stetit, (tercentis nimirum annis) successio ad illam Sedem perduravit.[2]) Fratres uniti late progressi sunt Theodosiae sive Kaffa in Chersoneso. Nihil in ipsis vituperatione dignum fuit, nisi quod nonnullos ritus pro libitu commutaverint, et ad Latinorum formam redegerint, Missale Dominicanorum Armenice verterint, eisque in Sacramentorum administratione usi fuerint, et etiamnum quibusdam in locis utuntur. Id fortasse in ipsis quispiam redarguat; sed minime dissimulamus, illis temporibus et Regno et Ecclesiae iniquissimis, praeclara omnino emolumenta in christianam Rempublicam ex Congregatione Fratrum unitorum manavisse, quum Leo VIII. postremus Rex sub infidelium captivitate gemebat, et Ecclesia divexabatur perversis machinationibus paucorum utique, sed audacium sectariorum Tadevensium et Orotnensium, eorumque similium, qui doctoris titulo perperam gloriantes, falsis dogmatibus voce ac scripto in vulgus disseminatis, inconsutilem Christi vestem dilacerare tentabant, nullumque lapidem non movebant, ut a Romani Pontificis obedientia populos avocarent. Hi omnes perditissimi homines Sacrum Chalcedonense Concilium abjicientes, pariterque S. Leonis M. epistolam dogmaticam et Primatum

[1]) Ex. Archiv. P. P. Domin. Romae.

[2]) Paulus P. P. III. vi Bullae an. 1344, privilegium Archiepiscopi eligendi concessit octo Provincialibus Ordinis F. F. Unitorum, parique numero Magnatibus Provinciae Nachigevanensis = Fontana, Theatrum Dominic. p. 617.

jurisdictionis Rom. Pontificum aspernantes, unam in Christo naturam, unicam voluntatem et operationem praedicabant: adesse locum expiandis animabus nondum plene purgatis, post hanc vitam negabant: negabant etiam cum Graecis schismaticis processionem Spiritus Sancti a Filio, ritum immittendi aliquantulam aquam in calice omittebant, persequentes qui haec admittebant. In his furore ac pertinacia praecipui memorantur etiam Vardanus a Monte Nigro, Mechithar Ischevrensis, aliique. Non ergo miramur, si qui advenae ad hujusmodi flagitiosos homines accessissent, eorum doctrinam omnibus Armenis communem putantes, scandalum passi, prae solertiae, ac discretionis inopia, saepe saepius totam Armenicam Ecclesiam in crimen haeresis ac violatae fidei apud S. Sedem traduxerunt. Hujus generis erat libellus, qui merito infamatorius dici potest, centum continens ac septemdecim errores Armenorum genti injuriose affictos, Summoque Pontifici Benedicto XII. (1342) oblatus. Ab hisce calumniose impactis criminibus, eodem jubente Pontifice, Patriarcha Mechithar, se suamque gentem expedivit, coacta eodem anno Synodo Archiepiscoporum sex, duorum supra viginti Episcoporum, Doctorum quinque, septemdecim Abbatum, Archipresbyterorum etc., prout constat ex responsione Synodica laudato Pontifici exhibita.[1]) In eam porro responsionem qui oculos conjecerit, is facile sibi persuaserit, et illata Armenis crimina proprio marte ab accusatoribus fuisse excusa, vel ab aliis in alios translata, et in Armeno Episcopatu Fidem catholicam illibatam servari, et plebem fidelium juxta Regulam ambulare.

Praestiterit hujus Apologeticae Scriptionis aliquod excerptum lectoribus exhibere:

[1]) Ed. Martene, Vet. Script. et Monum. Collec. T. VIII. p. 310.

»In nomine, in gloria Dei Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Amen. Anno Incarnationis Domini MCCCXLII. honorabilissimus Pater Dominus Benedictus XII., Sanctissimus Pontifex Romanus, misit ad Ecclesiam Armenorum libellum unum de erroribus, quos errores dicebat se audivisse de aliquibus detractoribus Ecclesiae; ideo paterna pietate rogabat Catholicon et Regem Armenorum petendo ab iis, ut cum Synodo antistitum Ecclesiae Armenorum suprascriptos errores praedicti libelli audirent, cum examinatione condemnarent tamquam inimicos Catholicae fidei, ut fides orthodoxa Catholicae Ecclesiae sine quocumque errore teneatur, praedicetur et colatur et in partibus Armenorum sicut in Ecclesia Romana. Ideo ego Dominus Meequitar (Mechithar), quamvis indignus tamen Providentia Divina Catholicos omnium Armenorum, de voluntate et consensu gloriosi Domini Constantini, gratia et electione Dei, Regis omnium Armenorum, venerabilium principum ejus, et diligentium Christum, etiam cum consilio et adjutorio omnium Episcoporum, Magistrorum, Abbatum Monasteriorum, aliquorum aliorum Ecclesiasticorum virorum idoneorum, qui sunt hi:*)

*) *Archiepiscopi:*

Dominus Basilius Sissensis
Dominus Vardan Tarsensis
Dominus Stephanus Anavarsensis
Dominus Marius Caesareae Cappadociae
Dominus Basilius Iconiensis
Dominus Simon Sebastiensis

Episcopi:

Dominus Basilius de Parteport (Barzerberdensis)
Dominus Gregorius Actarensis
Dominus Joannes de Leace (Asasensis ?)
Dominus Moises Campanensis (Capanensis)
Dominus Joannes de Mathekar
Dominus Gregorius Germanicensis.

Dominus Basilius Anguriensis (Ancyranus)
Dominus David Joronensis
Dominus Daniel de Themisca
Dominus Stephanus Trapisanensis (Trapisundinus)
Dominus Paulus Coquanensis (Kokisonensis)
Dominus David Camando
Dominus Gregorius Masgajem
Dominus Mesrobus de Sorcanant
Dominus Gregorius Tartugae

Episcopi vero Palatini:

Dominus Joannes
Dominus Constantinus, et alius
Dominus Joannes
Dominus Stephanus

Et Episcopi de Curia Catholicu:

Dominus Sergius
Dominus Basilius
Dominus Gregorius, et publicus
Notarius Dominus Basilius

Et Magistri (Vardapetes) Ecclesiae sunt isti:

Daniel de Ordine Minorum lector Sisi
Basilius lector de Magueguar
Joannes Magister domus Catholicu
Magister Stephanus
Magister Nerses de Porsenant

Et Abbates Monasteriorum sunt hi:

Joannes Abbas de Agner
Karapet Abbas de Cirorim
Thomas Abbas de Moismos
Stephanus Abbas de Quessedan
Joannes Abbas de Polor
Constantinus Abbas de Sessernat
Hierabiet (Hairabet) Abbas S. Romani
Joannes Abbas Kail de Kayliogu
Leon Abbas de Quemenquecon
David Abbas de Perger

De ordine Sacerdotum idoneorum sunt hi:

Leon Archipresbyter palatii Regis
Jacobus Archipresbyter Sisi, et alii sacerdotes

Basilius Archipresbyter de Athana (Adana) et alii sacerdotes

Deodatus Archipresbyter de Tarso, et alii sacerdotes

Constantinus Sacrista etiam Sacrista majorum Ecclesiarum

Constantinus de Sancta Sophia Ethenuacinae et alii Canonici ejusdem Ecclesiae.

Congregati simul legimus et audivimus libellum errorum et falsitatum, quem in omni parte sua examinavimus, et separavimus veritates orthodoxae fidei, et Sacramentorum Sanctae Ecclesiae a falsis et variis erroribus, quos nobis imposuerunt, sicut quemlibet in Articulis errorem, ubi memoratur, manifestamus piissimo et sacratissimo Patri nostro Domino Clementi Papae Romano, successori praememorati Domini Benedicti, et Apostolicae Sedi ejus, scilicet fidem et Sacramenta Sancta secundum ritum et modum, secundnm quem habuit Ecclesia Armenorum, et nunc et habet, et confitetur. Et errores aliquorum Armenorum, quae quandoque demanaverunt, tamen a nobis non recipiuntur, sed spernimus semper et condemnamus errores haereticorum alienigenorum, quos non tenuimus nec habemus, et quos alias non audivimus, quos false nobis inposuerunt condemnavimus omnes cum anathemate, sicut semper apud nos anathematizati sunt. Et haec patet in praesenti libello malorum in cujus principio dici hoc. . .“

(Relate ad Processionem Spiritus Sancti haec est Patrum sententia.)

„Articulus I. II. . . Item sciendum est, quod quando Processio Spiritus Sancti determinata fuit *a Filio* sicut a Patre per Ecclesiam Romanam, quamvis Graeci contrarii fuerint, tamen Magistri Armenorum cum Synodo receperunt, sicut invenitur apud nos in historiis, quae sunt in Majori Armenia; sed

nomen Papae, qui misit, manifeste non habemus; et in Minori Armenia tempore Regis Magni Hecon (Haiton) et Catholicu Domini Constantini, Gregorius Papa misit Legatum, et mandavit per epistolam dicere et confiteri Spiritum Sanctum procedere a Filio sicut a Patre, et ipsi cum concilio receperunt et consenserunt, sed post tempora unionis nostrae cum Ecclesia Romana magis declaratum fuit, et dispersum (divulgatum) in tempore Esyn (Ossini) regis, et Domini Constantini Catholicu. Illud vero quod dicunt, quod de novo uniti Ecclesiae Romanae dicant processionem a Filio sicut et a Patre, verum est."

(Relate ad Chalcedonense Concilium PP. docent:)

„Articulus III. Sciendum est, quod Dioscorum ideo aliqui tanquam sanctum receperunt, quia audierunt sicut scriptum est, quod Concilium Chalcedonense recepit haereses Nestorii, et dictus Dioscorus contrarius fuit Concilio Chalcedonensi quasi zelator veritatis. Ideo excomunicaverunt Concilium Chalcedonense, et Papam Leonem quasi divisores veritatis Ecclesiae, et cum Canticis semel in anno laudant ipsum Dioscorum sicut testem veritatis. Et hoc faciebant quando ignorabant veritatem, sed postea, scientes veritatem, cessaverunt a quinquaginta annis citra in Cilicia et in Armenia Majori, qui obediunt nobis, et dictum Canticum extraxerunt de libris, et novum Canticum composuerunt pro S. Synodo Chalcedonensi."

Novum hoc canticum inventum fuit extremis hisce temporibus in codicibus Armenis; quod nos in lucem edere utile ducimus.

Verbum fit caro
incorporeus fit corporeus
unicus in persona
in duabus naturis; passus in cruce.

incorruptus deponitur sepulcro.
Nestorium anathematizarunt ejusque impuram sectam.

Sancti et spiritu Sancto inspirati
Concilii Chalcedonensis Patres
se magno numero collegerunt jussu Dei
atque explanantes regulam Sanctae Fidei
unam personam in Salvatore et duas naturas confessi sunt.
Eutichen anathematizarunt ejusque impuram sectam.

Acephala phalanx monophysitarum,
multas animas dividentes a sancta lege Domini
imaginariam dixerunt Dei Incarnationem;
sed sancti Patres muniti armis Spiritus Sancti
reveriti sunt epistolam Sancti Leonis;
anathematizarunt Dioscorum ejusque impuram sectam.

Sancti Patres unanimes exclamavere;
S. Petrus loquutus est ad aures Sancti Leonis;
qui suam scripsit epistolam, nobisque fidem monstravit inconcussam;
messem collegit a bonis operariis satam;
recedant e grege phalanges monophysitarum.

(Relate ad visionem Dei beatificam:[1])

„Art. VII. et VIII. Citra quamvis verborum ambagem fatentur Patres Synodi, animas justorum non expectato extremi judicii die, si nulla peccati labe detineantur, statim a corporis morte in Paradisi gaudia admitti, ibique Deum facie ad faciem videre, sicut angeli vident ut habetur Evangelio in Matth. c. XV.

1) Accusatio his verbis exponebatur: — „Item dicunt et credunt dicti Armeni, quod Christus descendens ad inferos, praedicavit ibi, et illas animas, quae ei credere voluerunt, justificavit; illas autem, quae ei credere noluerunt, in suo peccato reliquit. Exiens autem ab inferis, omnes animas, quas ibi invenit, sive essent bonae sive malae, inde eduxit, et posuit eas in isto aëre et terra, et circa Paradisum terrestrem; ubi erunt usque ad finale judicium.“ — Nemini dubium, quin haec esset opinio quorumdam Doctorum schismaticorum Vardani et Ischevrensis, Tadevensium, et Orotnensium, eorumque sectatorum: ea vero nullatenus insidebat Ecclesiae Armenae, quae rectam semper retinuit, ac retinet fidem circa hoc doctrinae caput. Ita in publicis of-

(Relate vero ad Purgatorium ita declarant:)

„Art. XVII. Hoc verbum per unum modum verum est, et per alium non. Quod si aliquis accipiat solum nomen Purgatorii, tunc verum est, quod Armeni a parvo tempore citra intellexerunt Purgatorium. Si vero dicant animae peccatrices, quae cum fide, spe et contritione et confessione exiverint de mundo, non tamen cum perfecta poenitentia, in alia vita nullam poenam sustinebunt pro peccatis non satisfactis, in aliquo loco vel aliquo tempore, hoc falsum est. Et per hoc patet, quod Armeni proprie pro uno defuncto, et pro multis statim post mortem, et post tempora per seipsos faciunt, et aliis faciunt facere vigilias, eleemosynas, et missas, et mediantibus istis petunt a Deo pro defunctis remissionem peccatorum, a tormentis liberationem, et haereditatem Regni coelorum . . . “

Tandem candide fatentur duas sedes Altamarensem et Aluanensem, quarum neutra ab altera pendebat, et se invicem Patriarchales appellabant, perfracte veterem erroneam doctrinam defendere, et hoc ipso demonstrare se a vera sede Patriarchali descivisse. „Nunc autem ista est differentia inter nos, et eas, quia nos ponimus aquam in sacrificio, et facimus festa Nativitatis XXV Decembris, et dicimus in Christo duas naturas unitas in una Persona Filii Dei, et recipimus S. Synodum Chalcedonensem, et

ficiis, ut alia praeteream testimonia, profitetur: „Sedens Christus non modo supra vivificum stipitem (Crucem) sed etiam in Cherubico curru, descendit ad inferos, et vitam potenter adtulit justorum coetibus.“ Quapropter impactam criminationem Patres Synodi merito ut falsam et iniquam repulerunt, et catholici dogmatis confessionem errori illi opposuerunt. Attamen, praefati nugaces pseudo-magistri, errantes et in errorem mittentes, ulterius progressi sunt, suisque obcoecati praejudiciis Purgatorium esse negarunt, prout et nunc schismatici Armeni inficiantur, et animabus justis, etiam plane purgatis e corpore egressis, non statim reddendam, aeternam gloriam sed intra mansiones quasdam detentis ad extremi judicii diem differendam esse, commenti sunt.

confitemur Purgatorium et agnoscimus Primatum Ecclesiae Romanae, sed ipsi secundum antiquam consuetudinem non ponunt aquam in sacrificio, et faciunt festum Nativitatis et Epiphaniae sexta Januarii, et dicunt Christum perfectum Deum, et perfectum hominem, tamen unam naturam propter ineffabilem unionem secundum verbum Cyrilli, qui dixit, quod una est natura Verbi incarnati, et adhuc non recipiunt Concilium Chalcedonense, neque nomen Purgatorii audiverunt, nisi de quinquaginta annis intra et non agnoscunt Primatum Ecclesiae Romanae."

Clemens VII., tunc Avenione residens, hoc documento accepto scripsit ad praefatum Patriarcham Mechithar epistolam, in qua Episcopis et ipsi Patriarchae gratulabatur pro orthodoxa doctrina, quae in trasmisso litterarum exemplari relucebat.[1])

Cardinalis Pallavicinius in sua historia Concilii Tridentini (sess. XXIV.) testimonium facit fidei catholicae Armenorum Insulae Cypri quae semper sub jurisdictione erant Patriarchae Armenorum tempore adamussim dicti Mechitharis. [2])

Quamobrem Ecclesia Armena in praestantissimo suo Pastore et in Episcopis orthodoxa declarata est ab ipso summo Fidei Magistro. Erant, ut saepe diximus, in ipsa natione homines a recto tramite divertentes, et improbitate temporum fiebat, ut Pastores animarum destituerentur mediis et auxiliis, quibus et contumacium temeritatem compescerent, et a commisso sibi grege periculum abigerent seductionis et ignorantiae,

[1]) Raynald. ad an. 1346 LXIX.

[2]) Mocenigo Arcivescovo di Nicosia e primate di Cipri: il quale insieme, affinchè non si potesse dubitare della retta fede, che tenevano i suoi Greci, produsse Autentica e richiese, che si ponesse fra gli atti del concilio la professione fattane si da Vescovi di quel Regno, come anche dagli Armeni e dai Maroniti in un sinodo provinciale di Cipri sotto Elia patriarca l'anno

quod sane maximum imminebat ob deterrima rerum adjuncta, et barbarorum incursiones, qui in excidium Christiani nominis conjuraverant.

VIII.

Armeni ad Concilium Oecumenicum Florentinum se conferunt, eique intersunt.

Talis erat Armenae Ecclesiae status; quo tempore Eugenius saluberrimum, ac pene divinum inivit consilium, congregandi sub vexillo B. Petri omnes gentes, quae Christiano gloriantur nomine, illudque aperuit Joanni Paleologo Graecorum Imperatori et Josepho Patriarchae Constantinopolitano, et postea per oecumenici Concilii Ferrariensis-Florentini celebrationem executioni mandavit.

Patres Basileenses, quum anno 1433 Orientis Imperatorem et Patriarcham Constantinopolitanum ad Concilium invitaverant, de utriusque Ecclesiae concordia solliciti, non omiserunt Patriarcham Armenum vocare, ne in frequentissimo illo conventu ulla pars orientis christiani desideraretur. Eo tempore Constantinopoli morabantur Joannes et Isaias Archiepiscopali dignitate insigniti, tamquam qui Armenam Ecclesiam repraesentarent, et pastoralem vigilantiam ad ejusdem nationis homines ibi versantes porrigerent. Patres Basileenses hos convenerant, et mediatores adhibuerunt, qui Patriarcham inducerent, ut vel ipse per se ad Concilium accederet, vel alios mitteret vicarios sive procuratores. Epistola invitatoria non amplius superest, sed in Mansiana Collectione Conciliorum [1]) extat Epistola responsiva

1340 nel pontificato di Benedetto XII. o XI. come altri il conta, e poi raffermata in altri loro sinodi eziandio al tempo del suo governo, nella quale ricevevano interamente la dottrina della Chiesa Romana tanto nella materia di sacramenti, quanto nel resto, e riconoscevano con parole amplissime la suprema autorità del Romano Pontefice. Istoria del Concilio di Trento Libro XXIII. n. 127.

1) Tom. XXX. p. 642.

praedictorum Archiepiscoporum Joannis, et Isaiae ad Patres Basileenses, quam hic exscribimus tum ut rerum status in Armenia, tum ut scribentium sensus patescant.

Littera Dominorum Archiepiscoporum de Armenia, etc. missa Sacro Concilio.

Penultima Julii DCCCCXXXIII.

De unione facienda cum Armenis et Ecclesia Romana.

Sacrosanctae Generali Synodo Basileensi in Spiritu Sancto legitime congregatae universalem Ecclesiam repraesentanti.

Reverendissimi, reverendique Patres Domini et Amici praestantissimi ac venerabiles sincere dilecti in Sacro Concilio Basileensi, ac Synodo congregati recommandatione devota antelata. In lapide angulari Jesu Christo militantem et solidatam Ecclesiam, Domino nostro auctore, virtute sua omnipotenti nos, et vos dirigat, et qui pium opus incepit perficiat, cum ipse Dominus in Evangelio dicat, ubi duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, ibi ego in medio eorum sum. Inspiciant ergo vestrae Paternitates, quod nos Joannes destinatus Episcopus per Dominum nostrum Patriarcham totius Ecclesiae Armeniae ad partes Constantinopolitanas, pariter et Episcopus Isaias civitatis praefatae pro Ecclesia Armeniorum, habuimus conferre super facto unionis pacis et concordiae totius Ecclesiae Sanctae Dei latinae, orientalis, et praesertim Graecae et nostrae cum ambassiatoribus vestris destinatis pro hac sancta conclusione ad Dominum nostrum Imperatorem Romanorum principaliter et praecipue, ut suos ambassiatores illuc trasmittat, et nos ipsi hoc idem requisiti

pro parte vestri Concilii faciamus, et indesinenter mittamus ad illam sacrosanctam Synodum; verum quia in primis tribus conciliis antiquis Nicaeno, Ephesino, et Constantinopolitano responsio fuit data in determinatione praemissorum conciliorum persistere, nunc autem habemus Patriarcham nostrum, multos Praelatos et Doctores fixos secundum dogma Ecclesiae nostrae Armenae, et quasi usque ad mortem, ob quam causam ad praesens difficile est nobis ad plenum respondere. Nam circa hanc rem meliori judicio, ac consilio vestri ambassiatores pro parte vestra ample et abunde immo prudenter et complete scripserunt, per me Joannem antedictum, Patriarchae nostro, et quidquid facturus sit pro conclusione hac sancta, in litteris mihi assignatis sibique deferendis continetur de verbo ad verbum, et nisi forent itinera prava, via prolixa, discrimina guerrarum, et pericula magna, vestri ambassiatores polliciti sunt personaliter illuc se transferre. Ideo pro meliori eligimus scribere, et cum minori periculo speramus ipsum Patriarcham nostrum cum suo clero et cum suis praelatis, habita matura deliberatione, daturum bonam et plenam responsionem, et prout Altissimus inspirabit fiet. Nihilominus scitote, quod gens nostrorum Armenorum dogma approbatum per Papam Sylvestrum, et Gregorium Magnum, Armeniae Episcopum, necnon per Serenissimos Imperatores Constantinum et Tirtacum, (Tiridatem) Seg dictum, tunc temporis Imperatorem, praedictae Magnae Armeniae, tenet firmum et ratum habet. Porro tunc temporis editum fuit perEcclesiam Romanam, quod nos celebraremus in pane Azymo meroque vino, et in testimonium hujus, ad perpetuam rei memoriam, de vino ipso mero celebrationis posito in atramento, dictum dogma scriptum fuit asserens quod deinceps Latini et Armeni, et omnes Christiani erunt fratres in Christo Jesu. De hoc qui-

dem veritatem habemus in chronicis antiquis, tempore S. S. Papae Sylvestri, qualiter et quomodo de his verbis et sermonibus sit. Tamen quidquid Patriarcha cum suis Praelatis et sapientibus faciet et determinabit de materia hac, tenebimus et habebimus ratum, firmum, et indubitatum; nobis multum extitit difficile in unum fore congregatos, cum gens nostra fere tota sit dispersa in diversas partes barbarorum, Tartarorum, Turcarum, et infidelium, et quod pejus est, facta sit subdita, et tributaria: ita quod propter praedicta non habemus facultatem pro expensis faciendis, quod dolendum est. Verumtamen per illum qui est auctor cunctorum, et qui de nihilo aliquid potest, et per quem omnia facta sunt et fiunt, illud quod nobis videtur impossibile fieri, fiat possibile. Amen. Datum etc.

Die ultima Mensis Septembris DCCCCXXXIII.

Vestri filii dilecti Isaias, et Joannes Episcopi Ecclesiae Armenae, etc.

Interim Eugenius IV. per nuncium Christophorum Garatanum, apud Imperialem aulam Byzantinam, spe auspicatiori subnixus, desideratissimae unionis opus ordiebatur, ipsumque Imperatorem, et Patriarcham Graecum Constantinopolitanum ad Concilium Ferrariam translatum arcessebat, et per Archiepiscopum Armenum Isaiam, Constantinopoli commorantem, epistolam direxit ad Patriarcham Armenum Sisensem in Cilicia.

In superius recitata responsione Archiepiscoporum Isaiae et Joannis ad Patres Basileenses, perspeximus, Patriarcham aliosque Armeniae Praesules perquam dispositos ad unionem Catholicam fuisse: at vero animadversione digna est diversa agendi ratio

eorum erga Concilium, et erga Pontificem. Si enim Patribus ad Synodum invitantibus haud sine aliqua conditione se morem gessuros spondent, Pontifici tamquam Supremo Ecclesiae capiti, absolutam subjectionem et reverentiam pollicentur, ut e responsione praedicti Archiepiscopi ad Pontificem Constantinopoli exarata 1. Novembris 1434 elucet, quam ut pulcherrimum documentum exscribendum ducimus.

Sanctissimo ac Beatissimo Domino nostro Domino Eugenio Papae.

Beatissime in Christo Pater, et Sanctissime Domine, post debitam devotam ac humilem recommandationem ad devota pedum oscula beatorum.

Brevia Sanctitatis Vestrae humiliter suscepi circa materiam Sanctissimae Unionis Armenorum gentis cum Romana Ecclesia, communi omnium Matre, cujus throno Beatitudo Vestra, annuente Domino dedicata est; quibus reverenter respondeo, quod sicut anno praeterito contuli cum venerabili viro Christophoro Garatano, secretario et nuntio Sanctitatis Vestrae, nihil enim dulcius esse posset, quam diebus meis tam singularem rem Deoque gratissimam intueri posse, quae ad Salutem animarum summumque bonum nostrum pertineat. Et ita etiam nunc praefato Christophoro in materia praedicta id dixi, sicut ipse pedibus Sanctitatis Vestrae diffusius narrare poterit. Verum ut ipse scit, litteras Beatitudinis Vestrae directivas et Reverendissimo Patri Catholico Patriarchae nostro per sufficientem Nuncium misi, easque de latino in Armenum transferri feci, ut ipsi Reverendissimo Patriarchae clarius, quae antea eidem scripserim, innotescere possint. Spero enim favente Domino, et omnibus sanctis ejus, quod celerrime responsionem susci-

piam cum optima ejus dispositione ad tam singulare Dei opus, cum vere cognoscam bonitate, clementia, et munere sanctitatis Vestrae erga genus nostrum rem ipsam, quae tanto tempore silentio deducta est, facile ad optatum finem deduci posse.

Venit nunc, hujus Imperatoris ordine, ipse Christophorus ad conspectum Beatitudinis Vestrae, cui nonnulla Vestrae sanctitati significanda imposui. Verum, ut existimo, cito rediturus est pro apparatu unionis sanctissimae, quae cum hoc Imperatore noviter per eum Vestrae Beatitudinis nomine conclusa est. Cum enim redierit, poterit versus Reverendissimum Patriarcham nostrum, sicut ordo datus est, accedere, et ego secum unum de presbyteris meis mittam, cum quo poterit omnia diligenter circa unionis materiam tractare atque perficere, secundum quod a Beatitudine Vestra habuerit in mandatis; nosque omnes semper bene dispositi erimus, ut tam nobilissimum opus finem sortiri valeat. Sanctitati Vestrae me et meos humiliter commendo.

Ex Constantinopoli die 1. Novembris 1434.

Beatitudinis Vestrae Filius
Isaias Jerosolimitanus.

Nuncius Pontificius Christophorus Garatanus, et Patriarcha Constantinopolitanus in praejactis ad unionem tractationibus [1]) id consilii ceperant, ut Oecumenica Synodus Constantinopoli ageretur, cui Patriarcha Armenorum certo erat affuturus, Praeside Cardinali a summo Pontifice delegato; itaque conspiratione unanimi Praesulum, ac doctorum universae Ecclesiae orientalis optatissimae unionis negotium apprime discussum ad prosperum laetumque exitum facilius adduceretur. Senserunt nihilominus hujus-

1) Martene, Tom. VIII. 805. 738.

modi consilium Romani Pontificis sanctione indigere, ideoque nuncio partes adscriptae, ut secum adscitis duobus graecis legatis Florentiam pergeret, propositae sententiae approbationem imploraturus. Garatanus vix Venetias appulit, de rebus a se gestis accurate retulit, delatae sibi legationis, susceptique itineris rationes exposuit. Constantinopolitani Patriarchae et Imperatoris propensissimum ad unionem animum ostendit, ad rem vero nostram ita locutus est: „De Armenis autem quid egerim, haec sunt. Maxima de eorum redactione spes habenda est. Recte enim existimo ex his, quae vidi, ut cum Graecorum unio in manibus Tuae Sanctitatis sit, erit in ejusdem potestate Armenos quoque tamquam fideles ad Tuae pietatis gremium accumulare". [1]) Hinc ipse Pontifex in Bulla *Existimantes* an. 1434 fidenter dicere potuit: „Accedit ad hoc quod Patriarcha Armenorum veluti per litteras certas constitit, eo tempore etiam Constantinopolim venturus sit, et in hanc rem pariter consensurus, sicut in Domino bene speramus". Propositum ab Aula Byzantina consilium cogendi Synodum universalem Constantinopoli probavit Eugenius, sed Basileensi factione adversante, ne hoc in perniciem vergeret unitatis, quod ei procurandae inventum fuerat, magis expedire judicavit Concilii locum Ferrariam designare. Aula Imperatoria, et Graecus Patriarcha a Pontifice de mutatione sententiae certiores effecti, et ad destinatam pro Synodo urbem vocati, assensi sunt. Pontifex nil moratus per nuntios Fr. Franciscum Bononiensem Praefectum coenobii S. Pauli Minoritarum, Fr. Ludovicum ejus concivem, Fr. Jacobum de Primatitiis Vicarium Praefectum Generalem, viros doctrina spectatos, designavit, ut de Pontificia voluntate Armenorum Patriarcham commo-

[1]) Mansi T. XXX. p. 867.

nerent. Hi sub die 11. Julii 1438 in tutelam curamque traditi Consulis Imperialis Caphensis et Gubernatoris Chersones (q. e. Imperium Gazariae), Januensis Reipublicae ditioni tunc subjecti, Bononia discesserunt, Pontificis benedictione percepta, praeclarisque sacris donis [1]) onusti, Patriarchae largiendis. Ut Capham pervenerunt a Catholicis Chersonesi Armeniis summis laetitiae significationibus excepti sunt. Ecclesia Armena Caphensis a Summo Pontifice Joanne XXII suis litteris Avenione datis VI id. Jun. ob fidei rectitudinem [2]) et Apostolicae Sedi cohaerentiam egregiis praeconiis cumulata, tanto unionis ac pacis catholicae amore flagrabat, ut Primores civitatis nulla cunctatione interposita, sub Episcopi praesidentia in coetum coiverint, in eoque deliberaverint de nuncio ad Patriarcham ablegando, ut vel ipse virum ad Pontificem delegaret, qui nomine Caphensium unionis opus promoveret, sin vero contradiceret, id saltem ipsis liceret, ut aliquem e Vardapetibus sive Doctoribus eligerent, qui peculiaris suae Ecclesiae votum pro unitate in Concilio panderet, eamque pro virili obtinere contenderet. Quae in deliberationem venerant, coram Consule et Gubernatore Imperiali, publico actu scriptis mandata, subscriptionibus munita fuerunt; atque instrumentum hoc juridice confectum adhuc in Bibliotheca Mediceo-Laurentiana Florentiae asservatur, nosque in Append. n. X. cum ceteris documentis accensuimus. His peractis, atque in publicis tabulis relatis nuncii Pontificis Caphae constiterunt, delecta vero manus virorum, duce Episcopo Joanne [3]) negotio gerendo destinata est ac missa ad Patriarcham Armenum Constantinum V. Sis degentem, praedictum supplicem libellum Ecclesiae Ca-

1) Wadingus, Annal. Minor. T. XI. p. 59.

2) In Codd. legitur Guanesius, sive Emanesius, sed facile adducor,

3) Raynald. ad an. 1318: ut legendum sit Ovanesius, quod idem sonat ac Joannes.

phensis, nec non Epistolam Fratris Jacobi de Primordiis, adnexam litteris invitationis Pontificis Eugenii IV. ad Oecumenicum Concilium, exhibitura.

Patriarcha jam optime animo comparatus, invitis licet nonnullis Episcopis, maxime Amitensi Baptista Nakassi, Pontifici vocanti obtemperandum duxit; cum tamen a Sede abesse nequiret, ob infideles ac degeneres christianos, gregem infestantes, misit in Concilium Joachim Episcopum Perianum, Sergium Vardapetem (Doctorem) Vicarium Ecclesiae Caphensis, duos praeterea Vardapetes Marcum ac Thomam, eosque procurationis mandato instruxit amplissimo, quod ex antiquo authentico Mss. Bibliothecae Mediceo-Laurentianae in lucem edimus.

Filio meo Vardapet populo et clero Armenorum in civitate Caphae:

Constantinus Servus servorum Domini nostri Jesu Christi.

Cum gratia Dei sum constitutus Patriarcha Valarsapat, scribo litteram hanc magnificae Civitati Caffae: mitto meam benedictionem omni populo habitanti Caffae. Filii mei fideles et quasi glorians scribo vobis, scilicet Filio meo Vertebet Sarkis, qui sedes in sede personae meae in Caffa et Archiepiscopo Filio meo primogenito et omnibus Sacerdotibus sanctis Stephano Moisi, et omnibus aliis et nobilibus civibus Caffae scilicet Amirbech,[1]) Tavacal.[2]) Chici, Amirbek[3]) Olbei, Arotom[4]) Andree et omnibus aliis burgensibus, cum virtute Spiritus Sancti scribo litteram hanc dans vobis benedictionem, et salutationem. Benedictio Sanctae Crucis et Sancti Gregorii sit super vos a Sede sanctitatis nostrae. Deus per suam mise-

[1]) Edit. Amarbach.
[2]) Cevalchal.
[3]) Armebert (?).
[4]) Aroniton.

ricordiam liberet vos ab omnibus tentationibus diaboli, tam spiritualibus quam in temporalibus, Deus augeat filios et filias et bona vestra. Sciatis vos filii mei charissimi, scilicet filius meus Sarkis Vertebet, et vos sacerdotes et burgenses noveritis, quod Episcopus Guanensius[1]) (Joannes) venit ad nos, et portavit litteras vestras de Caffa, et etiam Vicarii Summi Pontificis, et etiam litteras Domini Consulis. Legimus et laetati sumus, quia scripseratis de unione Ecclesiae Romanae. Postquam audivi gratias egi Deo; ex gratia Spiritus Sancti est, quod istud opus est inchoatum. Convenit Christianis habere unitatem et concordiam. Ego cum plenaria nostra potestate dedi[2]) Serkis Vertebet, qui est erit[3]) loco personae meae et Marchos Vertebet et Thoma Vertebet et Joakim Episcopo Perae, ut eant ad Synodum, et Spiritus Sanctus illustret eos et per virtutem Spiritus Sancti sicut Sanctus Silvester, et Sanctus Gregorius fuerunt concordes, ita Deus concordet vos in pace, in amore et unione: et sicut Constantinus Imperator ac Tertath Imperator noster inter se habuerunt concordiam et pacta, ita et vos etiam confirmate facta eorum ad unitatem, et ad facta istorum Imperatorum nos inclinamus: modo etiam, quidquid Spiritus Sanctus illustraverit sanctam Synodum, prompti sumus ei obedire. Scripta XXV mensis Julii anno Domini MCCCCXXXVIII.

Patriarcha Constantinus V. scripsit etiam ad Imperialem Consulem Paulum in hanc sententiam.

Filio meo spirituali Domino Paulo, Imperiali Consuli Caffae, Constantinus Servus servorum Domini nostri Jesu Christi cum decore et honore et voluntate Patriarcha Valarsapat, ego scribo litteram hanc benedictae civitati: a Deo custodita, magnifica, sedes regalis, mater civitatum Caffa; credens in Christo,

1) *Emanesius.*
2) Edit. addit *auctoritatem.*
3) Edit. omittit *erit.*

diligens Dominos sicut animas nostras, desiderans gloriam nobili filio meo Domino Paulo Imperiali Consuli, Vicario, Massariis et aliis Dominis! Quaerens de sanitate vestra, peto a Deo, et a Sancto Gregorio, qui custodivit vos in pace, ut custodiat usque in finem, amen. Cum virtute Spiritus Sancti mitto vobis benedictionem et salutationem cum benedictione Apostolorum, do vobis benedictionem cum manu S. Gregorii de ista Sede benedicta; et sicut Patres obtinuerunt obtentum suum, ita Deus faciat obtinere obtentum vestrum, et cum benedictione Sanctorum Patrum Deus liberet vos ab omnibus tentationibus diaboli, et augmentet domos vestras, filios et filias et possessiones vestras. Notifico vobis, magnifice Domine Consul, quod quaedam littera praesentata fuit ex parte vestra de consensu discretorum virorum Caffae; nos eam legimus et laetati sumus, et benediximus vos. Deus benedicat vos, et regnum vestrum, Deus fortificet vos super aemulos vestros, et ensis vester sit scindens. Iterum notifico vobis, Domino Consuli, et aliis Dominis de consilio, quod nos cum plenaria potestate nostra constituimus loco personae nostrae Vertebet Filium meum Sarckis, Marchos Vertebet, et Thomam Vertebet et Joachim Episcopum Perae, ut vadant ad Synodum istam benedictam, et quidquid Spiritus Sanctus illustraverit, ita faciant ut amor, et unitas et charitas sit inter christianos, benedictio Dei sit super vos.

Littera[1]) ista est scripta XXV. Mensis Julii MCCCCXXXVIII.

[1]) Haec duo documenta per manus notarii in publicam formam redacta fuerunt ut sequitur.

„Ego Gregorius de Benegasio publicus Imperiali auctoritate notarius ac cancellarius supra praescripta duo instrumenta extracta ut supra, et praescriptas duas litteras missas illis, quibus intitulantur, extractas et seu translatas de Armenico in Latinum per Venerabilem Religiosum Dominum Fratrem Thomam Ordinis Sancti Dominici, interpretantem anno praescripto die XIII. Novembris hora meridiei in Caffa in quadam camera sita et apodiata

Delegati Armeni hisce documentis muniti Capham versus profecti sunt, ubi Pontificiis nuntiis consociati Constantinopolim porrexerunt, ut se Imperiali comitatui, et Patriarchae Graeco Constantinopolitano adjungerent. Sorte evenit, ut Beatus Joannes Capistranus[1]) in hoc agmine inveniretur. Tum cum Byzantium venerunt, jam Imperator Italiam versus profectionem inierat: quare terra marique diuturnum ac molestissimum iter accipere compulsi, hiemali vero tempore, sero nimis destinatum locum tenuerunt; cum enim Italiae oras attigerunt, Concilium pene absolutum fuerat, et Imperator cum suis Episcopis, et imperiali caterva reversionem parabat. Haec partim ex ipsis Concilii actis eruuntur. „Spectantur ecce, inquit Eugenius IV. audientibus Concilii Patribus, in dies cum nostris nuntiis ad id missis, et jam fere prae foribus adesse nuntiantur Armeni, gens magna et celebris, parati se per omnia Romanae Ecclesiae et Sanctae Sedi Apostolicae subdere, ejusque mandatis et doctrinis incunctanter obedire.[2])“

Magnus Pontifex Armenos Delegatos ut filios Pater amplexus est[3]), illique suam fidem, amorem,

Ecclesiae Sub-Sarchis (S. Sergii) et Archiepiscopi primogeniti, sicut supra attestatum et affirmatum, ac etiam in praesentia Reverendi in Christo Patris Domini Fratris Jacobi de Primaticiis, Vicarii Summi Pontificis, Ordinis Minorum, et Fratris Nicolai de Caffa ordinis etiam Minorum, necnon mei jam dicti Gregorii Notarii et Cancellarii, ut supra, Die XVI. Novembris praescripta in hanc publicam formam redegi, et in praemissorum omnium singularem fidem et testimonium manu propria me subscripsi, appositione mei soliti signi, et hoc mandato praefati spectabilis, ac nobilis Domini Pauli Imperialis Consulis, qui ad majus robur omnium praemissorum mandavit haec omnia sui sigilli munimine roborari.“

[1]) Wadingus, Ann. Min. Tom. XI. 73.

[2]) Justiniani, S. Oecum. Conc. Florent. P. III. 344.

„Post aliquot dies venerunt ex Armenia apocrisarii patriarchae Armenorum, viri virtute praestantes, quaerentes unionem fideique veritatem; qui beatissimum papam venerati, viserunt imperatorem: consiliumque suum cogitationemque de conficienda cum Ecclesia catholica pace exposuerunt . . .“. Auct. Gr. operis, S. Florent. Univ. Eccl. Concilium. Romae 1865 p. 275.

[3]) „Omnipotens Deus per operam nostram Armenorum Oratores ex longissimis Orientis partibus ad nos, et Sanctam Apostolicam Sedem, et Sacrum hoc Concilium iis

ac subjectionem hisce verbis exposuerunt. „Christi sedem tenes, Christi Vicarius es in sede Apostolorum. Venimus ad caput nostrum, venimus ad Pastorem. Tu es fundamentum Ecclesiae; quod membrum elongavit se a Te elongavit, et gregem, qui se a Te separavit, fera pessima laceravit. Ecclesia, quae Te non fuit secuta, vel a Te sustentata, funditus fuit eversa. Caput condole membris. Pastor collige gregem. Fundamentum confirma Ecclesiam. Tu qui habes potestatem clavium coelestium, aperi nobis portam coeli aeternam. Cum auctoritate Patriarchae nostri, et Episcoporum omnium gentis nostrae venimus ad Sanctitatem tuam, et vidimus. Nostrum Symbolum, et fidem, si est defectus, doce. Via tantum retinuit nos; quare tardavimus. Servi tui sumus.“ [1])

Quamvis Concilium ad exitum deductum esset, nondum tamen Patres dimissi fuerant. Itaque Pontifex specialem pro Armenis commissionem constituit, cujus esset eorum causas cognoscere, discutere, examinare. Quin et illud notandum occurrit, jam ab anno 1438 solemni sessioni, die 3. Aprilis Ferrariae habitae duos Archiepiscopos Armenos adfuisse,[2]) qui in omnibus Concilii deliberationibus partem habuerunt. Iam vero tam isti, quam legati nuper Concilii aulam ingressi, de omnibus capitibus in disceptationem adductis intime persuasi erant: ut autem verita-

diebus cum pleno mandato pervenire concessit, qui nos non aliter, quam Beatum Petrum Apostolorum Principem intuentes ac venerantes, ipsamque Sanctam Sedem veluti matrem omnium fidelium, et Magistram recognoscentes, ad eam et praefatum Concilium pro spirituali cibo, et sanae doctrinae veritate se venisse professi sunt: ob quam rem ipsi Deo nostro iterum gratias multas retulimus.“

Eugen. IV. die IV. Sept. 1439. ap. Horat. Justin. Acta S. Conc. Florentini. Romae 1638 p. 338.

[1]) Labbaei S. Conc. Coll. Suppl. T. V. 210.

[2]) In documento CXCIV. relato a cl. Archiep. Enrico Cecconio — Studj Storici del Concilio di Firenze — legimus: „Interfuerunt etiam duo Archiepiscopi totius Armeniae.“ — Probabile est, eos fuisse Joannem et Isaiam, qui Constantinopoli morabantur, et cum Imperiali comitatu venerant.

tes catholicas paulatim evolvi viderunt, atque distinctius perceperunt: eas pariterque disciplinarias constitutiones nulla facta exceptione solemniter professi sunt in publica nempe sessione, habita die 22. Novembris 1439 coram Summo Pontifice, totoque Patrum coetu spectante, in amplissimo templo S. Mariae de Floribus. Haec omnia constant ex actis adnexis Decreto unionis pro Armenis, cui subscripsit Summus Pontifex cum octo Cardinalibus, duobus Patriarchis, quinque Archiepiscopis, triginta sex Episcopis, vigintiquinque Abbatibus.

Delegati Armeni, ut qui nihil antiquius habuerunt, quam conservationi redintegratae unitatis consulere, confestim celeberrimum illud Decretum in propriam linguam transtulerunt, illiusque exemplar propria manu [1]) ac nomine subscriptum Romano Pontifici, Jesu Christi Vicario, obtulerunt, ut Armenae fidei, devotionis, instaurataeque unionis monumentum extaret aere perennius.

Hujusmodi praetiosissimum documentum [2]), (indubia testificatio redingratae concordiae inter Armenos et Ecclesiam Romanam) quod non sine Dei Providentia ad nos intactum pervenit, mox subjectis notis in lucem proferemus, addita in textu armeno, in commodum nostrae gentis nova Armeniaca versione, nam vetus illa originaria versio saepe sensum obvolvit, sive ob stylum vitio temporum impolitum ac rudem, sive ob nimiam interpretum festinationem.

[1]) Praetermittere nolumus Patriarcham Constantinum V. quatuor viros misisse, qui personam suam in Concilio gererent; Joachim scilicet Episcopum Alepensem, ac Doctores Sergium Vicarium Caphensem, Marcum et Thomam. Attamen praeter hos alius quidam in Concilio apparet Doctor legatus pro Armenis, Nerses nomine, cujus mentionem summus Pontifex perhonoroficam fecit: subscripta vero eidem decreto, in Armenum verso, nomina nulla invenimus alia praeter Sergii Caphensis Vicarii et Thomae Doctoris.

[2]) Hujus Archetypus a legatis Armenis subscriptus extat Florentiae in Bibliotheca Medico-Laurentiana.

DECRETUM ORIGINALE

UNIONIS ARMENORUM CUM SANCTA ROMANA ECCLESIA

PROMULGATUM

IN SACRO UNIVERSALI CONCILIO FLORENTINO

XXII. NOVEMBRIS 1439.

DEO LAUS. DEO GRATIAS.

EUGENIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI,

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Exultate Deo salutari nostro, jubilate Deo Jacob omnes ubique[1]), qui nomine censemini christiano; ecce enim iterum Dominus, recordatus misericordiae suae, alium dissidii lapidem, nongentis et amplius inveteratum annis, de ecclesia sua auferre dignatus est, et qui facit concordiam in sublimibus, et per quem in terra pax est hominibus bonae voluntatis, optatissimam Armenorum unionem, sua ineffabili miseratione concessit. Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Intuens namque piissimus Dominus suam Ecclesiam, modo ab iis, qui foris sunt, modo ab iis, qui intra, non parvis agitari turbinibus, ut inter ipsas respirare angustias, et ad resistendum fortior assurgere valeat, multis eam modis quotidie consolari, et roborare dignatur.

[1]) In edit. Labbei T. XVIII p. 541. *qui ubique nomine etc.*

Nam et pridem magnam illam Graecorum unionem, multas longe lateque continentium nationes et linguas: hodie vero hanc ipsam armenici populi, qui per Septemtrionem et Orientem in magna copia diffusus est, in eodem fidei et caritatis vinculo cum Sede Apostolica stabilivit. Haec profecto tam magna et mira sunt divinae pietatis beneficia, ut non solum pro utroque, sed nequidem pro altero satis dignas suae maiestati referre gratias possit intellectus humanus. Quis non vehementer admiretur uno eodemque tam brevi tempore, duo sic praeclara, et tot saeculis desiderata opera in hoc sacro Concilio fuisse tam feliciter consummata? Vere a Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris. Quae enim hominum prudentia vel industria, nisi gratia Dei et coepisset, et perfecisset, has tales et tantas res explere potuisset? Laudemus igitur, et toto corde benedicamus Dominum, qui fecit mirabilia magna solus, ipsique psallamus spiritu, psallamus et mente, oreque et opere, quantum sinit humana fragilitas, pro tantis muneribus gratias agamus, orantes et obsecrantes, ut quemadmodum ipsi Graeci atque Armeni unum cum Ecclesia Romana effecti sunt, ita fiant et ceterae nationes, praesertim Christi charactere insignitae, et totus denique populus Christianus, omnibus odiis bellisque extinctis, mutua invicem pace, ac [1]) fraterna charitate quiescat et gaudeat.

Ipsos autem Armenos magnis laudum praeconiis dignos esse merito censemus. Ut primum enim a nobis ad synodum accersiti sunt, tamquam Ecclesiasticae avidi unitatis, spectabiles, devotos et doctos oratores suos cum sufficienti mandato, de suscipiendo, videlicet, quidquid Spiritus Sanctus hanc sanctam synodum illustraverit, ex remotissimis regio-

[1]) In edit. deest *ac*.

nibus, per multos labores marisque pericula ad nos, et hoc sacrum concilium destinarunt.

Nos vero tota mente, ut nostrum pastorale decebat officium, cupientes tam sanctum perficere opus, sepe cum ipsis oratoribus de hac sancta unione contulimus. Et ne vel parva huic sanctae rei dilatio fieret, deputavimus de omni statu hujus sacri concilii viros, juris divini et humani doctissimos, qui cum omni cura, studioque, et diligentia rem ipsam cum ipsis [1]) pertractarunt oratoribus, ab eis accurate inquirentes eorum fidem, tam circa divinae unitatem essentiae, et divinarum personarum Trinitatem, quam Domini nostri Jesu Christi humanitatem, et septem ecclesiae Sacramenta, et alia ad fidem orthodoxam, et ritus universalis ecclesiae pertinentia.

Multis itaque adhibitis disputationibus, collationibus [2]), et tractatibus, post non mediocrem testimoniorum inspectionem, quae ex Sanctis ecclesiae patribus et doctoribus deducta sunt, et earum, de quibus agebatur rerum discussionem, tandem expedire judicavimus, ne ulla in futurum de fidei veritate apud ipsos Armenos haesitatio esse valeat, atque idem per omnia sapiant cum Sede apostolica, unioque ipsa stabilis ac [3]) perpetua sine ullo scrupulo perseveret, ut sub quodam brevi compendio orthodoxae fidei veritatem, quam super praemissis romana profitetur ecclesia, per hoc decretum, sacro hoc approbante Florentino concilio, ipsis oratoribus, ad hoc etiam consentientibus, traderemus.

In primis ergo damus eis S. symbolum a centum quinquaginta Episcopis in oecumenico constantinopolitano Concilio editum, cum illa additione, *Filioque*, ipsi symbolo declarandae veritatis gratia,

1) In edit. *Istis*.
2) *Collocutionibus*.
3) Et.

et urgente necessitate licite ac [1]) rationabiliter apposita, cujus tenor talis est: Credo [2]) in unum Deum patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium, et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia secula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt.

Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis, et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum, et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur, qui locutus est per prophetas: Et unam Sanctam catholicam et apostolicam ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen. Hoc autem sanctum symbolum, sicut apud latinos mos est, ita decernimus per omnes armenorum ecclesias intra missarum solemnia singulis saltem[3]) diebus dominicis, et majoribus festivitatibus decantari vel legi.

Secundo tradimus eis diffinitionem quarti universalis Concilii calcedonensis, in quinto postea et sexto universalibus conciliis renovatam, de duabus naturis in una Christi persona, cujus tenor talis est:

[1]) Et.

[2]) Hujus Symboli prima tantum verba afferuntur in editione, scilicet: *Credo in unum Deum*, etc.

[3]) *Saltem Dominicis diebus.*

Sufficeret quidem sapiens hoc, et salutare divinae gratiae symbolum ad plenam cognitionem[1]), et confirmationem pietatis, de Patre enim, et Filio, et Spiritu Sancto perfectionem docet, et Domini humanationem[2]) fideliter accipientibus repraesentat. Sed quoniam hi, qui conantur reprobare praedicationem veritatis, per proprias haereses novas voces genuerunt; et hi quidem praesumentes corrumpere mysterium dispensationis Domini, quae propter nos facta est, alii vero introducentes confusionem permixtionemque, et stulte confingentes, unam esse naturam carnis et deitatis, et portentose[3]) dicentes passibilem Unigeniti divinam naturam, ob hoc volens claudere illis omnem machinationem contra veritatem, praesens nunc nostra sancta et magna atque universalis synodus praedicationem hanc docens, ab initio immobilem, decrevit ante omnia fidem trecentorum decem et octo Sanctorum patrum manere irrecusabilem, et posteriore tempore propter illos quidem, qui pugnant adversus Sanctum Spiritum, corroborat doctrinam de substantia spiritus, traditam a Patribus centum quinquaginta apud Constantinopolim congregatis, quam illi omnibus notam fecerunt, non quasi inferentes, quod aliquid minus esset a praecedentibus, sed eorum intellectum de Sancto Spiritu scripturarum testimoniis declarantes adversus eos, qui dominationem ejus respuere tentaverunt; propter illos autem, qui moliuntur corrumpere dispensationis mysterium, et impudenter delirant dicentes, purum hominem esse illum, qui ex Sancta virgine Maria natus est, suscepit epistolas synodicas beati Cyrilli quondam praesulis ecclesiae alexandrinae ad Nestorium et ad orientales, congruas existentes ad convincendas Nestorii vesanias, et ad interpretationem eorum, qui salutaris

[1]) In edit. *Cogitationem.*
[2]) *Humanitatem.*
[3]) *Portentuese.*

symboli mentem pio zelo nosse desiderant, quibus etiam consequentissime epistolam coaptavit magnae et senioris Urbis Romae praesulis, beatissimi ac sanctissimi Leonis Papae, quae scripta est ad sanctae memoriae Archiepiscopum Flavianum, ad perimendam Eutychis malam intelligentiam, utpote congruentem illius magni Petri confessioni, et existentem nobis communem quandam columnam adversus prava dogmata, et ad confirmationem rectorum dogmatum: his namque, qui in duos filios dispensationis divinae mysterium discerpere nituntur, obsistit, et illos, qui passibilem deitatem Unigeniti ausi sunt dicere, a sacro coetu expellit, et his, qui in duabus naturis Christi temperamentum, aut confusionem exquirunt, resistit, et eos qui dicunt servi formam, quam ex nobis assumpsit, coelestem esse, aut alterius alicujus substantiae, ut dementes abigit, et qui duas quidem ante unitionem naturas Domini fabulantur, unam vero post unitionem confingunt, anathematizat. Sequentes igitur sanctos patres, unum eundemque confiteri filium dominum nostrum Jesum Christum consonanter omnes docemus eundem perfectum in deitate, eundem perfectum in humanitate, Deum vere, et hominem vere, eundem ex anima rationali et corpore, consubstantialem patri secundum deitatem, et consubstantialem nobis eundem [1]) secundum humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato, ante saecula quidem de Patre genitum secundum deitatem, in novissimis autem diebus eundem propter nos, et propter salutem nostram, ex Maria virgine Dei genitrice secundum humanitatem, unum eundemque Christum verum Filium Dominum unigenitum in duabus naturis, inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam

[1]) Deest in edit. *eundem.*

sublata differentia naturarum propter unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturae, et in unam personam, atque subsistentiam concurrente, non in duas personas partitum sive divisum, sed unum et eundem Filium unigenitum [1]) Deum verum, Dominum Jesum Christum, sicut ante profete de eo, et ipse nos Jesus Christus erudivit, et sanctorum patrum nobis tradidit symbolum.

Tertio diffinitionem de duabus voluntatibus, duabusque Christi operationibus in praedicto sexto Concilio promulgatam, cujus tenor talis est: Sufficerent quidem et reliqua, quae in ipsa definitione concilii calcedonensis, superius enarrata, sequuntur usque ad finem, post quae sequitur in hunc modum: Et duas naturales voluntates in eo, et duas naturales operationes, indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse secundum Sanctorum Patrum doctrinam, adaeque praedicamus: et duas naturales voluntates non contrarias, absit [2]) juxta quod impii asseruerunt haeretici, sed sequentem humanam ejus voluntatem, et non resistentem, vel reluctantem, sed potius et subjectam divinae ejus atque omnipotenti voluntati, oportebat enim carnis voluntatem moveri, subjici vero voluntati divinae juxta sapientissimum Athanasium, sicut enim ejus caro, Dei Verbi dicitur et est, ita et naturalis carnis ejus voluntas propria Dei Verbi dicitur et est, sicut ipse ait: quia descendi decoelo, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus, qui misit me, Patris, suam propriam dicens, quae erat carnis ejus, nam et caro propria ipsius facta est: quemadmodum enim sanctissima, et immaculata animata ejus caro deificata est, et non est perempta, sed in proprio sui statu, et [3]) ratione permansit, ita et humana ejus

[1]) In edit. deest *Unigenitum.*
[2]) In edit. deest, *absit.*
[3]) In edit. deest *et.*

voluntas deificata est, et non est perempta; salvata est autem magis, secundum Deiloquum Gregorium dicentem: Nam velle illius, qui in salvatore intelligitur, non est contrarium Deo, deificatum est totum, duas vero [1]) naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inconfuse, inseparabiliter in eodem Domino Jesu Christo vero Deo nostro glorificamus, hoc est divinam operationem, et humanam operationem, secundum divinorum [2]) Praedicatorem Leonem apertissime asserentem: Agit enim utraque forma cum alterius communione quod proprium est, Verbo scilicet operante, quod Verbi est, et carne exequente quod carnis. Nec enim in quoquam unam dabimus naturalem operationem Dei, et creaturae, ut neque quod creatum est, in divinam ducamus essentiam, neque quod eximium est divinae naturae ad competentem creaturis locum dejiciamus. Unius enim et ejusdem [3]) tam miracula, quamque passiones, cognoscimus secundum aliud, et aliud eorum, [4]) ex quibus est naturis, et in quibus habet esse, sicut admirabilis inquit Cyrillus. Undique igitur inconfusum, atque indivisum conservantes unum Sanctae Trinitatis, brevi voce cuncta proferimus, et post incarnationem, Dominum nostrum Jesum Christum verum Deum [5]) esse credentes, asserimus duas ejus esse naturas, in una ejus radiante [6]) subsistentia, in qua tam miracula quamque passiones per omnem sui dispensationem conversatus [7]), non per fantasiam, sed veraciter haec [8]) demonstravit ob naturalem differentiam in eadem una subsistentia cognoscendam, dum utraque natura, cum alterius communione indivise, et inconfuse propria vellet, atque operaretur, juxta quam rationem,

1) *Enim.*
2) *Divinum.*
3) *Unius enim et ejusdem.*
4) *Earum.*
5) Deest *nostrum.*
6) *Radiantes.*
7) *Dispensativam conversationem.*
8) Deest *haec.*

et duas naturales voluntates, et operationes confitemur ad salutem [1]) humani generis convenienter in eo concurrentes.

Quarto quoniam hactenus ipsi Armeni, praeter has tres Nicaenam, Constantinopolitanam, et Ephesinam primam synodos, nullas alias universales postea celebratas, nec ipsum beatissimum hujus sanctae sedis antistitem Leonem, cujus auctoritate ipsa chalcedonensis synodus extitit congregata, susceperunt, asserentes eisdem fuisse suggestum, tam synodum ipsam Chalcedonensem quam memoratum Leonem, secundum damnatam Nestorii haeresim diffinitionem fecisse. Instruximus eos, et declaravimus, huiusmodi falsam fuisse suggestionem, ipsamque synodum chalcedonensem et beatissimum Leonem sancte, et recte veritatem de duabus in una persona Christi naturis superius descriptam diffinivisse [2]) contra impia Nestorii, et Eutychis dogmata, injunximusque, ut ipsum beatissimum Leonem, qui vere fidei columna fuit, et omni sanctitate et doctrina refertus, tamquam sanctum, et in catalogo Sanctorum merito descriptum, decaetero reputent, et venerentur: atque non solum dictas tres synodos, sed omnes alias universales auctoritate romani pontificis legitime celebratas, sicut et caeteri fideles, reverenter suscipiant.

Quinto ecclesiasticorum sacramentorum veritatem pro ipsorum Armenorum tam praesentium, quam futurorum faciliori doctrina, sub hac brevissima redigimus formula. Novae legis septem sunt sacramenta, videlicet baptismus, confirmatio, eucharistia, poenitentia, extrema unctio, ordo et matrimonium, quae multum a sacramentis differunt antiquae legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant: haec vero

[1]) *Salutem humanam convenienter.* [2]) *Diffinisse.*

nostra et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt. Horum quinque prima ad spiritualem uniuscujusque hominis in ipso perfectionem, duo ultima ad totius ecclesiae regimen, multiplicationemque ordinata sunt. Per baptismum enim spiritualiter renascimur: per confirmationem augemur in gratia, et roboramur in fide: renati autem, et roborati nutrimur divina eucharistiae alimonia: quod si per peccatum aegritudinem incurrimus animae, per poenitentiam spiritualiter sanamur: spiritualiter etiam et corporaliter, prout animae expedit, per Extremam unctionem: per ordinem vero Ecclesia gubernatur et multiplicatur spiritualiter: per matrimonium corporaliter augetur. Haec omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum. Inter haec sacramenta tria sunt, baptismus, confirmatio, et ordo, quae characterem, idest spirituale quoddam signum a caeteris distinctivum imprimunt in anima indelebile, unde in eadem persona non reiterantur: reliqua vero quatuor characterem non imprimunt et reiterationem admittunt.

Primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum baptisma, quod vitae spiritualis janua est; per ipsum [1]) membra Christi, ac de corpore efficimur ecclesiae. Et cum per primum hominem mors introierit in universos, nisi ex aqua, et spiritu renascamur [2]), non possumus, ut inquit veritas, in regnum coelorum introire. Materia hujus sacramenti est aqua vera et naturalis; nec refert frigida sit, an calida. Forma autem est „Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.“ Non tamen negamus, quin

1) *Per ipsum enim.* 2) *Renascimur.*

et per illa verba, *Baptizetur talis servus Christi in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, vel Baptizatur manibus meis talis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, verum perficiatur baptisma; quoniam cum principalis causa, ex qua baptisma[1]) virtutem habet, sit Sancta Trinitas, instrumentalis autem sit minister, qui tradit exterius sacramentum, si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum Sanctae Trinitatis invocatione, perficitur sacramentum. Minister huius sacramenti est[2]) sacerdos, cui ex officio competit baptizare; in casu[3]) autem necessitatis non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, imo[4]) paganus et haereticus baptizare potest, dummodo formam servet ecclesiae, et facere intendat, quod facit ecclesia. Hujus sacramenti effectus est remissio omnis culpae originalis, et actualis; omnis quoque poenae, quae pro ipsa culpa debetur: propterea baptizatis nulla pro peccatis praeteritis injungenda est satisfactio, sed morientes antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum coelorum et Dei visionem perveniunt.

Secundum sacramentum est Confirmatio, cujus materia est crisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiae, et balsamo, quod odorem significat bonae famae, per Episcopum benedicto: forma autem est: Signo te signo crucis, et confirmo te crismate salutis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ordinarius minister est Episcopus; et cum caeteras unctiones simplex sacerdos valeat exhibere, hanc non nisi episcopus debet conferre, quia de solis Apostolis legitur, quorum vicem tenent Episcopi, quod per manus impositionem Spiritum Sanctum dabant, quemadmodum Actuum Apostolorum lectio

[1]) In edit. *Baptismus.*
[2]) Desunt in edit. *Sacramenti est.*
[3]) In edit. *Causa.*
[4]) *Imo etiam paganus.*

manifestat. Cum enim audissent, inquit, Apostoli, qui erant Jerosolimis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem, qui cum venissent, oraverunt pro eis, ut acciperent Spiritum Sanctum, nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu, tunc imponebant manum super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum. Loco autem illius manus impositionis datur in Ecclesia confirmatio. Legitur tamen aliquando per Apostolicae Sedis dispensationem ex rationabili, et urgenti admodum causa, simplicem sacerdotem crismate per episcopum confecto, hoc administrasse confirmationis sacramentum.

Effectus autem hujusmodi sacramenti est, quia in eo datur Spiritus Sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis die[1]) pentecostes, ut videlicet christianus audacter Christi confiteatur nomen; ideoque in fronte, ubi verecundiae sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, et praecipue crucem ejus, quae[2]) judeis est scandalum, gentibus autem stultitia secundum apostolum, propter quod signo crucis signatur.

Tertium est Eucharistiae sacramentum, cujus materia est panis triticeus et vinum de vite, cui ante consacrationem aqua modicissima admisceri debet; aqua autem ideo admiscetur, quoniam juxta testimonia sanctorum patrum ac doctorum ecclesiae, pridem in disputatione exhibita, creditur, ipsum Dominum in vino aqua permixto hoc instituisse sacramentum: deinde, quia hoc convenit Dominicae passionis representationi, inquit enim beatus Alexander, Papa V a beato Petro, in sacramentorum oblationibus, quae intra missarum solemnia Domino offeruntur, panis

1) *In die.*

2) *Qui judaeis quidem est.*

tantum, et vinum aqua permixtum in sacrificium offerantur: non enim debet in calice[1]) Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum, quia utrumque, idest sanguis et aqua ex latere Christi profluxisse legitur; tum etiam quod convenit ad significandum hujus Sacramenti effectum, qui est unio populi Christiani ad Christum; aqua enim populum significat, secundum illud apocalypsis: Aquae multae populi multi. Et Julius Papa II post beatum Silvestrum ait: Calix dominicus, juxta canonum praeceptum vino et aqua permixtus debet offerri, quia videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi; ergo cum in calice vinum et aqua miscentur, Christo populus adunatur, et fidelium plebs[2]) in quem credit, copulatur et jungitur. Cum ergo tam sancta romana ecclesia a beatissimis Apostolis Petro et Paulo edocta, quam reliquae omnes latinorum graecorumque ecclesiae, in quibus omnis sanctitatis et doctrinae lumina claruerunt, ab initio nascentis ecclesiae sic servaverint, et modo servent, inconveniens admodum videtur, ut alia quaevis regio ab hac universali, et rationabili discrepet observantia. Decernimus igitur ut etiam ipsi Armeni se cum universo orbe Christiano conforment, eorumque sacerdotes in calicis oblatione paululum aquae, prout dictum est, vino admisceant[3]). Forma hujus sacramenti sunt verba salvatoris, quibus hoc confecit[4]) sacramentum. Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum; nam ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi, et substantia vini in sanguinem convertuntur: ita tamen quod totus Christus continetur sub specie panis, et totus sub specie vini, sub qualibet quoque parte hostiae con-

[1]) In edit. *in calicem.*
[2]) *Ei inquem?*
[3]) *Admisceant vino.*
[4]) *Hoc conficit.*

secratae et vini consacrati, separatione facta, totus est Christus. Hujus Sacramenti effectus, quem in anima operatur digne sumentis, est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur, et membris ejus unitur, consequens est, quod per hoc sacramentum in digne sumentibus gratia augeatur; omnemque effectum quem materialis[1]) cibus et potus, quoad vitam agunt corporalem, sustendando, augendo, reparando, et delectando, sacramentum hoc, quoad vitam operatur spiritualem, in quo, ut inquit Urbanus Papa, gratam Salvatoris nostri recensemus memoriam, a malo retrahimur, confortamur in bono, et ad virtutum et gratiarum proficimus incrementum.

Quartum Sacramentum est poenitentia, cujus quasi materia sunt actus poenitentis, qui in tres distinguuntur partes, quarum prima est cordis contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero. Secunda est oris confessio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia est satisfactio pro peccatis secundum arbitrium sacerdotis, quae quidem praecipue fit per orationem, jejunium et eleemosynam. Forma hujus sacramenti sunt verba absolutionis, quae sacerdos profert cum dicit: Ego te absolvo, etc. Minister hujus sacramenti est sacerdos habens auctoritatem absolvendi, vel ordinariam, vel ex commissione superioris[2]). Effectus hujus Sacramenti est absolutio a peccatis.

Quintum Sacramentum est extrema unctio, cujus materia est oleum olivae per episcopum benedictum, hoc sacramentum, nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet; qui in his locis ungen-

[1]) In edit. *Naturalis.*

[2]) In edit. *Superiorum.*

dus est: in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel loquutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem. Forma hujus sacramenti est haec: *Per istam unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti*[1]) *per visum,* et similiter in aliis membris. Minister hujus Sacramenti est sacerdos. Effectus vero ejus[2]) est mentis sanatio, et, in quantum animae expedit, ipsius etiam corporis. De hoc sacramento inquit beatus Jacobus apostolus: *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, dimittentur ei.*

Sextum est Sacramentum Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo, sicut presbyteratus traditur per Calicis cum vino, et patenae cum pane porrectionem: Diaconatus vero per libri evangeliorum dationem: Subdiaconatus vero per Calicis vacui cum patena vacua superposita[3]) traditionem; et similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma Sacerdotii est talis: *Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis et mortuis, in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti,* et sic de aliorum Ordinum formis, prout in pontificali romano late continetur. Ordinarius Minister hujus Sacramenti est episcopus; effectus est[4]) augmentum gratiae, ut quis sit idoneus Christi[5]) minister.

Septimum est sacramentum matrimonii, quod

[1]) Deest *deliquisti.*
[2]) Deest *ejus.*
[3]) *Super imposita.*
[4]) In edit. deest *est.*
[5]) Deest *Christi.*

est signum conjunctionis Christi et ecclesiae, secundum apostolum dicentem: Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia. Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus. Assignatur autem triplex bonum matrimonii; primum est proles suscipienda, et educanda ad cultum Dei; secundum est fides, quam unus conjugum alteri servare debet; tertium est indivisibilitas matrimonii, propter hoc quod significat indivisibilem conjunctionem Christi et ecclesiae: quamvis autem ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit.

Sexto, compendiosam illam fidei regulam per beatissimum Athanasium editam ipsis praebemus oratoribus, cujus tenor talis est:

Quicunque [1]) vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat catholicam fidem, quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, absque dubio in aeternum peribit. Fides autem catholica haec est, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur, neque confundentes personas, neque substantiam separantes. Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti, una est divinitas, aequalis gloria, coaeterna majestas. Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus. Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus sanctus. Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus. Aeternus Pater, aeternus Filius, aeternus Spiritus sanctus: et tamen non tres aeterni, sed unus aeternus: Sicut non tres increati, nec tres immensi, sed unus increa-

[1]) In edit. hujus symboli prima tantum verba afferuntur hoc pacto: Quicumque vult salvus esse, etc.

tus et unus immensus. Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus: et tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotens. Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, et tamen non tres Dii, sed unus est Deus. Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus, et tamen non tres Domini, sed unus est Dominus: Quia sicut singillatim unamquamque personam, Deum ac Dominum confiteri christiana veritate compellimur, ita tres Deos, aut Dominos dicere catholica religione prohibemur. Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus. Filius a Patre solo est, non factus nec creatus, sed genitus. Spiritus sanctus a Patre, et Filio non factus non creatus nec genitus, sed procedens. Unus ergo Pater, non tres Patres, unus Filius, non tres Filii, unus Spiritus sanctus non tres Spiritus sancti. Et in hac Trinitate, nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus, sed totae tres personae coaeternae sibi sunt, et coaequales: Ita ut per omnia, sicut jam supra dictum est, et unitas in Trinitate, et Trinitas in unitate veneranda sit. Qui vult ergo salvus esse, ita de Trinitate sentiat. Sed necessarium est ad aeternam salutem, ut incarnationem quoque Domini nostri Jesu Christi fideliter credat. Est ergo fides recta, ut credamus, et confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus Dei filius Deus et homo est: Deus est ex substantia Patris ante saecula genitus, et homo est ex substantia matris in saeculo natus: Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali, et humana carne subsistens. Aequalis Patri secundum Divinitatem, minor Patre secundum humanitatem: Qui licet Deus sit, et homo, non duo tamen, sed unus est Christus: Unus autem non conversione divinitatis in carne[1]), sed assumptione humanitatis

[1]) Edit. *in carnem.*

in Deum. Unus omnino, non confusione substantiae, sed unitate personae; nam sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus: Qui passus est pro salute nostra, descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis: Ascendit ad coelos, sedet ad dextram Dei Patris omnipotentis, inde venturus est judicare vivos et mortuos: Ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, et reddituri sunt de factis propriis rationem: Et qui bona egerunt ibunt in vitam aeternam, qui vero mala in ignem aeternum: Haec est fides catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.

Septimo, Decretum unionis cum Graecis consummatae, pridem in hoc sacro oecumenico concilio florentino promulgatum, cujus tenor talis est. [1])

Eugenius Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Consentiente ad infrascripta carissimo filio nostro Joanne Palaeologo Romanorum Imperatore Illustri, et locatenentibus venerabilium fratrum nostrorum Patriarcharum, et ceteris Orientalem ecclesiam repraesentantibus.

Laetentur caeli, et exultet terra: sublatus est enim de medio paries, qui occidentalem, orientalemque dividebat ecclesiam, et pax atque concordia rediit: illo angulari lapide Christo, qui fecit utraque unum vinculo fortissimo charitatis et pacis utrumque jungente parietem, et perpetuae unitatis foedere copulante ac continente, postque longam moeroris nebulam, et

[1]) In edit. omittitur Decretum unionis cum Graecis, et in vicem dicitur prout supra scriptum est.

dissidii diuturni atram ingratamque caliginem, serenum omnibus unionis optatae jubar illuxit. Gaudeat et mater ecclesia, quae filios suos hactenus invicem dissidentes, jam videt in unitatem, pacemque rediisse, et quae antea in eorum separatione amarissime flebat, ex ipsorum modo mira concordia cum ineffabili gaudio omnipotenti Deo gratias referat.

Cuncti gratulentur fideles ubique per orbem, et qui Christiano censentur nomine, Matri Catholicae Ecclesiae collaetentur.

Ecce enim Occidentales Orientalesque Patres post longissimum dissensionis, atque discordiae tempus, se maris ac terrae periculis exponentes, omnibusque superatis laboribus, ad hoc sacrum oecumenicum Concilium, desiderio sacratissimae unionis, et antiquae charitatis redintegrandae gratia, laeti alacresque convenerunt, et intentione sua nequaquam frustrati sunt. Post longam enim, laboriosamque indaginem, tandem Spiritus Sancti clementia ipsam optatissimam sanctissimamque unionem consecuti sunt. Quis igitur dignas omnipotentis Dei beneficiis gratias referre sufficiat? Quis tantae divinae miserationis divitias non obstupescat? Cujus vel ferreum pectus tanta supernae pietatis magnitudo non molliat? Sunt ista prorsus divina opera, non humanae fragilitatis inventa, atque ideo eximia cum veneratione suscipienda, et divinis laudibus prosequenda. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, Christe, fons misericordiarum, qui tantum boni Sponsae tuae Catholicae Ecclesiae contulisti, atque in generatione nostra tuae pietatis miracula demonstrasti, ut enarrent omnes mirabilia tua. Magnum siquidem, divinumque munus nobis Deus largitus est: oculisque videmus, quod ante nos multi, cum valde cupierint, aspicere nequiverunt.

Convenientes enim latini ac graeci in hac sacrosancta synodo oecumenica, magno studio invicem usi sunt, ut inter alia, etiam articulus ille, de divina Spiritus Sancti processione, summa cum diligentia, et assidua inquisitione discuteretur. Prolatis vero testimoniis ex divinis scripturis, plurimisque auctoritatibus sanctorum Doctorum orientalium, et occidentalium, aliquibus quidem ex Patre et Filio, quibusdam vero ex Patre per Filium procedere dicentibus Spiritum Sanctum, et ad eamdem intelligentiam aspicientibus omnibus sub diversis vocabulis, graeci quidem asseruerunt, quod id, quod dicunt, Spiritum Sanctum ex Patre procedere, non hac mente proferunt, ut excludant Filium, sed quia eis videbatur (ut ajunt) Latinos asserere Spiritum Sanctum ex Patre et Filio procedere tanquam ex duobus principiis, et duabus spirationibus, ideo abstinuerunt a dicendo, quod Spiritus Sanctus ex Patre procedat et Filio. Latini vero asserunt, non se hac mente dicere, Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere, ut excludant Patrem, quin sit fons, et principium totius deitatis Filii scilicet, et Spiritus Sancti, aut quod id, quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, Filius a Patre non habeat, sive quod duo ponant esse principia, seu duas spirationes; sed unum tantum asserant esse principium, unicamque spirationem Spiritus Sancti, prout hactenus asseruerunt. Et cum ex his omnibus unus et idem eliciatur veritatis sensus, tandem in infrascriptam sanctam, et Deo amabilem eodem sensu eademque mente unionem unanimiter concordarunt, et consenserunt.

In nomine igitur sanctae Trinitatis, Patris et Filii, et Spiritus Sancti, hoc sacro universali approbante Florentino Concilio, diffinimus, ut haec fidei veritas ab omnibus Christianis credatur, et suscipia-

tur, sicque omnes profiteantur, quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio aeternaliter est, et essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex utroque aeternaliter tamquam ab uno principio, et unica spiratione procedit.

Declarantes, quod id quod Sancti Doctores et Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur, Filium quoque esse secundum Graecos quidem causam, secundum Latinos vero principium subsistentiae Spiritus Sancti, sicut et Patrem. Et quoniam omnia, quae Patris sunt Pater ipse unigenito Filio suo gignendo dedit praeter esse Patrem, hoc ipsum quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre aeternaliter habet, a quo aeternaliter etiam genitus est. Diffinimus insuper explicationem verborum illorum *Filioque,* veritatis declarandae gratia, et imminente tunc necessitate licite ac rationabiliter symbolo fuisse appositam.

Item, in azymo, sive fermentato pane triticeo, Corpus Christi veraciter confici, Sacerdotesque in alterutro ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet, juxta suae Ecclesiae sive Occidentalis sive Orientalis consuetudinem. Item si vere poenitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas poenis purgatoriis post mortem purgari, et ut a poenis hujusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia Missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas, ac alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt, secundum Ecclesiae instituta. Illorumque animas qui, post baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quae post contractam peccati maculam, vel in

suis corporibus, vel eisdem exutae corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatae, in coelum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum, et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate, alium alio perfectius. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.

Item diffinimus sanctam apostolicam Sedem et Romanum Pontificem, in universum Orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium totiusque ecclesiae caput, et omnium christianorum patrem et doctorem existere; et ipsi in beato Petro, pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum conciliorum, et in sacris canonibus continetur. Renovantes insuper ordinem traditum in Canonibus ceterorum venerabilium Patriarcharum; ut patriarcha constantinopolitanus secundus sit post sanctissimum romanum pontificem, tertius vero Alexandrinus, quartus autem Antiochenus, et quintus Jerosolymitanus, salvis videlicet privilegiis omnibus, et juribus eorum.

Datum Florentiae in sessione publica synodali solemniter in ecclesia majori celebrata, anno incarnationis Dominicae millesimo quadringentesimo trigesimo nono, pridie nonas Julii, pontificatus nostri anno nono.

Octavo, cum inter alia sit etiam cum ipsis Armenis disputatum, quibus diebus festivitates Annuntiationis beatae Mariae Virginis, Nativitatis beati Joannis baptistae, et consequenter Nativitatis, et Circumcisionis Domini nostri Jesu Christi, ac

Praesentationis ejusdem in templo, seu Purificationis beatae Virginis Mariae celebrari debeant, satisque dilucide veritas patefacta fuerit, tam Sanctorum Patrum testimoniis, quam consuetudine Romanae Ecclesiae, et omnium aliarum, universaliter apud Latinos et Graecos. Ne igitur in tantis celebritatibus dispar sit Christianorum ritus, unde perturbandae charitatis occasio posset oriri, decernimus tamquam veritati et rationi consentaneum, ut[1]) juxta totius reliqui orbis observantiam, ipsi[2]) etiam Armeni festum Annuntiationis beatae Mariae die Vigesimaquinta[3]) Martii, Nativitatis beati Joannis Baptistae Vigesimaquarta Junii, Nativitatis vero secundum carnem Salvatoris nostri Vigesimaquinta Decembris, Circumcisionis ejusdem Prima Januarii, Epiphaniae Sexta ejusdem Januarii, Praesentationis Domini in templo, seu Purificationis Dei Genitricis Secunda Februarii, debeant solemniter celebrare.

His omnibus explicatis praedicti Armenorum oratores, nomine suo, et sui patriarchae, ac omnium Armenorum, hoc saluberrimum synodale decretum, cum omnibus suis capitulis, declarationibus, diffinitionibus, traditionibus, praeceptis, et statutis, omnemque doctrinam in ipso descriptam, nec non quidquid tenet, et docet Sancta Sedes Apostolica, et romana ecclesia cum omni devotione, et obedientia acceptant, suscipiunt, et amplectuntur. Illos quoque Doctores, et Sanctos patres, quos ecclesia romana approbat, ipsi reverenter suscipiunt. Quascumque vero personas, et quidquid ipsa romana ecclesia reprobat et damnat[4]), ipsi pro reprobatis et damnatis habent. Profitentes tamquam veri obedientiae filii, nomine quo supra, ipsius Sedis apostolicae ordinationibus et jussionibus fideliter obtemperare.

[1]) Edit. *et.*
[2]) *Ut ipsi.*
[3]) Edit. 25 *mensis Martii.*
[4]) *Damnat et reprobat.*

Lecto autem solemniter in nostra et hujus sanctae synodi praesentia memorato decreto, mox dilectus filius Narses Armenus nomine ipsorum Oratorum in idiomate Armenico, publice haec quae sequuntur legit, quae in continenti dilectus filius Basilius Ordinis Minorum, noster et ipsorum Armenorum communis interpres, publice sermone latino in hunc modum exscripto legit:

Beatissime Pater, et sanctissima synode, totum hoc sanctum Decretum, quod nunc latine coram vestra publice lectum est praesentia fuit nobis pridie de verbo ad verbum in nostro idiomate clare expositum, et interpretatum, quod quidem optime nobis placuit et placet: Ad majorem autem nostrae mentis expressionem ejus effectum summatim repetimus.

In ipso continetur primo, qualiter populo nostro Armenorum traditis sanctum symbolum Constantinopolitanum, cum illa additione *Filioque*, ut in Ecclesiis nostris, diebus saltem Dominicis, majoribusque festivitatibus intra missarum solemnia decantari seu legi debeat.

Secundo diffinitionem quarti universalis Concilii[1]) chalcedonensis, de duabus naturis in divina[2]) Christi persona.

Tertio diffinitionem de duabus Christi voluntatibus et operationibus in sexto universali concilio promulgatam.

Quarto declaratis, quod ipsa chalcedonensis synodus, et beatissimus Leo Papa recte de duabus

[1]) *Concilii quarti universalis Chalcedonensis.*

[2]) *In una Christi persona.*

in una persona Christi naturis, veritatem diffinierint contra impia [1]) Nestorii, et Eutychis dogmata, jubetisque ut ipsum beatissimum Leonem, tamquam Sanctum, et fidei columnam veneremur. Atque non solum has tres synodos, nicaenam, constantinopolitanam, et ephesinam primam, sed et omnes alias universales auctoritate romani pontificis legitime celebratas suscipiamus.

Quinto brevem formulam septem Sacramentorum Ecclesiae videlicet baptismi, confirmationis, eucharistiae, poenitentiae, extremae unctionis, ordinis, et matrimonii, declarando quae sit cujuslibet sacramenti materia, forma et Minister. Quodque in sacrificio altaris dum calix offertur, vino paululum aquae admisceri debet.

Sexto quamdam compendiosam beatissimi Athanasii fidei regulam, quae incipit: Quicunque vult salvus esse, etc.

Septimo, Decretum unionis conclusae, cum Graecis in hoc sacro concilio pridem promulgatum, continens, qualiter Spiritus sanctus ex Patre et Filio aeternaliter procedit, et quod illa additio: *Filioque,* licite et rationabiliter, ipsi symbolo constantinopolitano fuit apposita. Quodque in pane triticeo azymo vel fermentato, corpus Domini conficitur. Quid etiam credendum sit de poenis purgatorii et inferni, ac vita beata, et de suffragiis, quae pro defunctis fiunt.

Item de plenitudine potestatis Sedis Apostolicae tradita a Christo beato Petro et suis Successoribus, atque de ordine patriarchalium sedium.

[1]) *Impii.*

Octavo decernitis, ut de cetero Armeni has festivitates infrascriptis diebus, more universalis ecclesiae, celebrare debeant, videlicet Annuntiationis beatae Mariae Virginis Vigesimaquinta Martii, Nativitatis beati Joannis Baptistae Vigesimaquarta Junii, Nativitatis Salvatoris nostri secundum carnem Vigesimaquinta Decembris, Circumcisionis ejusdem Prima Januarii, Epiphaniae Sexta ejusdem Januarii, Praesentationis Domini in templo, sive Purificationis beatae Mariae secunda Februarii.

Nos igitur oratores, nomine nostro, nostrique reverendi patriarchae et omnium Armenorum, sicut et Vestra Sanctitas in ipso decreto attestatur, hoc saluberrimum synodale Decretum cum omnibus suis capitulis, declarationibus, diffinitionibus, traditionibus, praeceptis, et statutis, omnemque doctrinam in ipso descriptam, necnon quidquid tenet, et docet sancta sedes Apostolica, et Romana Ecclesia cum omni devotione et obedientia acceptamus, suscipimus, et amplectimur. Illos quoque doctores et sanctos patres, quos ecclesia romana approbat, reverenter suscipimus: quascunque personas, et quidquid ipsa ecclesia Romana reprobat et damnat, nos pro reprobatis et damnatis habemus; profitentes tanquam veri obedientiae filii, nomine quo supra, ipsius Sedis Apostolicae ordinationibus et jussionibus fideliter obtemperare.

Datum Florentiae in publica Sessione synodali solemniter in ecclesia majori celebrata Anno Incarnationis dominicae Millesimo quadringentesimo trigesimo nono decimo Kalen. Decemb. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ego Eugenius catholicae ecclesiae episcopus ita decernens subscripsi.

† Ego Antonius episcopus Estiensis, Cardinalis Bononiensis me subscripsi.

† Ego Branda Episcopus Portuensis, Cardinalis Placentinus, subscripsi.

† Ego N. tit. Sanctae ✠ Presbyter Cardinalis subscripsi.

† Ego F. tit. Sancti Clementis Presbyter Card. subscripsi.

† Ego A. tit. Sancti Marci Presbyter Card. subscripsi.

† Ego Jul. tit. Sanctae Sabinae Presbyter Card. subscripsi.

† Ego Prosper Sancti Georgii ad velum aureum, Diaconus Card. subscripsi.

† Dominicus Sanctae Mariae in Via lata, Diaconus Card. subscripsi.

† Ego Blasius Patriarcha Jerosolymitanus subscripsi.

† Ego Marcus Patriarcha Gradensis subscripsi.

† Ego Gaspar Archiepiscopus Neapolitanus subscripsi.

† Ego Nicolaus Archiepiscopus Capuanus subscripsi.

† Ego Raymundus Archiepiscopus Consanus subscripsi.

† Ego L. Archiepiscopus Florentinus subscripsi.

† Ego Latinus de Ursinis Archiepiscopus Tranensis subscripsi.

Ego . . . . Episcopus Comanus subscripsi.

† Ego Jacobus Episcopus Adriensis subscripsi.

† Ego Petrus Episcopus Massanus subscripsi.

Ego Jo. Episcopus Morinensis subscripsi.

† Ego Bartholomeus Episcopus Cryptaquensis subscripsi.

† Ego Christophorus Episcopus Ariminensis subscripsi.

Ego Daniel Episcopus Concordiensis subscripsi.

† Ego Robertus Episcopus Aretinus subscripsi.

† Ego Bo. Episcopus Vulterranus subscripsi.
† Ego Antonius Episcopus Cesen. subscripsi.
† Ego Petrus Episcopus Aussarensis subscripsi.
† Ego Joannes Episcopus Nivernensis subscripsi.
† Ego Scipio Episcopus Mutinensis subscripsi.
† Ego Jacobus Episcopus Lucer. Christianorum subscripsi.
Ego Mathaeus Episcopus Sistaviensis.
Ego Aymericus Episcopus Montis Regalis subscripsi.
† Ego G. Granatensis Episcopus subscripsi.
† Ego Baptista electus Theatinus subscripsi.
† Ego Alexius Episcopus Clusinus subscripsi.
† Ego Johannes electus Osiliensis subscripsi.
† Ego Guillermus electus Leonen. subscripsi.
† Ego Petrus Episcopus Cavallicensis subscripsi.
† Ego Antonius Episcopus Portugallensis subscripsi.
† Ego Bassustachius Episcopus Lucerinus subscripsi.
† Ego Benotius Episcopus Fesularum subscripsi.
† Ego Bartholomaeus Episcopus Valven. subscripsi.
† Ego Laurentius Episcopus Achajensis subscripsi.
† Ego Nicolaus Episcopus Tiburtinus subscripsi.
† Ego Amicus Episcopus Aquilensis subscripsi.
Ego Johannes Episcopus Arben. subscripsi.
† Ego Mathaeus Episcopus Sabaten. subscripsi.
† Angelus Episcopus Arianensis subscripsi.
† Ego Guillermus de Estoutevilla electus confirmatus Andegavensis subscripsi.
† Ego Angelus Episcopus Parentinus subscripsi.
Ego P. Episcopus Paduanus subscripsi.
Ego Mafaeus Abbas Sancti Firmi Veronensis.
Ego Timotheus Abbas Sancti Andrae Mantuae.

Ego Jacobus Abbas Sancti Salvii prope Florentiam.

Ego Benedictus Abbas Sancti Pancratii de Florentia.

Ego Benedictus Abbas Sancti Zenonis de Pisis.

Ego Dopnus Petrus Abbas Sancti Michaelis de Pisis.

Ego Johannes Abbas Sancti Angeli de Vergareto Ordinis Camaldulensis.

Ego Dopnus Jacobus Abbas Sancti Salvatoris de Fore . . .

Ego Dompnus Franciscus Abbas Sanctae Mariae de Pacciano.

Ego Dompnus Ottavianus Abbas Sancti Pauli de Pazzolo.

Ego Dompnus Franciscus Abbas Sanctae Mariae de Grignano.

Ego Frater . . . . Abbas Sanctorum Martyrum . . . et Victoriae Cordubens.

Ego Fridericus de Taranto Abbas Monasterii Sanctae Mariae de Boreto.

Ego Johannes Abbas de Tyro Januensis Dioecesis.

Ego Laurentius Abbas de Cultroy . . . blanensis Dioecesis.

Ego Mathaeus Abbas Sancti Donati Senen. de . . . Valle.

Ego Guillermus Abbas Sancti Johannis de Sordua.

Ego Bartholomaeus . . . .

Ego Antonius Abbas Sanctae Mariae de Monte Plano Ord. Vallombros subscripsi.

Ego Philippus Abbas Sancti Salvatoris de Varano.

Ego Dompnus Bernardus Abbas Monasterii Sancti Justi de Vulternis subscripsi.

Ego Dompnus Paschasius Abbas Sancti Johannis Evangelistae de Burgo Sancti sepulcri.
Ego Dompnus Jacobus Abbas Monasterii de Agnano subscripsi.
Ego Antonius Sanctorum Salvatoris et Sancti Vigilii de Senis Abbas subscripsi.
Ego Johannes Abbas Sancti Michaelis de Aretio manu propria scripsi.

Ne vero praedictum Decretum mutilum referatur, opportunum putamus eam quoque partem eidem attexere, quae pro Jacobitis quidem lata est, sed Armenorum quoque res aliquatenus attingit.

Quoniam nonnullos asseritur quartas nuptias tanquam condemnatas respuere, ne peccatum ubi non est, esse putetur, cum secundum apostolum mortuo viro mulier sit ab ejus lege soluta, et nubendi cui vult in Domino habeat facultatem, nec distinguat mortuo primo, vel secundo, vel tertio: Declaramus non solum secundas, sed et tertias et quartas, atque ulteriores, si aliquod canonicum impedimentum non obstet, licite contrahi posse. Commendatiores tamen dicimus, si ulterius a conjugio abstinentes in castitate permanserint, quia sicut viduitati virginitatem, ita nuptiis viduitatem laude, ac merito praeferendam esse censemus. (Justiniani, Acta Conc. Flor. 373.)

ՀՐՈՎԱՐՏԱԿ ՍԿԶԲՆԱԿԱՆ

ՄԻՈՒԹԵԱՆ ՀԱՅՈՑ ԸՆԴ ՍՐԲՈՅ ՀՌՈՄԷԱԿԱՆ ԵԿԵՂԵՑՒՈՅ

ՏՈՒԵԱԼ

Ի ՍՈՒՐԲ ՏԻԵԶԵՐԱԿԱՆ ՍԻՆՀՈԴՈՍԻ ՓԼՈՐԵՆՏԻԱՅ

Ի ԻԲ ՆՈՎԵՄԲԵՐ ԱՄՍԵԱՆ 1439.

Աստուծոյ գովութիւն, Աստուծոյ գոհութիւն.

(Թարգմանութիւն պատգամաւորաց Հայոց կաթողիկոսին ի Ս. ժողովն Փլորենտեայ)

ԷՈՒԺԷՆԻՈՍ ԵՊԻՍԿՈՊՈՍ ԾԱՌԱՅ ԾԱՌԱՅԻՑ ԱՍՏՈՒԾՈՅ

ԱՌ ՄՇՏՆՋԵՆԱՒՈՐՈՒԹԵԱՆ ԻՐԻՍ ՅԻՇԱՏԱԿՈՒԹԵԱՆ։

Ցնծացէք առ Աստուած զի յաւգնական է մեր. աղաղակեցէք առ Աստուած յակոբա։ Ամենայն ուրեք որ անուանեալ համարին քրիստոնեայք։ Ահա իսկ. կրկին տէր յիշեաց զողորմութիւն իւր. զի զայն բաժանող քարն, ինն հարիւր եւ այլ առաւել հնացեալ տարաւք, ի յեկեղեցոյն իւր բառնալոյ արժանաւորեաց. եւ որ առնէ հաշտութիւն ի բարձունս, եւ ի յերկիր խաղաղութիւն է մարդկան բարի կամաց։ Փափաքելով Հայոց միութեանն, իւր անբաւ ողորմութիւնն պարգեւեաց։ Օրհնեալ է Աստուած եւ հայր Տեառն մերոյ Յիսուսի Քրիստոսի. հայր գթութեանց եւ աստուած ամենայն մխիթարութեանց, որ մխիթարէն զմեզ յամենայն ի նեղութեանց մերոց։ Հայեցաւ իսկ գթութեանց տէրն յեկեղեցիս իւր։ Արդ յայնցանէ որ արտաքս են, այժմ յայնցանէ որ ի ներքս, ոչ սակաւ շարժումն մրրկեալ։ Զի ի ներքս ինքեանց. կարողացոյց զվտանգեալն. եւ առ ընդդէմ կալոյ զաւրացոյց զի յառնել կարասցէ։ Բազմաւք զնա զաւրհանապազ. զանազան մխիթարութեան եւ քաջալերութեան արժանաւորեաց։

Նաեւս փոքր ինչ աւուրբք զմեծն Նոցա զյունաց միութիւնն, որ բազում երկայն եւ լայն ըմբռնեալ է զազգ եւ լեզու։ Այսօր ստոյգ զայն եւս զինքեանց զհայոց ժողովուրդքն, որ ի կողմն հիւսիսոյ եւ արեւելից, ի բազումս ըխբացեալ են եւ սփռեալ, ի մի եւ ի նոյն հաւատ եւ ի սէր ըմբռնեցան, եւ ընդ աթոռ առաքելոյ հաստատեցան։ Զայս ճշմարտապէս այսքան մեծ եւ սքանչելի իրս աստուածային խնամոցն պարգեւեալ են։ Զի ոչ միայն վասն երկուցն եւս. այլ ոչ միոյն կամ այլոյն, կատարեալ արժանի իւր մեծութեանն գոհութիւն մատուցանել. այլ որքան կարիցէ միտք մարդկան։ Ո՜վ ոչ յուժ զարմասցի՝ ի մի եւ ի նոյնեւս այսքան կարճառաւտ ժամանակի։ Երկու այսպէս պայծառ՝ եւ բոլոր յաւիտենիս փափաքելի գործ. ի յայս սրբազան սիւնհոդոսիս, եղեւ ցնծութեան կատարումն։ Ճշմարիտ ի տեառնէ եղեւ այս, եւ է սքանչելի յաչս մեր. ո՞ր իսկ մարդոյ իմաստութիւն կամ հնարք. բայց միայն շնորհքն աստուծոյ սկիզբն արար եւ կատարեաց։ Ա՞յսպէս եւ այսչափ իրս կատարելոյ մարդ չէ՞ բաւական։ Գովեմք հանապազ եւ բոլորով սրտիւ աւրհնեմք զտէր, որ առնէ մեծ սքանչելիս միայն։ Նմա եւս սաղմոս ասասցուք հոգով. սաղմոս ասացուք եւ ի միտ առցուք, բերանով եւս եւ գործով։ Ո՜րչափ կարող է մարդկային տկարութիւնս. վասն այսչափ ընծայիս գոհութիւն տացուք։ Աղաւթիւք եւ պաղատանաւք խնդրեսցուք, զի որպէս սոքա յոյնքս, յորսեւ հայք՝ մի ընդ եկեղեցոյն հռոմայ եղեն, նոյնպէս եղիցին եւ այլքն ազինք։ Եւս առաւել Քրիստոսի կնքով նշանեալքն, եւ բոլորովին յետոյ ժողովուրդք քրիստոնէից, զամենայն ատելութիւն եւ զխռովութիւն շիջուսցեն։ Առանց երկբայութեան՝ խաղաղութեամբ եւ եղբայրական սիրով հանգչիլ եւ ուրախանալ։

Սոքա իսկ հայքս՝ մեծ գովութեան գոչմամբ արժանաւոր համարիմք։ Զի նախ իսկ ի մէնջ առ սիւնհոդոսս կոչեցեալք են, որպէս զեկեղեցականք կարաւտ են միութեան։ [1]) Երջանիկք եւ ջերմեռանդք րաբունիքս դեսպանքս իւրեանցն ընդ կատարեալ հրամանաւն, որպէս զի առցեն այսինքն՝ զոր ինչ հոգին սուրբ ի յայս սուրբ սիւնհոդոսս լուսաւորէ։ Եւ հեռաստան

[1]) Լատ. tanquam ecclesiasticae avidi unitatis.

ուրեքէ բազում վստակաւք ծովից ահիւն. առ մեզ եւ յայս սուրբ սիւնհոդոս առաքեցան։

Մեք ըստոյգ զի մերով բոլոր մտաւք, զի մեր հովուութեանս կարգի պարտ էր, փափաքմամբ զայսքան սուրբ գործս կատարել, հանապազ ընդ սոցա գեսպանացս տրամաբանելով՝ եւ ոչ կամ փոքր ինչ, զի ի յայս սուրբ իրս յապաղումն ոչ լինէր, եդաք ի յամենայն կարգաւորաց յայս սուրբ խորհուրդքս՝ պրպք գէտք կտակարանաց աստուածաբանութեանց եւ իմաստասիրութեանց, րաբունապետք որ ոք ամենայն կարողութեամբն եւ ուսմամբնեւս եւ զայս գործս ընդ սոցա գեսպանացս՝ յայտնեցին մանրաքննութեամբ։ Իւրեանց հաւատովն այսչափ մերձ յաստուածաին միութեան էութեանն եւ աստուածաին անձանց երրորդութեանն։ Զոր եւ տեառն մերոյ յիսուսի քրիստոսի մարդեղութեանն, եւ եւթն խորհրդոյ եկեղեցւոյ, եւ այլ առ հաւատոյ ուղղափառութիւնն եւ բոլոր միահամուռ եկեղեցւոյ պատշաճն։

Բազում եւս այնպէս բերաւ ի մէջ տրամաբանութեամբ, եւ մխիթարութեամբ եւ գրաւբ։ Յետոյ եւս ոչ սակաւ շարժուն՝ վկայութիւնք տեսանելով, զոր ի սրբոց եկեղեցւոյ հարցն եւ րաբունեացն ածեալ եղեւ։ Եւ ի սոցանէ որոց առնէին իրիս քննութիւն զաւարտն դատեցաք։ Ոչինչ յապագայն ի հաւատոյ ճշմարտութեանն քաւ լիցի ի սոցանէ հայոցս կարծիս լինել։ Եւ եւս նովիմբք ամենեքեան իմացին ընդ աթոռ առաքելոյ միութեամբ եւս։ Զայսոսիկ ամրութեամբ եւ մշտնջենաւորութեամբ, առանց ամենայն տարակուսանաց հետեւին իսկ։ Զի ի նելքո սակաւոց կարճ ի կարճոյ համառաւտիւ՝ ուղղափառութեամբ հաւատոյ՝ ճշմարտութիւնն զոր ի վերոյ արտադրեցաք։ Հռոմայ դաշնաւորութիւն եկեղեցոյն վասն այս սուրբ սահմանացս, զոր բազմանս զայս ընտրեալ փլաւրենթինոյ միահամուռ ժողովոյս։ Որք իսկ դեսպանքս՝ առ այսոսիկ մինչեւս հաւանեցան զսա պարգեւելոյ։

Ա. Նախ՝ ապա ուրեմն տամք սոցա զսուրբ դաւանութիւն հարիւր եւ յիսուն եպիսկոպոսացն կոստանդինոպոլսի ժողովոյն արտադրեալն. ընդ այնմ յաւելուլ՝ «որ եւս։ Զայս գաւա-

նուիրիւնս մեկնեալ ճշմարտութեանն շնորհաւք, այլ եւ կարեաց հարկի եւ պատշաճի եւս բանականութեամբ եդումն. զի որոյ հնչումն այսպիսի է։

Հաւատամ ի մի աստուած՝ հայրն ամենակալն արարաւղն երկնի եւ երկրի երեւելեաց ամենայնի եւ աներեւութից։ Եւ ի մի տէր մեր յիսուս քրիստոս որդին աստուծոյ միածինն։ Եւ ի հաւրէ ծնեալ յառաջ ամենայն յաւիտեանս։ Աստուած ի յաստուծոյ լոյս ի լուսոյ, աստուած ճշմարիտ ի յաստուծոյ ճշմարտէ, ծնեալ ոչ արարեալ։ Համագոյ հաւրն՝ որով ամենայն եղեալ են։ Որ վասն մեր մարդկան եւ վասն մերոյ փրկութեան իջեալ ի յերկինից եւ մարմնացեալ է ի հոգւոյն սրբոյ ի Մարիամ կուսէ։ Եւ մարդ եղեալ խաչեալ մինչ վասն մեր ներքոյ պոնտացիոյ պիղատոսի, չարչարեալ եւ թաղեալ է։ Եւ յարեալ յերրորդ աւուր ըստ գրոց։ Եւ ելեալ առ յերկինս նստեալ առ աջմէ հաւրն։ Եւ կրկին գալոց է ընդ փառաւք դատել զկենդանիս եւ զմեռեալս։ Որոյ արքայութեանն ոչ գոյ վախճան։ Եւ ի հոգին սուրբ տէրն եւ կենդանարարն. որ ի հաւրէ որդոյ եւս ելանէ, որ ընդ հաւրէ եւ որդոյ ի միասին երկրպագի եւ փառաւորի. որ խաւսեցեալ է ի մարգարէսն։ Եւ ի սուրբս կաթողիկէ եւ առաքելական եկեղեցի։ Խոստովանիմ մի մկրտութիւն, թողութիւն մեղաց. եւ սպասեմ յարութեան մեռելոց։ Եւ կեանք գալոց յաւիտենական ամէն։ Այս իսկ սուրբ դաւանութիւնս, որ առ լաթինքս սովորութիւն է։ Այնպէս ընտրեմք տա ամենայն եկեղեցիք հայոց. ի մէջ պատարագաց հանդիսաւորաց։ Բայց թէ ոչ ամենեւին, այլ ի կիւրակէիցն աւուրք եւ աւուրք տաւնիցն երգել կամ ընթեռնուլ։

Բ. Երկրորդ՝ տամք սոցայ զսահմանքն չորրորդ միահամուռ ժողովոյն քաղկեդոնի։ Այլեւ զհինկերորդն յետեւ զվեցերորդն միահամուռ ժողովքն. նորոգեալ երկու բնութիւնք ի մի քրիստոսի անձն. որոյ հնչումն այսպիսի է։ Բաւական էր իսկ իմաստնոյ այսոքիկ։ Այլեւ զփրկականն աստուածաբան շնորհիւն զդաւանութիւնն առ լի ճանաչումն եւ հաստատութիւն խնամոյն։ Զի ի հայրէ իսկ եւ որդի եւ հոգի սուրբ եւ զկատարելութիւնն ուսուցանէ։ Այլ եւ զտեառն մարմնանալոյն. հաւա-

տարիմ ընդունողացն պարգեւէ։ Բայց զորս նոքա որ ջանան կործանել զքաղողութիւն ճշմարտութեանն, զի իւրեանց հեր-ձուածողութեամբն նորաձայնութիւն ծնան. եւ այսոքիկ իսկ յանդգնութեամբ ապականել զծածուկ տնաւրէնութիւնտեառն, որ վասն մեր եղեւալ է։ Զի ոմանք իսկ ի ներքս մուծին ամաւ-թըս [1]) խառնմամբ եւս, եւ խելագարեցան ընդդիմութեամբ, մի լինել բնութեան մարմնոյն եւ աստուածութեանն, եւ զբնա-նակրութիւն [2]) ոսկերացն, եւ զչարչարանքն, ասացին միածնին աստուծոյ բնութեանն։ Վասն այս կամեցաւ արտաքսել զնոսա եւ զամենայն հնարքսն, որ ընդդէմ ճշմարտութեանն։ Զի ի ներկայս այժմ, սուրբս եւ մեծ միահամուռ սիւնհոդոսս եւ քա-րողութիւնք այսոքիկ ուսոյց ի սկզբանէ անշարժ։ Սահմանեցաք նախ քան զամենայն. զհաւատս երեքհարիւր եւ տասն եւ ութ սուրբ հարցն բնակիլ անուրացութեամբ [3])։ Եւ յետոյ ժամա-նակի վասն այնոցիկ որք մարտնչին ընդդէմ հոգւոյն սրբոյ, կա-րողացուցանէ զուսմունս ի գոյացութեան հոգոյն։ Նտուն մեզ հայրքն հարիւր եւ յիսունքն առ կոստանդինուպաւլիս ժողո-վեալքն [4])։ Այլ՝ նոցա մտաւորութեամբն, եւ ի սուրբ հոգւոյն եւ գրոց վկայութեամբն մեկնեցին ընդդէմ նոցա, որ զտէրու-թիւն հոգւոյն նախատմամբ փորձէին. այլ վասն այնոցիկ իսկ որ ջանան ապականել զծածուկ տնաւրէնութիւնն, եւ խելագա-րութեամբ թիւրեցան, ասելով լոկ մարդ լինել զայն որ ի սըր-բոյ կուսէն Մարիամայ ծնեալ է։ Առեալք զնամակն սիւնհո-դոսի զերանելոյն կիւրղի, որ երբեմն վերակացու լեալ եկեղե-ցոյն աղէքսանդրու. զի առ նեստոր եւ առ արեւելեանս բնա-կողացն առ ի պարտութիւն նեստորի խելագարութեանն, եւ առ թարգմանիքն նոցա [5]) որ փրկական դաւանութեանն յիշողք եւ

[1]) Confusio լատիներէն բառը յատկապէս չփոթութիւն, խառնակութիւն, իսկ inconfuse անշփոթ կը նշանակէ. բայց անյատկապէս պարփակմամբ, ամենալայն նշանակութեամբ ալ կը գործածուին. ինչպէս՝ Երեմ. Զ. 15. Ուրոպէս ամաչեցեալք ամաչեցին, լատ. կ'ըսէ Confusione non sunt confusi. Բ. Մակաբ. Ե. 7. Զամօթ [illegible]. Լատ. Confusionem accepit, այսպէս Եբր. ԺԲ. 2. ուր լատ. Confusionem contempsit կ'ըսէ, Հայերէնը կը թարգմանէ Արհամարհեալ զամօթ, եւայլն։ Կոնդակիս թարգմանիչը վը-րիպմամբ confusio եւ inconfuse բառերը, թէ հոս եւ թէ ուրիշ տեղ անյատուկ նշանակութեամբ առեր թարգմաներ է։

[2]) Նմանութեամբ մը շարունակութեան նշանակութեամբ գրուած է. ինչպէս միջին դարերու գրութեանց մէջ կը տեսնուի։

[3]) Լտ. Manere irrecusabilem կալ մնալ անմերժական։

[4]) Հոս պարբերութիւն մըդուրս ձգուած է. տեսնոր թարգմութեան մէջ։

[5]) Այսինքն է. Եւ առ թարգմանու-թիւն կամ մեկնութիւն։

նախանձողք գիտել ցանկային։ Որոց մինչեւս հետեւմամբ նամա-
կայն շինեալք։ Ա՛յլ եւ մեծն եւ ծերն շրջագաւեալ քաղաքին
հռոմա վերակացուն, երանելին եւ սուրբն Լեւաւն պապն, որ
գրեալ է առ սուրբ յիշատակն արհիեպիսկոպոսն ֆլաւիանոսն,
առ սատակումն եւտիքոսի չարիմացմանն։ Զի հանապազ գՀա-
ճայն նորա զմեծի պետրոսին զխոստովանութիւնն եւ առ մեզ
հասարակ, իբր զսիւն ընդդէմ չար ուսմանցն, եւ առ հաս-
տատութիւն ուղիղ ուսմանցն։ Զնոսա եւս, որ յերկու որդիս
զտնաւրէնութիւնն աստուածային զծածուկն, պատառել յաւ-
ժարէին ընդդէմ նոցա։ Եւ զնոսա որ չարչարելի զաստուածու-
թիւն միածնին յանդգնութեամբ են ասացեալ, ի սրբոց կայա-
նացն արտաքսէ զնոսա։ Եւ զնոսա որ ի յերկու բնութիւնք
քրիստոսի յաւրինեալս զամաւթ (խառնուածն, շփոթութիւն)
խնդրէն ընդդէմ։ Եւ զնոսա որ ասեն զծառաի կերպարանս զոր
ի մէնջ էառ յերկնից լինել, կամ յայլմէ յայլգոյութենէ, զի
զանվարժքն յետընկենու։ Եւ որ երկու իսկ բնութիւնք յա-
ռաջ քան զմիաւորութիւնն տեառն առասպելաբանին, ի ստոյգ
յետ միութեանն արուեստաբանեն նզովէ զնոսա։ Հետեւողքն
իսկ սուրբ հարցն մի եւ նոյն եւս խոստովանելի զորդին զտէրն
մեր Յիսուս քրիստոս, միաձայնութեամբ եւս զամենեսեան
ուսուցանեմք։ Նոյնն կատարեալ ի յաստուածութիւնն, նոյն
կատարեալ ի մարդկութիւնն։ Աստուած ճշմարիտ եւ մարդ
ճշմարիտ։ Նոյնն է ի հոգոյ բանականէ եւ ի մարմնոյ։ Համագոյ
հաւր է ըստ աստուածութեանն եւ համագոյ մեզ նոյնն ըստ
մարդկութեանն. ամենայնիւ մեզ նման բաց ի մեղաց։ Յառաջ
յաւիտեան իսկ՝ ի հաւրէ ծնեալ ըստ աստուածութեանն.
ի վերջին իսկ աւուրք նոյն վասն մեր եւ վասն փրկութեան
մերոյ ի Մարիամայ կուսէ ծնեալ, աստուածածնէն ըստ մարդ-
կութեանն։ Մի եւ նոյն եւս քրիստոսն ճշմարիտ որդի տէրն
միածինն ի յերկու բնութենէ, անամաւթ (անշփոթ) անփոփո-
խելի անբաժանելի, անորոշելի ճանաչմամբ։ Ամենեւին ոչ բար-
ձաւ աստուածութիւնն բնութեանն վասն միաւորութեանն։
Ա՛յլ առաւել եւս մնալ իւրաքանչիւր երկոցունց բնութեանցն.
եւ ի մի անձն՝ եւ եւս յատկութեան հետեւումն։ Ոչ ի յեր-
կուս անձինս բաժանեալ կամ որոշեալ. այլ մի եւ նոյն որդին
միածին, աստուած ճշմարիտ տէրն մեր Յիսուս քրիստոս, որ-

պէս յառաջ մարգարէքն ի նմանէ, եւ ինքն զմեզ Յիսուս Քրիստոսն ուսոյց. եւ յետոյ սրբոց Հարցն ի մեզ տուեալ ըզդաւանութիւնն:

Գ. Երրորդ սահմանքն. ի յերկուց կամաց, յերկուց եւս Քրիստոսի ներգործութեանց: Զի ի վերոյ ասացեալ վեցերորդ ժողովովն յայտնեալ. որոյ հնչումն այսպիսի է: Բաւական էր իսկ, եւ զմիացեալն որ ի յայն սահմանքն ի ժողովն քաղկեդոնի, զոր ի վերոյ պատմեալ է. հետեւեսցին մինչեւ առ իսպառն: Ձետ որոյ հետեւիլն. ի սոյնպէս եւ երկուց բնութեանց կամքն ի նա, եւ երկուց բնութեանց գործքն, անբաժանելի, անդառնալի, անորոշելի անամուխ (անշփոթ): Ըստ սրբոց Հարցն ուսուցողացն, առաւել [1]) եւս յիրաւի քարոզեմք եւ ի յերկուց բնութեանց կամքն, ոչ հակառակ՝ քաւ լիցի, մերձ զոր [2]) որպէս ամբարիշտքն ասացին հերձուածողքն: Ա՛յլ հետեւմամբ մարգկութեանն նորա կամքն, ոչ հակառակ կամ մարտնչելի: Ա՛յլ՝ առաւել եւ հպատակ աստուածութեանն իւր, եւ ամենակալող կամացն: Պարտ էր իսկ մարմնոյ կամացն շրջագային ի ներքոյ ստոյգ կամաց աստուածութեանն: Մերձ իմաստնոյն աթանասի, զի որպէս իսկ նորա մարմինն աստուծոյ բանին ասացեալ է, եւ է. նոյնպէս եւ բնութեան մարմնոյ նորա կամքն առանձինն աստուծոյ բանին ասացեալ է, եւ է. որպէս ինքն ասաց, զի իջի ես յերկնից՝ ոչ զկամս իմ արարից, այլ զկամն այնորիկ որ առաքեացն զիս Հայրն. իւր առանձինն ասաց զկամս որ էր մարմնոյ իւրոյ, նա եւս մարմինն իւր առանձինն եղեալ է: Որպէս իսկ սրբոյ եւ եւս անբիծ Հոգեւորիքն նորա մարմինն եւ աստուածացեալ է, ոչ է կորուսեալ: Ա՛յլ ի յառանձինն իւր կացուցմն եւ բանականութիւնն եկաց. սոյնպէս եւ մարդկութեանն նորա կամք աստուածացեալ է, եւ ոչ է կորուսեալ: Պահեալ է իսկ առաւել ըստ աստուածաբանին գրիգորի ասացելոյն. նա եւս զիւր կամն որ ի փրկիչն իմանի ոչ է հակառակ աստուծոյ, զի աստուածացեալ է բոլորն: Երկու ստոյգ բնութեանց ներգործութիւնքն, անբաժանելի, անդառնալի, անամուխ (անշփոթ), անորոշելի. ի նոյն տէրն Յիսուս Քրիստոսն ճշմարտի աստուծոյ մերոյ: Փառաւորեմք՝ այս է զաստուածային ներգործութիւնն, եւ

[1]) Յօր. առ եւս:

[2]) Լ. juxta quod Ըստ այնմ զոր:

զմարդկային ներգործութիւնն։ Ըստ աստուածայնոյն քարոզողի Լեւոնի յայտնապէս ասելն՝ լինի իսկ երկոցունց կերպարանքն ընդ միմեանս հաղորդեալ՝ զոր առանձինն է բանին, այսինքն ներգործութիւնն զոր բանին է, եւ մարմնոյն հետեւիլն զոր մարմնոյն։ Ոչ իսկ զմինն միւսոյն, զի զմինն տացուք զընութեան ներգործութիւնն աստուծոյ եւ ստեղծուածի, զի ոչ եւս զոր ստեղծեալ է ի յաստուածայինն քարշեմք զէութիւնն. եւ ոչ եւս զոր վեհագոյնն է աստուածային բնութեանց վայելչութիւնքն ստեղծուածոյ տեղ ոչ արկանեմք։ Միոյ իսկ նովիմբ որպէս զսքանչելիսն եւ եւս զչարչարանսն ճանաչեմք։ (Թէպէտ առ սքանչելին ասէ կիւրղի յուրեւ ըստ այլեւայլ զնորայն ի յորմէ բնութենէն եւ ի յորոց առեալ լինի[1])։ Որպէս առ սքանչելիսն ասէ կիւրղի յուրեւ է[2]) ստոյգ, անամաւթ (անշփոթ) եւ անբաժանելի պահեմք. եւ մի զսուրբ երրորդութիւնն համառօտ ձայնիւ զամենայն ճառեմք։ Եւ յետ մարմնաւորութեանն զտէրն մեր Յիսուս Քրիստոս ճշմարիտ աստուած մեր լինել հաւատալն։ Ասեմք երկու նորա լեալ բնութիւնք ի մի նորա ճառագայթելի յատկութեանն[3]). ի յորս այնքան զսքանչելիսն, նոյնպէս եւ զչարչարանսն։ Ի յամենայն իւր տնաւրէնութեամբ շրջիլն ոչ առաչաւք, այլ ճշմարտութեամբ։ Զայս եցոյց վասն բնութեանն զանազանութեան, ի նոյն եւ ի մի յատկութիւն ճանաչելոյ։ Ընդ երկաքանչքն եւս բնութիւնքն ընդ միմեանս հաղորդեալք անբաժանելի եւ անամաւթ (անշփոթ)։ Առանձինն զոր կամենար եւ եւս գործէր. մերձ զոր քննութեամբ եւ երկուց բնութեանց կամքն եւ ներգործութեանցն խոստովանիմք, առ փրկութեան մարդկան ազգի միաբանեալ ի նա ընթանան։

Դ. Չորրորդ, զի մինչեւ ցայժմ սաքայ հայքս բաց ի յայս երրորդէս, նիկիոյ, կոստանդինուպաւլսի, եւ եփեսոսի առաջին սինհոդոսն. եւ ոչ զայլ ոք միահամուռքն յետոյ արարեալքն ոչ ընդունէին, եւ ոչ զինքն զերանելին զայս սուրբ աթոռոյս առաջնորդն զԼեւոնն որոյ հրամանն զայն քաղկեդոնու զսին-

1) Այս մթին պարբերութիւնը, որ Լատիներէն բնագրին մէջն ալ չկայ, գրչի վրիպմամբ՝ աւելցուած կ'երեւայ։

2) Լատ. undique.

3) Թէ հոս եւ թէ քիչ մը ետքը Յատկութիւն՝ գոյացութեան (substantia) տեղ գրուած է։

Հոգոսն կացցէ եւ ի ժողովն ընկալան: Վասն էր ոչ ընդունէին Հայքն զսոսա, զի ասէին զնոսին լեալ ուսուցմն այսինքն զպատաւողացն. քանզի սիւնհոդոսն այն քաղկեդոնի զրոյս յիշեցաք եւ զլեւաւնն, ըստ վճռոյն նեստորի հերձուածոյն զսահմանն արա- րեալ կարծէին: Ծանուցաք նոցա եւ մեկնեցաք, զի այնպիսիքն սուտք եղեն եւ պատրողք: Եւ զայն եւս զսիւնհոդոսն քաղկե- դոնի եւ զերանելին Լեւաւնն, սրբութեամբ եւ ուղղութեամբ ճշմարտութեանն, ի յերկուց ի մի անձն քրիստոսի բնութիւնք, զոր ի վերոյ գրեալքն սահմանեալ է, ընդդէմ ամբարշտին նեստորի եւ եւտիքոսի ուսմանցն: Պատուիրեմք եւս զի զինքն զերանելին Լեւաւնն, որ ճշմարտապէս հաւատոյ սիւն եղեւ եւ ամենայն սրբութեամբ եւ վարուք լցեալ, որպէս զսուրբ եւ ի տաւնականս սրբոց արժանապէս գրեալ, այսուհետեւ այսպէս համարին եւ սոքայ եւ պատուեն: Եւ եւս ոչ միայն ասացեալ երրորդ սիւնհոդոսքն, այլ զայլսն ամենայն միահամուռ սիւնհո- դոսքն, հրամանաւ հռոմայ քահանայապետին ուղղութիւք արա- րեալքն, որպէս եւ այլ հաւատացեալքն պատուութեամբ ըն- կալցին եւ սոքա:

Ե. Հինգերորդ. եկեղեցականաց խորհրդոց ճշմարտութիւնն վասն սոցա հայոցս, որպէս ի ներկայիցս եւ զրոս ապագայիցն դիւրաւսմամբ ի ներքոյ այսու համառաւտելոյս հաւաքմամբ կերպիւ:

Նոր աւրինացս եւթն են խորհուրդք, այսինքն՝ մկրտու- թիւնն, դրոշմն, պատարագն, ապաշխարութիւնն, աւծումն հիւանդաց, կարգն եւ պսակն, զոր բազմամբ ի խորհրդոցս զա- նազանին ի հին աւրինացն: Այնոքիկ իսկ ոչ պատճառ էին շնորհաց. այլ այնքն միայն զչարչարանս քրիստոսի տալոյ լինել նշանակէին: Այլ ճշմարտապէս մերս ըմբռնեալ զշնորհս. եւ սոքա արժանապէս ընդունողացն շնորհն: Իսկ ի սոցանէ հինգն նախ առ Հոգեւորան միայնոյ իրոյ. եւս առաւել առանձին մար- դոյ կատարելութեանն. երկու վերջինն առ բոլոր եկեղեցոյն Հովուելոյ եւ ի բազմանալոյ եւս կարգաւորեալ են: Ի մկրտու- թենանն իսկ Հոգեւորապէս վերստին ծնանիմք: Ի դրոշմն զար- դանամք ի շնորհն եւ ամրանամք ի հաւատն: Վերստին ծնեալ- քըս իսկ եւ ամրացեալքս սնանիմք աստուածային պատարագաւ

ճաշակելովն: Զոր թէ ի մեղաց հիւանդութեան պատահիմք հոգւով՝ ի յապաշխարելովն հոգևորապէս բժշկիմք: Հոգևորապէս մինչեւս մարմնապէս, զի որպէս հոգին վայելէ ի յաւծումն հիւանդութեանն: Ի կարգն ստոյգ եկեղեցին ինամի եւ բազմանայ հոգևորապէս. իսկ ի պակին մարմնաւորապէս աճէն: Ա՛յս ամենայն խորհուրդքս երիւք կատարի այսինքն իրիւ իբր նիւթ, բանիւ իբր կերպ, եւ անձն սպասաւորին կատարաւղ խորհրդոյ ընդ դիտաւորութեամբ առնելոյ զոր առնէ եկեղեցի, որոց թէ միոն պակասէ ոչ կատարի խորհուրդն: Ի մէջ այս խորհրդոցս երեք են, մկրտութիւնն, դրոշմն եւ կարգն, որ կնիք են, այսինքն հոգեւոր ուրուք նշան, յայլմէ բաժանեալ ի հոգին տպաւորի յանջնջելի յաւրեւէ. եւ ոչ ի նոյն անձն կրկնի: Սնացեալքն ստոյգ չորքն. կնիք ոչ տպաւորեն, եւ զկրկնելն ընդունին: Նախ քան զամենայն խորհուրդքն, տեղաւորի սուրբ մկրտութիւնն, զոր կենաց հոգեւորի դուռն է ի սմանէ անդամք քրիստոսի, եւ ի մարմնոյն լինամք եկեղեցւոյն: Եւ ընդ առաջին մարդոյն մահ եմուտ ի յամենեսեան. բաց ի ջրոյ եւ ի հոգւոյ վերստին ծննդեամբ, սէ կարեմք, զի ասաց ճշմարտութիւնն, ի յարքայութիւն երկնից մտանելոյ: Նիւթ այսոյ խորհրդոյս է ջուր ճշմարիտ եւ բնութեամբ, չէ՛ փոյթ թէ ցուրտ լեալ կամ ջերմ: Կերպն իսկ է. ես զքեզ մկրտեմ ի յանուն հաւր, եւ որդւոյ եւ հոգւոյն սրբոյ.[1]) կամ մկրտի ի ձեռս իմ ի յանուն հաւր եւ որդւոյ եւ հոգւոյն սրբոյ. ճշմարիտ կատարի մկրտութիւնն: Զոր ընդ առաջին պատճառ յորմէ մկրտութիւնն զաւրութիւն առեալ լեալ սուրբ երրորդութեամբն: Գործիքն իսկ լեալ սպասաւորն, որ տայ արտաքոյ զխորհուրդն. թէ պարզապէս զգործն զիր ինքն արասցէ սպասաւորն. ընդ սուրբ երրորդութեան անուանելովն կատարի խորհուրդն: Սպասաւոր այսոյ խորհրդոյս է քահանայն, որումմ ի կարգաւորութենէ յարէ մկրտել: Ի պատճառէ իսկ հարկաւորէ ոչ միայն քահանայն այլ սարկաւագն, այլ մինչ եւս աշխարհական եւ այլ կին յիրաւին անհաւատ եւ հերձուածող մկրտել կարէ. բայց այսքան զի ըղկերպն պահեսցէ զեկեղեցւոյն եւ առնելոյն դիտաւորութեամբն,

[1]) Հոս՝ կը պակսի այս պարբերութիւնը՝ —Այլ ոչ ժխտեմք, եթէ եւ բանիւքս այսոքիւք. Մկրտեսցի ծառայս Քրիստոսի յանուն Հօր եւ Որդւոյ եւ Հոգւոյն սրբոյ —,

զոր առնէ եկեղեցի։ Այսոյ խորհրդոյս ներգործութիւնն է թողութիւն ամենայն մեղաց սկզբնականաց եւ ներգործականաց յամենայնէ եւ եւս տանջանացն, որ վասն ինքեան մեղացն պարտէր։ Վասն այսորիկ մկրտեալքն ոչինչ վասն մեղացն յանցելոց բեռնակրութիւն է հատուցանել։ Այլ թէ մեռանել յառաջ քան զմեղանչելն, եւ այլիւ իբր զորս անկանիլն, վաղվաղակի առ արքայութիւն երկնից եւ աստուածային տեսութեանն ժամանէն։ Երկրորդ խորհուրդն է դրոշմն. որոյ նիւթն է մեռոնն մածեալ ի ձիթոյ, զոր մաքրութիւնն նշանակէ խղճմտանացն. եւ պալասանն, որ հոտն նշանակէ զբարեգործութիւնն եւ ի եպիսկոպոսէ աւրհնեալ։ Կերպն իսկ է. Նշանեմ զքեզ նշանաւ խաչին եւ ամրացուցանեմ զքեզ մեռոնիւս փրկանաւ ի յանուն հաւր եւ որդոյ եւ հոգոյն սրբոյ. կարգաւորելոյ սպասաւորն է եպիսկոպոսն։ Եւ ընդ այլ աւծմունսն միայն քահանայն կարող է տալ, զայն զմեռոնն ոչ. բայց միայն եպիսկոպոսին պարտ է բաշխել։ Զոր միայն առաքելոցն ընթերցուի, որոց զկարգն ըմբռնեն եպիսկոպոսք. զոր ձեռն դնելով հոգի սուրբ տային, որպէս գործք առաքելոցն ընթեռնլով յայտ առնէ։ Իբրեւ լուան ասէ որ յԵրուսաղէմ առաքեալքն էին, թէ եւ ի սամարիայ ընկալան զբանն աստուծոյ առաքեցին առ նոսա զպետրոս եւ զյովհաննէս, որք իջեալ կացին յաղաւթս ի վերայ նոցա որպէս զի առցեն զհոգին սուրբ. զի ցայնժամ չեւեւս էր եւ ոչ ի վերայ միոյ նոցա հասեալ, բայց միայն մկրտեալք էին յանուն տեառն Յիսուսի Քրիստոսի յայնժամ եդին զձեռն ի վերայ նոցա եւ առնուին հոգի սուրբ։ Տեղն իսկ նոցա ձեռացն դնելոյն, տալն յեկեղեցին զդրոշմն. ընթերցուի իբր երբեմն ի յառաքելոյն աթոռոյն հրամանաւն եւ բանականութեամբ եւ կարեաց, որպէս պատճառիւ միայն քահանայն, մեռոնիւն ի եպիսկոպոսէն մածուցեալն, այսոյ առ ի սպասաւորելոյ դրոշմիս խորհրդոյ։ Ներգործութիւն այսոյ խորհրդոյս է որ ի նմա տուեալ լինի հոգի սուրբ առի յամրացուցանել։ Որպէս տուեալ է առաքելոցն յաւուր պենտակոստէին. զի այսինքն՝ քրիստոնէիցն անահ զՔրիստոսի խոստովանեսցին զանունն։ Վասն որոյ եւս ի ճակատն յուր ամաւթն նստեալ է ամրանայ աւծեալն. զի ոչ զՔրիստոսի անուն խոստովանելոյ ամաչեսցէ։ Եւս առաւել զխաչն իւր որ հրէից գայթակղութիւն եւ հեթանոսաց իսկ յիմարութիւն

ըստ առաքելոյ. վասն այսորիկ զի նշանաւ խաչին նշանեալ է: Երրորդն է պատարագին խորհուրդն, որպ նիւթն է հացն ցորենոյ եւ գինի յորթոյ, որ յառաջ քան զէուխարիւն բանին՝ ջուր սակաւ արկանել պարտ է. զորս յառաջ վասն այն արկանի զոր մերձ վկայութեանց սրբոց հարցն եւ վարդապետաց եկեղեցոյ: Փոքր ինչ աւուրբք ի տրամաբանութեանցն եղեալ, հաւատալի է զի քրիստոսն եւ տէրն ի գինին ջուր խառնեաց զայս արարեալ խորհուրդ: Ցետ որոյ զորս զայս վայելչութիւն տեառն չարչարանացն ցուցին: Ասէ իսկ երանելին աղեքսանդր պապն հինկերորդն յետ երանելոյն պետրոսի առաքելոյ: Ի խորհուրդ մատուցմանն, որ ի մէջ պատարագաց հանդիսաւորաց տեառն ընծայի հաց այսքան եւ գինի ջրով արկեալ ի պատարագ մատուցմանն. ոչ իսկ պարտ է ի սկիհն տեառն կամ գինի միայն կամ ջուր միայն մատուցանել. այլ երկոքեանն եւս խառնեալ. զորս երկոքեանն եւս նոյն արիւն եւ ջուր ի կողէն քրիստոսի հեղեալ ընթեռնուի: Զայն մինչեւս զոր վայել է առ նշանակութեան այսոյ խորհրդոյս զգործն, որ է միութիւն ժողովրդեան քրիստոնէից առ քրիստոս: Ջուր իսկ զժողովուրդն նշանակէ ըստ այնմ տեսլեանն յովհաննու, ջուրք բազումք եւ ժողովուրդք բազումք: Եւ յուլիոս պապն երկրորդն յետ երանելոյն սեղբեստրոսի, ասէ բաժակ տերունոյն մերձ կանոնաց հրամայեցաց գինի եւ ջուր խառնեալ պարտ է մատուցանել, զորս տեսանեմք ի ջուրն ժողովուրդն իմանի, ի գինին ստոյգ ցուցանի արիւնն քրիստոսի: Ապա ուրեմն ընդ բաժակն գինի եւ ջուր խառնեալ քրիստոսի ժողովրդեանն առ միութիւնն, եւ հաւատացեալ ժողովուրդն ի յորս հաւատոյն միաւորիլ եւ միանալ: Ընդ այս, ապա ուրեմն զայսքան սուրբս հռոմայ եկեղեցին ի յերանելին առաքելոյն պետրոսէ եւ պաւղոսէ ուսեալ. զորս ճշացեալքս ամենեքեան լաթինացւոց եւ յունացն եւս եկեղեցիք: Ի յորոց ամենայն սրբութեան եւ վարդապետութեան լոյսք ճառագայթեցան ի սկզբանէ ի ծնանելն եկեղեցոյ այսպէս պահեցին եւ այժմ պահեն:

Անյարմար առ այժմ տեսանի. զի յայլ յորոց իցէ թագաւորութիւնք՝ առ այս միահամուռ եւ քննութեամբ պատահի: Սահմանեմք ապա ուրեմն զի մինչեւս ինքեանք հայքն

ընդ ամենայն աշխարհ քրիստոնէից համակերպիլ. նոցա եւս քահանայքն ի բաժակ մատուցման սակաւ մի ջուր. վասն զի ասացեալ է գինին արկմամբն: կերպն այսոյ խորհրդոյս են բանք փրկչին. յորմէ այս կատարի խորհուրդս: քահանայն իսկ ի յանձնէն քրիստոսի խաւսի, այսու կատարի խորհուրդն: նաեւս ինքեամբ բանիցն զաւրութեամբն գոյացութիւն հացին ի մարմին քրիստոսի եւ գոյացութիւն գինոյն ի յարիւն փոխարկի: Այնպէս արդ եւս, բոլոր քրիստոնն համակաի ի ներքոյ գեղոյ հացին. եւ բոլորն ներքոյ գեղոյ գինոյն եւ ներքոյ քանակին յոր եւս մասն նշխարացն էացելոցն եւ գինին էացեալն բաժանել եղեալ է բոլոր քրիստոս: Այսու խորհրդոյս ներգործութիւն է ղորոյ ի հոգին գործէ, արժանաւոր ճաշակողի է միացումն մարդոյ առ քրիստոս: Եւ ղորս ի շնորհաւք մարդն ի քրիստոս մարմնաւորի. եւ յանդամն նորա միանայ: Պիտանի է եւս ի յայս խորհրդոյս ճաշակողացն արժանաւորութեամբ ըզշնորհն յաւելուլ: Ամենայն եւս ներգործութիւնքն յորոց նիւթոց կերակրելին եւ ըմպելին, որ առ զկեանս աճեցուցանել մարմնոյն, կեցուցանել, աճեցուցանել, կանգնել եւ զուարճացուցանել, խորհուրդս այս յորս առ կեանս գործէ հոգեւորապէս: Ի յորս զի ասաց ուրբանոս պապն շնորհաւք փրկչին մերոյ ի միտ առցուք զսիշատակն, զի ի չարէն զատասցուք եւ ամրասցուք ի բարին, եւ առ զաւրութիւնն եւ շնորհն սնանելով ածիմք: Չորրորդ խորհուրդն է խոստովանութիւնն, որոյ իբրեւ զնիւթ են գործ ղղման որ երեք մասն որոշին, որոց առաջինն է սրտի բեկումն, առ ղորս պիտոյ է զի ցաւեցի զմեղսն զարաբեալսն ընդ այն գէմն ոչ մեղանչէ այլ եւս: Երկրորդն է բերանով խոստովանել առ ղորս պիտանի է, զի մեղաւորն զամենայն զմեղսն որոց յիշումն ընկալնու, իւր քահանային՝ պարտ է՝ խոստովանի անմերի: Երրորդն է հատուցումն վասն մեղացն ըստ իրաւանց քահանային, ղոր յորոց եւս առաւել լինին աղաւթիւք, պահաւք եւ ողորմութեամբ: Նիւթ այսոյ խորհրդոյս են բանք արձակմանն, որք քահանայն արտաղրէ ընդ ասելն, ես ղքեզ արձակեմ՝: Սպասաւոր այսոյ խորհրդոյս է քահանայն, որ ունի հրաման արձակելոյ. եւ այլ կարգեալ կամ աւանդեալ վկրակացու էն. Ներգործութիւն այսոյ խորհրդոյս է արձակումն ի մեղաց: Հինգերորդ խորհուրդն է աւծումն հիւանդաց, որոյ

նիւթն է ձէթ ձիթապտղի ի եպիսկոպոսէն աւրհնեալ. այս խորհուրդս բաց ի հիւանդաց ի յորոյ մահուան երկիւղ ոչ լինի ոչ է պարտ: Որ ի յայն տեղիսն աւծանելոյ է, ի յաչսն վասն տեսութեանն, ի լսելիսն վասն լսելոյն, ի հոտոտելիսն վասն հոտոտելոյն, ի բերանն վասն ճաշակելոյն եւ այլ խաւսելոյն, ի յոտսն վասն ընթանալոյն, ի մէջսն վասն ցանկանալոյն, եւ յայն իսկ երիկամանցն: Նիւթ այսու խորհրդոյս է այս: Ի յայսու աւծմանս եւ իւր խնամով ողորմութեամբն Թողցէ քեզ տէրն, զի զոր ինչ յանցեար տեսութեամբդ, եւ սոյնպէս ի յայլ անդամն: Պատասաւոր այսոյ խորհրդոյս է քահանայն: Ներգործութիւնն իսկ նորա է մտացն ողջութիւն եւ որքան հոգոյն վայելէ ինքեան եւս միչ մարմնոյն: Ի յայս խորհրդոյս ասաց երանելին յակոբոս առաքեալն, Թէ հիւանդանայցէ ոք ի ձէնջ կոչեսցէ զերիցուսն եկեղեցւոյն եւ աղաւթեսցեն ի վերայ նորա աւծցեն զնա իւղով յանուն տեառն եւ աղաւթք հաւատոյ փրկեսցէ զհիւանդն եւ թեթեւացուսցէ զնա տէրն. եւ Թէ ի մեղանչելն լեալ Թողցի նմայ: Վ.ներորդն է խորհուրդ կարգին, որոյ նիւթն է այնիւ ի յորմէ տալոյն տուեալ լինի կարգն. որպէս երիցութիւն տալն իսկիհն ընդ գինոյն եւ մաղզմանն ընդ հացին նուիրելն: Սարկաւագութիւն իսկ գիրք աւետարանականք տալովք: Վիսասարկաւագութիւնն զսկիհն դատարկ ընդ դատարկ մաղզմանին եւ ի վերայ դրեալ ի տալն. եւ սոյնպէս ի յայլ իրսն առ սպասաւորութեամբն իւր զյարսն զվերաբերեալսն նշանակելոյ: Կերպ քահանայութեանն է սոյնպէս, մն իշխանութիւն մատուցանելոյ զպատարագն ի յեկեղեցին վասն կենդանեաց եւ մեռելոց ի յանուն Հաւր եւ որդոյ եւ հոգոյն սրբոյ: Եւ այսպէս ի յայլոց կարգաց կերպն. վասն զի ի ձեռնադրութեան գիրքն հռոմայ յաճախէ: Կարգաւորող եւ սպասաւոր այսոյ խորհրդոյս է եպիսկոպոսն: Ներգործութիւնն է աճումն շնորհաց. զի ոմ լինի արժանի քրիստոսի սպասաւոր: Եւթներորդ է խորհուրդ պսակին, որ է նշան միութեան քրիստոսի եւ եկեղեցւոյ, ըստ առաքելոյ ասելոյն. խորհուրդս այս մեծ է, բայց ես ասեմ ի քրիստոս եւ եկեղեցի: Պատճառ առնելոյ պսակին կանոնաւք է Հաւանութիւն երկոցունց բանիւ ներկայիւ արտաքերութեամբ: Նշանակ իսկ երեք կերպիւ բարութեան պսակն. առաջինն է որդեբնկալութիւնն եւ սնուցանել առ պաշտաւնն աստուծոյ:

Երկրորդն է հաւատարմութիւնն զոր առ միմեանս պահել պարտ է: Երրորդ՝ անորոշելի է պսակն զոր նշանակէ զանորոշելի միութիւնն Քրիստոսի եւ եկեղեցւոյ. թէպէտ իսկ ի պատճառէ պոռնկութեան լինի անկողնոյ բաժանումն առնել. ոչ իբր այլ պսակ ընդդէմ առնելոյ է. ընդ պսակին կապն ամուսնէն հաւատնումն եւ անբաժան լեալ:

Զ. Վ Երրորդ, համառաւտ հաւաքմամբ, զայն զՀաւատոյ կանոնն զերանելոյն աթանասի արարեալն սոցայ շնորհեմք դեսպանացս. որոյ ըմբռնումն այսպիսի է: Ով որ կամեսցի փրկիլ լինել, յառաջ ամենայն գործոցն է նմա ըմբռնեսցէ զկաթողիկէ Հաւատն, զորս բաց յումեքէ եւս անարատ եւ անապական ոչ պահել առանց եւս կարծեաց ի յաւիտեան կորնչել: Հաւատս իսկ կաթողիկէ այս է. զի մի աստուածն ի յերրորդութեանն է եւ երրորդութիւնն ի միութեան պատուել: Ոչ եւս ամաչեցուցանել (շփոթել) զանձինն, ոչ եւս զգոյացութիւնն բաժանել: Այլ է անձն Հաւրն, այլ որդոյն, այլ Հոգւոյն սրբոյ. բայց Հաւրն եւ որդւոյն եւ Հոգւոյն սրբոյ մի է աստուածութիւնն, հաւասար փառք յաւիտեան մեծութեամբ: Որքան Հայր, այնքան որդի, այնքան Հոգի սուրբ. անստեղծ Հայր, անբաստեղծ որդի, անստեղծ Հոգի սուրբ: Անչափ Հայր, անչափ որդի, անչափ Հոգի սուրբ. յաւիտենական Հայր, յաւիտենական որդի, յաւիտենական Հոգի սուրբ: Եւ իբր ոչ երեք յաւիտենականք այլ մի յաւիտենական: Որպէս ոչ երեք անստեղծք, ոչ երեք անչափք, այլ մի անստեղծ եւ մի անչափ: Նոյնպէս ամենակար Հայր, ամենակար որդի, ամենակար Հոգի սուրբ, եւ իբր ոչ երեք ամենակարք, այլ մի ամենակար: Նոյնպէս աստուած Հայր. աստուած որդի, աստուած Հոգի սուրբ, եւ իբր ոչ երեք աստուած, այլ մի է աստուած: Նոյնպէս տէր Հայր, տէր որդի, տէր Հոգի սուրբ, եւ իբր ոչ երեք տեարք. այլ մի է տէր: Զորս որպէս որոշել մինն յորս եւս անձն աստուածս եւ տէրս խոստովանելի է քրիստոնէից, ձշմարտութեամբ բռնադատիմք. այնպէս երեք աստուածք կամ՝ տեարք ասասցեն կաթողիկէ եկեղեցին՝ արգելումբ: Հայր ոչ ումեքէ եղեալ ոչ ստեղծեալ ոչ ծնեալ: Որդի ի Հաւրէ միայնոյ է. ոչ արարեալ եւ ոչ ստեղծեալ այլ ծնեալ: Հոգին սուրբ ի Հաւրէ եւ որդւոյ ոչ արա-

բեալ եւ ոչ ստեղծեալ ոչ ծնեալ՝ այլ ելեալ: Մի՝ ապա ուրեմն Հայր, ոչ երկք Հարք: Մի որդի՝ ոչ երկք որդիք: Մի Հոգի եւ ոչ երկք Հոգի սուրբք: Եւ ի յայս երրորդութիւնս ոչինչ առաջին կամ վերջին, ոչինչ երից կամ կրտսեր: Այլ Հանապազ երկք անձինք համայաւիտեան ինքեամբ են եւ համաքանակք: Այնպէս զի ի յամենսեան որպէս այժմ ի վերոյ ասացեալ է. եւ միութիւնն երրորդութիւն է եւ երրորդութիւն ի միութեան պատուեալ լինի: Ով կամիցի ապաուրեմն փրկիլ լինել այսպէս ի երրորդութենեան գիտութիւնն: Այլ՝ Հարկաւոր է առ յաւիտենական փրկութեանն զի ի մարմնանալն յորս եւս Տեառն մերոյ Յիսուսի Քրիստոսի Հաւատարմապէս Հաւատան: Ի ապաուրեմն Հաւատ ուղիղ զի Հաւատասցուք եւ խոստովանեսցուք զորս տէրն մեր Յիսուս Քրիստոս աստուած եւ մարդ է: Աստուած է ի գոյութենէ Հաւրն յառաջ քան յաւիտեանս ծնեալ եւ մարդ է ի գոյութենէ մաւր է ի յաւիտենիս ծնեալ: Կատարեալ աստուած կատարեալ մարդ ի Հոգոյ բանականէ եւ մարդկութեամբ մարմնոյ յատկացեալ: Հաւասար Հաւր ըստ աստուածութեանն կրտսեր ի Հաւրէ ըստ մարդկութեանն: Որ ստոյգ աստուած, լեալ եւ մարդ ոչ երկու իրք՝ այլ մի է Քրիստոս. մի իսկ ոչ դարձմամբ աստուածութիւնն ի մարդկութիւնն. այլ վերացմամբ զմարդկութիւնն ի յաստուած: Մի ամենեւին ոչ ամաչեցուցանել (չփոթել) զգոյացութիւնն, այլ միութիւն անձինն: Դաեւս որպէս Հոգոյ բանականէ եւ մարմնոյ մի է մարդ, այնպէս աստուած եւ մարդ մի է Քրիստոս: Որ չարչարեալ է վասն փրկութեան մերոյ իջեալ առ դժոխս երորդ աւուր յարեաւ ի մեռելոց: Ելեալ առ յերկինս նստաւ առ յաջմէ Հաւրն ամենակալի: Ընդի գալոց է դատել զկենդանիս եւ զմեռեալս: Առ որոյ ի գալն ամենայն մարդիք յարիցեն բնակեն ընդ մարմինս իւրեանց եւ քննին ի գործոց իւրաքանչիւրոք Համարիւ: Եւ որ բարի գործեալ իցեն երթիցեն ի կեանսն յաւիտենականս, որ ստոյգ չար արարեալ ի հուրն յաւիտենական: Այս է Հաւատս կաթողիկէ զոր բաց յումեքէ եւս Հաւատարիմ ամրութեամբ եւս ոչ Հաւատասցէ փրկիլ լինել ոչ կարէ:

Է. Եւթներորդ սահմանք միութեանն ընդ յոյնսն Համա-

կատարածն, փոքր ինչ աւուրբք ի յայս սրբազան միահամուռ գլաւրենցիոյ սինհոդոսս յայտնեալ։ Որոյ ըմբռնումն այսպիսի է։

Լուձեննիոս եպիսկոպոս ծառայ ծառայից աստուծոյ առ մշտնջենաւորութեան իրս յիշատակութեան։ Ընդունելով զառի ներքոյ գրեալսն սիրելի որդւոյ մերոյ յոհաննու պալէաւլակո յունաց կայսրի երջանկի եւ տեղեաց ըմբռնողի. եւ պատուելի եղբարց մերոց պատրիարքաց եւ այլոց արեւելեան եկեղեցեաց ընձայեցուցչացն։ Ուրախ եղիցին երկինք եւ ցնծասցէ երկիր զի բարձեալ է իսկ ի միջոյ որմն որ արեւելեան եւ արեւմտեանն եւս բաժանէր զեկեղեցիսն։ Եւ խաղաղութիւն եւ եւս հաշտութիւն եկն անկիւնաքարն Քրիստոս, որ արար զերկոսեանն մի, կապիւ ամրութեամբ, սիրով եւ խաղաղութեամբ, զերկաքանչիւրքն եւս կցեաց ի յորմն։ Եւ մշտնջենաւորականաւ միութեամբ դաշնաւորութեամբ մածել եւ համաւրէն ընդունակք։ Յետոյ եւս յերկարհոգ մարախուղին եւ բաժանումն ի վաղուց հետէ սրահին [1]) անզուարճութեանն մէգն։ Պարզեաց ամենեցուն միութեամբն կարաւտելույն փայլեաց ճառագայթն։ Ուրախասցի եւ մայր եկեղեցի որ զորդիսն իւր մինչեւ ցայժմ ի միմեանց բաժանեալք, այժմ տեսանէ ի միութեան խաղաղութեամբ եւս դարձեալ։ Եւ որ առաջին ի նոցա բաժանմանէն դառնապէս լայր, ի յինքեանց այժմ սքանչելի հաշտութեամբ եւ ընդ անասելի ուրախութեամբ, ամենակարին աստուծոյ գոհութիւն մատուցանէ։ Ամենեքեան զուարճասցեն հաւատացեալքն յուր եւ են աշխարհի. եւ որ քրիստոնեայք համարին անուամբ առ մայր կաթողիկէ եկեղեցոյ մխիթարեսցին։ Ահա իսկ արեւմտեանն արեւելեանն եւս հայրք յետ յերկարաձգութեան խռովութեանցն. եւ եւս որոշ սրտիւք ժամանակաւ զինքեանս ծովոց եւ ցամաքի աշխին ընդդէմ եդին։ Ամենեցուն եւս յաղթեցին վաստակաւք առ այս սրբազան միահամուռ սինհոդոսս փափաքելով սրբազնապէս միութեանս, եւ զծերացեալ սէրն առողջացուցանել շնորհաւք, ուրախութեամբ եւ ցնծութեամբ եւս եւ ի միասին։ Եւ ի դիտաւորութեանց իւրեանց

[1]) Լատ. atram զմթապատ, զատուերամած բառը՝ atrium սրահ, կարդացեր է թարգմանիչը։

ոչինչ զրկեցան։ Ցետ յերկար իսկ վաստակմամբ եւս ի քննութեանն. յետ այսորիկ ի հոգւոյն սրբոյ խնամաւքն զայս փափաքելի զսրբազանս եւս միութեանս ժամանեցին։ Ո՛վ արդեաւք արժանաւոր ամենակարին աստուածոյ բարերարութեանն գոհութիւն մատուցանել բաւականասցի։ Ո՛վ այնքան աստուածային գիտութեանց յաճախութեանն ոչ երկնչի, որոյ կամ երկաթի կուրծս այսքան վերոյ ամբարձեալ մեծութեանն աստուածայնոյ ոչ կակղասցի։ Են այսոքիկ առաւել փութալի աստուածային գործ եւ ոչ մարդկային տկարութեանս գտեալ։ Եւ եւս վասն այն զգերագոյնութիւնն ընդ պատուոյն ընկալնուլ եւ աստուածային գովութեանն անդագարս, քեզ գովութիւն, քեզ փառք, քեզ գոհութեան մատուցումն. Քրիստոս աղբիւր ողորմութեանց, որ այսքան բարի հարսին քո եկեղեցւոյ ընծայեցեր։ Եւ եւս ի յաղգս մեր դու խնայեցեր սքանչելեաւք ցուցեր. զի պատմել զամենայն սքանչելիս քո։ Մեծ ճշմարտապէս աստուածային եւս ընծայումն մեզ եւ աստուած բաշխեաց։ Ականջ եւս տեսանեմք զոր յառաջ քան բազումք ընդ յոյժ փափաքեալ էին տեսանել եւ ոչ տեսին։ Ի միասին իսկ լաթինք եւ յոյնք ի յայս սրբազնասուրբս եւ միահամուռ սիւնհոդոսս մեծ դասիւ առ միմեանս տրամաբանութեամբ եղեն։ Զի ի մէջ պլոյն մինչեւս աստիճանն այն ի յաստուածային հոգւոյն սրբոյ ելմանն յոլով իմացմամբ եւ հանապազիւ քննութեամբ փթրթէր։ Բեւրելով ճշմարիտ վկայութիւնք ի յաստուածային գրոցն. բազմաց եւս հրամանաւն վարդապետացն արեւմտեան եւ արեւելեան. պլէք ոմանք իսկ ի հաւրէ եւ որդոյ, եւ ոմանք ստոյգ ի հաւրէ որդւովն ելանէ ասացին զՀոգին սուրբ։ Եւ առ նոյն դիտաւորութեամբն տեսին ամենեքեան ի ներքոյ զանազան բառից։ Ցոյնքն իսկ ասացին զոր զայն զոր ասէին հոգին սուրբ ի հաւրէ ելանել, ոչ այս մտաւքս ասէին զի արտաքսէին զորդի։ Այլ քանզի նոցա տեսութեանն զի ասէին ըստ լաթինաց ասելն հոգին սուրբ ի հաւրէ եւ որդոյ ելանել որպէս երկու սկզբնէ եւ երկու արտաղեղուզէ։ Վասն այսորիկ երկնչէին ասել զոր հոգին սուրբ ի հաւրէ ելանէ եւ որդոյ. լաթինք ճշգրտիւ հաստատեցին, ոչ զնուրեանցն այս մտաւքս ասել զՀոգին սուրբ ի հաւրէ եւ որդոյ եւս ելումն. ոչ զի արտաքսեսցին զՀոյրն կամ ոչ լեալ աղբիւր եւ սկիզբն բոլոր աստուածութեանն՝ որդոյ

սոյնպէս եւ Հոգոյն սրբոյ. կամ զոր զայն զոր Հոգին սուրբ ելանէ եւ որդոյ։ Որդի ի Հաւրէ ոչ առեալ. կամ զոր երկու եդեալ լինել սկիզբն կամ երկու արտաղեղաւղ։ Այլ զի միոյն այսքան ասէին լինել սկիզբն. մին եւս արտաղեղութիւն Հոգւոյն սրբոյ. վասնզի մինչեւ ցայժմ ասէին, եւ ընդ այսցանէ ամենեցուն մի եւ նոյն խոՀեմութեամբ ճշմարտութեանն գիտութեան։ Յետ այսորիկ ի ներքոգրեալս սուրբս եւ աստուծոյ սիրեալ, նոյն գիտութեամբ նոյն եւս իմացմամբ միութեամբ միացեալ Համասրտիւք միաբանեցան։ Ի յանուն իսկ Հաւր եւ որդոյ եւ Հոգոյն սրբոյ. այս սրբազան միաՀամուռ ընտրեալ եւ փորձեալ Ֆլաւրենթինոյ ժողովս։ ՍաՀմանեմք զի զայս զՀաւատոյ ճշմարտութիւնս ամենեցուն քրիստոնէից Հաւատալի եւ ընդունելի լիցի։ Այսպէս եւ ամենեքեան խոստովանեսցին զոր Հոգի սուրբ ի Հաւրէ եւ յորդոյ յաւիտենական է։ Եւ էութեամբն իւր զէւրն եւս լինել յատկութիւն, ունի ի Հաւրէ ի միասին եւ որդոյ՝ եւ ի յերկոքեանն եւս յաւիտենական. որպէս ի միոյ սկզբնէ եւ միոյ արտաղեղմանէ ելանէ։ Մեկնելով զոր ինչ սուրբ վարդապետքն եւ Հայրքն ասացին ի Հաւրէ որդւովն ելանէ Հոգին սուրբ։ Առ այն իմացմամբն իմանի զի ի յայս նըշանակութիւնս որդոյ յորս եւս լինել, ըստ յունացն իսկ պատճառն. ըստ լաթինացւոցն ստոյգ սկիզբն յատկութեան Հոգոյն սրբոյ որպէս եւ Հայրն է։ Եւ զոր ամենայն որ Հաւրն են Հայր ինքն միածնի որդոյ իւրոյ ծննդեամբ ետ բաց ի լինելոյ Հայրութիւն։ Այսինքն զոր Հոգին սուրբ ելանէ ի յորդոյ ինքն որդի ի Հաւրէ յաւիտենական ունի. յորմէ յաւիտենական մինչեւս ծնեալ է։ ՍաՀմանեմք զոր ի վերոյ յայտնեցաք. զբանիցն այնոցիկ որդւոյ եւս ճշմարտութեամբ մեկնելով շնորՀաւք՝ մերձ յայն ժամ Հարկաւորութեամբ կարեաւք եւ քննութեամբ ի դաւանութիւնն եդաւ։

Կրկին եւս ի բաղարճէ կամ խմորուն Հացէ ցորենոյ մարմին Քրիստոսի ճշմարտապէս կատարի. քաՀանայն եւս ի յերկաքանչքն ի սմանէ յուստեւ է ընկալեալն զինքն տեառն մարմին կատարել պարտ է։ Մինն յոր ոք եւս այսինքն Հպատակ է եկեղեցոյն իւր թէ արեւմտեան եւ թէ արեւելեան, մարմին տեառն կատարի։ Այլ եւս թէ ստոյգ ապաշխարութիւնքն ի

յաստուածմարին սէրն վախճանին յառաջ քան զարժանաւորու-
թիւնն. ապաշխարութեան պտուղն յանցանաց փոխարինացն ոչ
ժամանեցին: Նոցա հոգիքն ի տանջանք քաւարանին յետ մեռա-
նելոյն մաքրին. եւ զի ի տանջանացն որ այսպիսի թևթևանան,
աղդումն նոցա ի հաւատացելոց կենդանեացն եւ աւգնականու-
թեամբ պատարագաց է. սոյնպէս մատուցմունքն աղաւթքն եւ
ողորմութիւնքն եւ այլ խնամոց կարգն որ հաւատացեալքն
վասն այլոց հաւատացելոց նըւիրեն սովորութեամբ ըստ եկե-
ղեցոյն կացմանցն: Զնոցա եւս հոգիքն որ յետ մկրտութեան
առընկղոյն ոչինչ ամենեւին ի մեղաց աղտեղութիւն ոչ անկան:
Զնոքա մինչեւս որ յետ անկանելոյն մեղաց գարշութեանն եւ
այլ ի յիւր մարմնոյն կամ՝ նովին մերկանալ մարմնոյն. վասն զի
ի վերոյ ասացեալ է, են մաքրեալ, ի յերկինս վաղ-
վաղակի վերանան: Եւ նկատեն պարզապէս զինքն զաստուածն
զերրորդն եւ մինն որպէս է. վասն վարձեացն իւր զանազանու-
թեամբ եւ ոմն քան զոմն կատարելութեամբ: Նոցա իսկ հո-
գիքն, որ ի ներգործական մահացու մեղաւք եւ այլ առանձինն
սկրսբնականաւն մեռանին փութով ի դժոխս իջանեն. տանջան-
քըն իւր զանազանիւ տանջիլ: Դարձեալ սահմանեմք զսուրբ
առաքելական աթոռս եւ հռոմա քահանայապետան ընթանուր
միահաղոյն զաշխարս ընդունել առաջնաւորութեամբ. եւ ինքն
քահանայապետն հռոմայ յաջորդ լինել երանելոյն պետրոսի
իշխան առաքելոցն եւ ճշմարիտ քրիստոսի փոխանորդ. ընթա-
նուր եւս եկեղեցեաց գլուխ եւ ամենայն քրիստոնէից հայր եւ
ուսուցիչ լեալ: Եւ ինքս ի յերանելոյն պետրոսէ, արածիչ,
ուղղիչ, եւ խնամիչ միահամուռ եկեղեցւոյ ի տեառնէ մերմէ
Յիսուսէ քրիստոսէ լի իշխանութիւն տուեալ լինի. որպէս մինչ-
եւս ի յարարեալսն միահամուռ ժողովքն եւ ի սրբազան կա-
նոնսն եղեալ է: Նորոգելով ի վերոյ զկարգն տուեալսն ի կա-
նոնաց զայլոց պատուելի պաթրիարգաց. զի պաթրիարգ կոս-
տանդինուպաւլսին երկրորդ լեալ յետ սրբազան հռոմա քա-
հանայապետին: Երրորդն ստոյգ աղեքսանդրու: Չորրորդն իսկ
անտիոքու: Եւ հինգերորդն երուսաղեմա: Պահելով այսինքն
զդաշնաւորութիւն ամենեցուն եւ զկրամանս իւրեանց:

Տուեալ ի Փլաւրէնտիայս ի Թէադրոնին [1]) Հրապարակաւ սիւնհոդոսիս ի յեկեղեցին աւագ Հանդիսիւ արարեալ:

Ամք ի մարդեղութենէն տեառն Հազարերորդից եւ չորից Հարիւրորդից երից տասանց եւ իննից, եւ վեցերորդն յուլիսի: Եւ քահանայապետութեան մերոյ ամք իննն:

Ը. Ութերորդ. ընդ մէջ պլոցն լեալ տակաւին եւս ընդ ինքեանս Հայոց տրամաբանութեանն. զորոց աւուրքք տաւնիցն աւետումն երանելոյն մարիամու կուսի, ծնունդն երանելոյ յոհաննու մկրտչի, եւ հետեւմամբ ծննդեանն եւ թլփատութեանն տեառն մերոյ Ցիսուսի քրիստոսի: Եւ ընծայումն նոյն ի տաճարն եւ այլ սրբութիւն երանելոյն Մարիամու ըստ աւրինացն Մովսէսի առնել պարտին: Աւելի եւս պարզապէս ճշմարտութիւնն յայտնի լեալ եղլով. քանզի սրբոց Հարցն վկայութեամբ զոր աւանդութեամբ եկեղեցոյն Հռոմա. եւ ամենեցուն պլոց միաՀամուռիցն առ լաթինքս եւ յոյնքն: Գուցէ իսկ ի յայսքան արարողացս բաժանեալ լինին քրիստոնէիցս շաւղաց, յուր Հակառակութիւնն ի սիրոյ պատճառն կարէ սպրդել: Սահմանեմք որպէս ճշմարտութեամբ եւ քննութեամբ միաբանութեան, զի մերձ ընթանուր միացորդք աշխարհիս պահեն, ինքեանք տակաւին եւս Հայքն: Ջտուեն աւետմանն աւուրք քսաներորդ եւ հինկն մարտի: Ծնունդ երանելոյ յովհաննու մկրտչի քսաներորդ եւ չորրորդն յունիսի: Ծնունդն ճշմարտապէս ըստ մարմնոյ փրկչին մերոյ քսաներորդ եւ հինկն դեկտեմբերի: Թլփատութիւնն նոյնոյ առաջնորդ յունուարի: Մկրտութիւնն ի վեցերորդն նոյն յունուարի: Ընծայումն տեառն ի տաճարն. եւ այլ սրբութիւն աստուածածնին ըստ աւրինացն Մովսիսի երկրորդն փետրուարի պարտին Հանդիսիւք առնել: Ջայսոսիկ զամենեսեան յայտնողաբար զառաջասացեալս Հայոց դեսպանացս: Անուամբն իւրեանց եւ իւրեանց պատրիարգին եւ ամենայն Հայոց, այս փրկական սիւնհոդոսեան սահման ընդ ամենայն իւր գլխաւքն, մեկնելով, սահմանելով, տալով, Հրամայելով եւ կացուցանելով: Ջամենայն եւս ուսմունս ի յինքեանս գրեալքս, գուցէ ոչ [2]) այլ զոր ինչ ըմբռնէ եւ ուսուցանէ սուրբ աթոռս առաքելոյ եւ Հռոմայ

[1]) Լատ. In sessione publica ի Հրապարական նստի:

[2]) Լատ. Nec non quid quid եւս եւ զորինչ:

եկեղեցին, ընդ ամենայն ջերմեռանդութեամբ եւ հնազանդութեամբ առնուն ընդունելով եւ յետոմամբ: Ընոսա զորս եւս, րաբունիքն եւ սուրբ հարքն, զորս եկեղեցին հռոմայ ընկալնոյ ինքեանքս պատուելով ընդունին: Իբր յորս եւս ստոյգ անձինքն եւ սուրբք, եւ զոր ինչ ինքս եկեղեցիս հռոմայ ոչ ընդունի եւ վճռէ. ինքեանք ոչ ընդունին եւ վճռած համարին: Կատարին որպէս ստոյգ հնազանդ որդիք, յանուանն յորս ի վերոյ, զինքեանս աճուդ առաքելոյ կարգաւորելովն եւ հրամայելովն հաւատարմութեամբ հնազանդին:

Ընթերցուածս իսկ հանդիսիք ի մեր եւ այսոյ սուրբ սիւնհոդոսիս առաջի ասացաւ սահմանս: Իսկզոն սիրելի որդի ներսէս հայոց յանուանէ ինքեանս դեսպանացս ի լեզուս հայոց՝ այս զոր հետեւի ընթերցաւ: Զոր առ ժամայն սիրելի որդի պազել ի կարգէ եղբարց մինաւրաց մեր եւ սոցա հայոցս հաւատարակ թարգման, յայտնութեամբ բառիւ լաթինացոց զայսպիսի գրեալս ընթերցաւ:

Երանելի հայր, եւ սուրբս սիւնհոդոսս, բոլոր այս սուրբ սահմանս, զոր այժմ լաթինքրէն առաջի ձեր յայտնապէս ընթերցաւ պատուականութեանդ: Եղեւ մեզ փոքր ինչ աւուրբքս բանից ի բանս ի մեր լեզուս յայտնապէս փոխել եւ թարգմանել, զոր իսկ եւս առաւել մեզ հաճոյացաւ եւ հաճոյ է: Եւ վեհագոյնութիւն իսկ ձեր մտացս արտաբերութեամբն, զնորա դիտաւորութիւնն համառաւտ առաք զոր ի յայս ըմբռնի: Նախ՝ որպէս ժողովոգեան մերոյ հայոց տայք զսուրբ գաւանութիւնն կոստանդինուպաւլսի, ընդ այն յաւելուլն որդոյ եւս: Զի ի յեկեղեցիքն մեր ի յաւուրս թէ ամենեւին կիւրակիքն եւ մեծ եւս տաւնիցն ի մէջ պատարագաց հանդիսաւորաց եղանակելոյ կամ ընթեռնլոյ պարտ է: Երկրորդ՝ սահմանքն չորրորդ միաժամուա ժողովոյն քաղկեդոնի ի յերկուց բնութեանց ի մի քրիստոսի անձն: Երրորդ՝ սահմանքն ի յերկուց կամացն քրիստոսի եւ ներգործութեանցն ի վեցերորդ միաժամուա ժողովոյն յայտնեալ: Չորրորդ՝ մեկնեալք զոր ի յայն քաղկեդոնի սիւնհոդոսն. եւ երանելին լեւոն պապն ուղղապէս ի յերկուց ի մի անձն քրիստոսի բնութիւնք. ճշմարտապէս սահմանեցին ընդդէմ ամբարշտին նեստորի եւ եւտիքոսի ուսմանցն: Հրամայէք եւս զի

զինքն զերանելին լեւոն զայնպիսի սուրբն եւ հաւատոյ սիւնն պատուել: Արդ նաեւ ոչ միայն զայս երեք սիւնհոդոսս նիկիոյ, կոստանդինուպաւլսի եւ եփեսոսի առաջինն. այլեւ զամենայն զայլսն միահամուռն հրամանաւ հռոմայ քահանայապետին ուղղապէս արարեալքն վեհագունութեամբ ընդունիմք: Հինգերորդ համառաւտ կերպիւ զեւթն խորհուրդ եկեղեցոյ այսինքն մկրըտութիւնն, դրոշմն, պատարագն, խոստովանութիւնն, աւծումն հիւանդաց, կարգն եւ պսակն, մեկնելով թէ զինչ պիտոյ է իւրաքանչիւր խորհրդոց, նիւթ եւ սպասաւոր զոր նաեւ ի պատարագ սեղանոյ սրբոյ յորժամ ըսկին մատուցմամբ գինով եւ սակաւ ջրով խառնել պարտ է: Վեցերորդ՝ միայնու սուղ ինչ երանելոյն աթանասի հաւատոյ կանոնիւն զոր սկսանի այսպէս. Որ ոք կամիցի փրկիլ, եւ այլն: Եւթներորդ՝ սահմանք միութեանն շաղկապ ընդ յոյնսն, ի յայնս սրբազան սիւնհոդոս փոքր ինչ աւուրբք յառաջ որ յայտնեցաւ: Ընկալաւ որպէս հոգին սուրբ ի հաւրէ եւ որդւոյ յաւիտենական ելանէ, եւ զոր ի յայն յաւելուլ որդոյ նաեւ, պատշաճաւոր եւ քննութեամբ ի սմա դաւանութեանս կոստանդինուպաւլսի եղաւ. զոր ինչ նաեւ ի հացէն ցորենոյ բաղարջ կամ խմորուն մարմին տեառն կատարի: Զոր ինչ դեռեւս հաւատալի լիցի տանջանք քաւարանին եւ դժոխոց եւ կեանք երանելեացն. եւ նուէրքն որ վասն մեռելոցն առնեն: Կրկին նաեւ լիապէս իշխանութիւն աթոռոյ առաքելոյ տուեալ ի քրիստոսէ երանելոյ պետրոսի եւ յաջորդացն իւրոց: Եւ նաեւ ի կարգէ պատրիարգացն աթոռոյ: Ութերորդ՝ կամիք զի յայսմհետէ հայերն զայս տաւնքս, զոր ի ներքոյ գրեալ աւուրքն, զսահմանս միահամուռ եկեղեցոյն առնել պարտին, այսինքն աւետումն երանելոյ կուսին ի քսաներորդ եւ հինկերորդն մարտի. —Ծնունդ երանելոյ յովհաննու մկրտչի ի քսան եւ չորրորդն յունիսի[1]). — Ծնունդ փրկչին մերոյ ըստ մարմնոյ ի քսան եւ հինկն դեկտեմբերի: Թլփատութիւնն նոյնոյ առաջնորդն յունուարի: Մկրտութիւնն ի վեցերորդն նոյնոյ յունուարի: Ընծայումն տեառն ի տաճարն քառասնաւրեայ եւ սրբութիւն Մարիամու ըստ աւրինացն մովսիսի երկրորդն փետրուարի:

[1]) Այս պարբերութիւնը գրչի վրիպակաւ դուրս մնացեր է ձեռագրին մէջ:

Մեք այժմ դեսպանքս անուամբ մեր եւ մերոյ եւս պատրիարգին եւ ամենայն եպիսկոպոսաց եւ ամենայն ժողովրդեան Հայոց, որպէս եւ ձեր սրբութիւնդ ի յայս սահմանս վկայէք զայս փրկական սիւնհոդոսիս սահմանքն ընդ ամենայն իւր գլուխքն, մեկնելով, սահմանելով, տալով, հրամայելով եւ կացմամբ: Ջամենայն եւս ուսմունս, որ այսմ գրեալ է, ոչ միայն այս, այլ եւ զոր ինչ ըմբռնէ եւ ուսուցանէ սուրբ աթոռս առաքելական եւ Հռոմայ ևկեղեցին ընդ ամենայն չերմեռանդիւ եւ ամենայն հնազանդութեամբ ընդունիմք, եւ ընկալեալ եմք յեռմամբ: Ջնոսա զորս եւ վարդապետքն եւ սուրբ հարքն զոր եկեղեցին Հռոմայ ընդունի պատուապէս ընդունիմք, զորս եւ ստոյգ զանձինս, եւ զոր ինչ այս ևկեղեցիս Հռոմա արտաքսէ եւ վճռէ մեք այլ արտաքսած համարիմք. խոստովանիմք որպէս ստոյգ եւս հնազանդութեան որդիք, յանուանն զոր ի վերոյ, սորայ աթոռ առաքելոյ կարգաւորութեանն իւր եւ հրամանացն հաւատարիմ հնազանդիմք:

Ցուեալ ի Ֆլաւրենցիաս ի թէատրոնին հրապարակաւ սիւնհոդոսիւք, ի յեկեղեցին աւագ՝ արարեալ:

Եմք ի մարգեղութենէն տեառն հազարորդ չորս հարիւրորդ երեք տասան եւ ինն. քահանայապետութեանս մերոյ ամք ինն:

Որդ՝ ես Սարգիս վարդապետս որ եմ դեսպան Հայոց կաթուղիկոսին. եւ աթոռակալ կաֆային. այս սահմանս գրեցաւ ձեռամբ իմով:

Ես Թումայ վարդապետս վկայ եմ, եւ դեսպան այս բանիս ձեռամբ իմով գրեցի:

X.

Effectus Concilii Oecumenici Florentini quoad Armenos.

Graecis Armenisque ad centrum Romanae unitatis reductis, merito immortalis Pontifex Eugenius IV. poterat conclamare, Orientem et Occidentem, disrupto divisionis pariete, ad pristinum Fidei et charitatis foedus rediisse. At si haec unio ob aliquorum improbitatem et perfidiam a Graecis paulo post rescissa fuit, non tamen Armeni eodem se scelere macularunt. Horum legati ut bona fide ad Concilium accesserunt, ita unitatem sibi oblatam una cum ejusdem Concilii decisionibus sincero animo susceperunt, nec reversionem maturarunt, sed penes Pontificem aliquo temporis spatio permanserunt, ut propterea ipse Summus Pontifex potuerit ab eis rescire, quibusnam conditionibus internis externisque Ecclesia Armena temporibus Christianae Reipublicae in Asianis regionibus infensissimis teneretur, quo validiorem sanctae unionis operi adjutricem manum porrigeret, tum delendo malas consuetudines, quae non modo inter Armenos, sed in aliis quoque nationibus increbuerant, tum jura et facultates, prout varia rituum ac populorum indoles poscebat, moderando. Haec pastoralis sollicitudo enitescit in Brevi quod Eugenius IV dedit Ecclesiae Caphensi die XV Decembris 1439, nempe viginti tribus post subscriptionem Decreti elapsis diebus, et Armenorum legatorum fidei commisit.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad Apostolicae dignitatis apicem Divina dispositione vocati, ex incumbente Nobis sollicitudinis officio, Ecclesiarum omnino discutere conditiones, habemus, ut debite omnia prospicientes, sic circa illorum, et subjectorum eis populorum

salubrem statum vigilanti cura vacemus, quod superni favoris affluente praesidio, amotis omnibus, quae disturbia, errores, et scandala afferebant, optata suscipiant incrementa. Sane post conclusam solemniter in sessione publica promulgatam proximis diebus gloriosissimam populi christiani Armenorum cum Romana Ecclesia unionem, cum dilectos filios ipsorum Armenorum oratores, qui ea de causa apud nos erant, diligenter interrogaremus de modis, qui hactenus apud eos, et presertim in Civitate Caphensi, in qua ipsorum magna multitudo convenit, observati fuerunt, aliqua ipsorum relatione intelleximus, circa quae praesentium tenore debitum et conveniens remedium decrevimus adhibere. Imprimis namque cum venerabiles Fratres Episcopi Caphenses, qui hactenus pro tempore fuerunt, episcopos Armenorum tamquam schismaticos et haereticos prohibuisse dicantur deferre mitram in processionibus generalibus, quae in ipsa civitate fiebant, et nullo in loco, nulloque tempore benedictionem cum signo crucis etiam ritus sui populo dare permiserint: Nos attendentes, quod licet civitas illa universam sicut ceterae habent dioecesim, tamen ipsa Armenorum gens, sedibus propriis pulsa, ibidem in maximo habitet numero, volumus et praesentium tenore Auctoritate Apostolica mandamus, quod Episcopi Armenorum, qui in futurum pro tempore erunt in processionibus et aliis quibuscumque actibus publicis mitram sicut et Caphensis Episcopus per dictam civitatem, et dioecesim deferre possint, et valeant. Circa benedictionem vero et signaculum crucis eam adhibere modestiam volumus, ut Armenorum Episcopi suis tantummodo populis, quando eos privatim salutatum ibunt, aut quando obviantes manum osculabuntur, dextera leviter elevata cum signo crucis benedictionem annuntient.

Praeterea cum ad nostram pervenerit notitiam, quosdam et in praedicta civitate Caphensi, et aliis in partibus circumstantibus tantam habere sacrarum istitutionum ignorantiam, ut multos, qui post susceptum baptisma obrutis Catholicae fidei viis deviaverint, et postmodum resipiscere valeant, iterum baptizent, non attendentes a jure et Sacris Canonibus omnino prohibitum esse baptisma reiterari: volumus et auctoritate ac tenore similibus mandamus, ut nullus sacerdos de cetero sub excommunicationis, quam ipso facto incurrat, et aliarum Ecclesiae censurarum poenis audeat vel praesumat aliquem cujuscumque nationis et ritus sit, sive Graecum, sive sclavum, aut Armenum, aut alium quemcumque, qui semel rite fuerit baptizatus, aliqua ratione vel causa iterum baptizare. Cupientes etiam, quod dictorum Armenorum Episcopus debitis in praedicta civitate fungatur honoribus, et subjectum sibi populum valeat debite cum justitia gubernare, eumdem similibus auctoritate et tenore volumus et mandamus, nullo modo in judiciis et ceteris ad ecclesiasticam jurisdictionem pertinentibus, quantum ad ea, quae sunt de foro episcoporum, a quoquam sive Episcopo Caphensi, sive alia ecclesiastica vel saeculari persona, quomodolibet impediri, sed posse in omnibus et per omnia eam jurisdictionem in suos Armenos in civitate, et Dioecesi Caphensi habitantes exercere, quam alii Episcopi in suis dioecesibus exercent de consuetudine, vel de jure. Nulli ergo etc.

Datum Florentiae Anno Domini etc.

MCCCCXXXIX. die XV Decembris anno IX.

Ita Delegati Armeni, osculo pacis a Latinis accepto, ac Benedictione Pontificis confirmati Florentia abeuntes, in Armeniam reversi sunt, eorum quae in Sacro Concilio gesta fuerant testes ac praecones.

Ex patriis vero documentis discimus, Magnum Pontificem praeclaris muneribus Nuncios Armenos honestasse, praesertim vero Doctorem Sergium, cruce aurea gemmis distincta ditasse, in qua particula S. Crucis D. N. I. C. erat inclusa; ut sic in Vicario Generali Ecclesiam et populum fidelem Chersonensem et Caphensem honoribus augeret.

Quum hi in Armeniam pervenerunt, Constantinus V Patriarcha ex hac vita migraverat eodem fere tempore, quo Josephus Patriarcha Constantinopolitanus Florentiae supremum diem obierat: eique subrogatus fuerat Gregorius IX Musabekianz, qui tamen, quantum ex documentis historicis conjici potest, Armenia aberat, cujus necessitatibus ut consuleret, in Aegyptum properaverat, congressurus cum Aegyptio Imperatore, qui tunc temporis omnem Australem Armeniam ditioni suae subegerat.

Sed aliud quoque malum sane gravissimum Delegatos Italia redeuntes turbatione repleverat, scissio nimirum Patriarchalis Sedis, cui nullo remedio occurri poterat.

Cathedra Patriarchalis Armena primitus Ecimiazin, seu mavis Valarsapatae collocata prope solium Regum Armenorum, locum in ea Metropoli constantem non obtinuit, sed a Successoribus S. Gregorii Illuminatoris ex alia in aliam ex praecipuis civitatibus successu temporis translata fuit, prout infaustis illis temporibus necessitas erat, se in aliquam fidam stationem recipiendi. Hinc a 150 retro annis affixa fuerat Sis, ubi postremi Reges e Rubenidum stirpe morabantur. Constantino V vita functo, qui legatos ad Concilium Oecumenicum miserat, Patriarchalem sedem occupavit Josephus III, cui post aliquot menses Gregorius IX Musabekianz (1440) suffectus fuit. Saepe in hac historica adumbratione vidimus clerum

Armeniae Nordicae tumultuantem contra Patriarcham, et sanam doctrinam, quae in universa Cilicia dominabatur. Post obitum Constantini V et electionem Gregorii IX in sedem Patriarchalem hi rebelles majori audacia caput extulerunt, ac discordiae facem praeferente Thoma Mezopensi, homine irrequieto ac somniatore, in Patriarcham conjuraverunt. Thomas Mezopensis, obtendens abusus ac relaxationem disciplinae in Patriarchatu Ciliciae, sed revera odio furens in illam Catholicam sedem, coactis Ecimiazin paucis Episcopis, ac magno numero doctoribus, monachis et presbyteris, per fraudem ac malas artes id consecutus est, ut spretis legitimi Patriarchae protestationibus decerneretur abolitio Patriarchatus Sisensis, translata sede Ecimiazin, atque in Patriarcham eligeretur intrusus Doctor Cyriacus Virapensis presbyter, qui illico Episcopus consecratus, Ecimiazenus Patriarcha fuit (1441). Haec omnia ex historia ab ipso Thoma Mezopensi conscripta desumimus. Sed enim vix duobus elapsis annis, simultatibus, partiumque studio distracti, Cyriacum a sede pepulerunt, delatis Gregorio Maguensi Patriarchatus [1]) honoribus, qui illos tenuit duodeviginti annis, aliique deinceps usque ad hodiernum diem.

Non tamen destiterunt Cilicienses, iniquis invasoribus legitimos Pastores opponere. Gregorio siquidem IX e vivis sublato, in Patriarchalem Cathedram Carapetus Sisensis aliique continenti, ac nunquam interrupta serie successerunt. Hi propterea Patriar-

[1]) Anteactis saeculis aliae sedés pseudo-patriarchales erectae ab his, qui *Catholicos* nuncuparentur, ut Aluanensis et Altamarensis in Armenia etc.: at eas ut parvi momenti nil moror. Recensere potius praestat, Patriarchales titulos, ut vocant, qui Hierosolymae et Constantinopoli Armenos acatholicos complectebantur. Prioris tituli fundator fuit Sergius I. (1311) ut alibi innuimus. Ita etiam Byzantini Turcarum Imperatoris voluntate factum est, ut Episcopus Prusensis Joachim Patriarchae titulum arriperet, sedemque Constantinopoli collocaret (1461). Ciamcian, Historia Arm. Tom. III. 313.

chae Sisenses in Cilicia vocati, illi Patriarchae Ecimiazeni: et primis quidem jus legitimum, ac nunquam ab origine Patriarchatus intermissa successio suffragatur: contra dissidentes Ecimiazinenses, sedem injusto titulo occupantes, magno urbis nomine gloriantur.

Haec tristissima rerum adjuncta, discissio nempe Patriarchalis sedis, et Gregorii IX Patriarchae absentia, additis ceteris calamitatibus, quibus afflictabatur Armenia, satis probabilem rationem suppeditant, cur Armenicarum rerum narratores sileant de reditu legatorum a Concilio Florentino, deque modo, quo a populis excepti fuerunt. Ex iis tamen, quae scripto tradita accepimus, liquet Sergium Vicarium Caphensem incredibili zelo adlaborasse in inculcandis, ac late vulgandis illius celeberrimi Concilii Decretis, proque catholicae Ecclesiae unitate adeo strenue dimicasse, ut perduelles etiam Episcopos ad eam repetendam vi veritatis et eloquentiae adigeret [1]). Interea Patriarchae Ciliciensi Gregorio IX perlatae sunt in Aegyptum per Fr. Albertum litterae ab Eugenio IV ad Episcopum Martyros Hierosolymis degentem directae, ut Patriarchae Armeno redderentur: quibus debita cum reverentia, ac submissione perlectis Patriarcha responsionem meditabatur. Verum, dum ea conficitur, Sanctissimus Pontifex Eugenius IV ad immarcescibilem gloriae coronam transierat: quare Epistola Patriarchae ad manus Nicolai V, qui in Petri Cathedram assumptus fuerat, pervenit. Debemus Bibliothecae Mediceo-Laurentianae Florentinae exemplar illius Epistolae authenticum, quod hic transcribimus.

Gregorius Servus Servorum Jesu Christi. et Dei Nostri cum gratia et misericordia ejus, Catholicon

1) Ciamcian, Hist. Arm. III. 484.

quoque omnium Provinciarum, et Episcopus Episcoporum utriusque Armeniae, benedictionem Dei scribit omnibus. Benedicat Deus, et custodiat Sanctissimam Sedem legitimam, gloriosissimi, fortissimique Pastoris et Sancti Patris Papae Eugenii, sacrorumque assessorum et ministrorum atque nobilium ejus. Peto ergo a Deo et a Sancto Gregorio Illuminatore, ut custodiat te in pace, dum vivis B. P., vivasque usque in senectam, et senium in Sancta Sede Apostolorum Petri et Pauli, in quorum recordationem successor positus es.

Noverit S. T. pervenisse ad nos altissimum sermonem litterarum tuarum instar solis resplendentis, et stellae, ac serenissimo coelo similem, et tamquam aurum pretiossissimum ex anima immaculata sensibusque procedens. Pater Sancte nunc te video esse principalem veritatis pastorem, et ordinatorem catholicorum, juxta ritum praeteritorum patrum. Ego vero confiteor Trinitatem, unum Deum, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum veritatem. Filii quoque mei Spirituales Sarchis Verthebet, et Thomas Verthebet venerunt ad te, meam personam repraesentantes. Quidquid tecum fecerunt ac dixerunt, *totum gratiose accepto, quod a te altissimo sit statutum.* Multos ad te magistros et episcopos volueram mittere, sed hoc metu infidelium complere nequivi, misi tamen duos praedictos Magistros, per quos quidquid constituisti, complector.

Noverit praeterea S. T. quod ad nos apud Cayrum pervenerit tuus Legatus Frater Albertus, sapiens et sanctus Domini praedicator, quum ego jam ad Soldanum venissem. Attulit vero ad me litteras tuas, quas Hierosolymis miseras ad Dominum Episcopum Martyrum. Legi eas jussimus, in quibus omne quod scripseras, intelleximus: sacram videlicet Synodum

caritatis et unitatis esse completam. At vero super omnes Episcopos et Magistros immeritus Catholicon etiam in Hierosolymis constitutus, quum haec omnia comperissem, vehementissime exultavi referens gratias Deo nostro, qui pro te haec gessit in famam nominis tui nulla unquam oblivione delendam.

Scripta in medio magni millesimi Armenorum anno octingentesimo nonagesimo nono (a. v. 1450) IV. Septembris.

Huic innixi documento nos pro cognitione illorum temporum sequentia deducimus:

1. Delegatos Armenos post reditum a Florentino Concilio, sedulo incubuisse in tuendo Concilio, ejusque sanctionibus promulgandis. 2. Gregorium IX, tertium a Constantino V, qui suos ad Concilium legatos miserat, Armeniae Patriarcham, simillimum quoque habuisse animum, Concilio videlicet et Sedi Romanae addictissimum. 3. Universam Ecclesiae Armenae historiam nec volam, nec vestigium referre rejectae ab ea Synodi, vel oppugnatae, sed e contra ostendere, veluti effectum illius Concilii, perseverantem usque ad nos Armenorum Catholicorum in fide Catholico-Romana firmitatem et concordiam. Quod in sequentibus etiam patebit.

At ignorantia in rebus ad religionem pertinentibus, in quam incidere solent infelices unitatis desertores, ita tenebrosissimis illis temporibus Orientem pervaserat, ut ea etiam Armenos necesse fuerit laborare: nec nisi ex speciali Dei miseratione fiebat, ut multi ex his, spiritu catholicae fidei excitati, ad unitatis centrum attraherentur. Ita Patriarcha Michael Ecimiazenus (1562—1563) missis ad summum Pontificem Pium IV delectis viris Abgaro, integritate insigni et litterarum scientissimo, ejusque filiis

Sultano et Alexandro presbytero, egregium venerationis et obedientiae testimonium Jesu Christi in terris Vicario per epistolam praebuit. Hujusmodi legatio celebris admodum evasit ob fidei professionem, quam Abgarus Patriarchae ejusque Armenorum nomine edidit, eamque prout jacet mendis scatentem, una cum Epistola ejusdem Patriarchae referimus.

„A porta Ecimiazin, et ab omnibus sanctis ibi commorantibus, et a cunctis Archiepiscopis et Ministris illius loci, et a Michaele Patriarcha et ab omnibus fratribus dilectis, qui omnes simul devote osculantur Reliquias Sanctorum Apostolorum, et cum affectu etiam osculamur pedes Patris Nostri S. Pii IV, qui vere Petrus est: pacem quoque damus omnibus Reverendissimis Cardinalibus cunctisque Regibus, ac Principibus Christum diligentibus.

Certiorem facimus sanctitatem Tuam, quod anno Domini MDLXII, vigesima die Mensis Maj de Sebastea Civitate Ego Michael Catholicon miserim ad Beatitudinem Tuam Abgarum benedictum cum duabus litteris una pro obedientia Sanctitati Tuae praestanda nomine omnium nostrum, et ad osculandos devote Beatitudinis Tuae Pedes: altera vero benedictionis nostrae in eum, et meae procurae, quam fecimus coram omnibus praedictis, ut legitimus Procurator noster sit, ac fide dignus apud Beatitudinem Tuam una cum Filio suo nomine Sultan et puero suo nomine Alexandro, firmiter sperantes, ac petentes, ut confirmetis, et renovetis Condacium nostrum, quod olim Beatissimus Bonae Memoriae Papa Silvester et S. Constantinus Imperator largitus est Regi nostro Tartaro (Tiridati) et S. Gregorio primo nostro Patriarchae, seu Catholico, quod (obsecramus) confirmate, ac nobis remittite, renovantes veterem illam inter nos amicitiam, ut fiat unum ovile, et unus

Pastor, quod ut fiat tempus prope est, ut liberemur ab hac captivitate per manus vestras.

Haec enim signa eidem Abgaro Misso nostro dedimus, ut Sanctitati Tuae offerat Miron, Crucem auream, annulum benedictum et Reliquias S. Theodori Martyris, paginam quoque omnium locorum, ac Monasteriorum cunctorum populorum nostrae Nationis Armenorum. Exemplum etiam dicti Condacii [1]), quod scriptum fuit Sanguine Christi praetioso in aeternum inviolabili. Nunc enim moesti sumus, ac nimis lacrymabiles, quia de insula Cypri tantum notitiam habuimus de eo, ex alio vero loco numquam habuimus neque per vocem, neque per Epistolam. Speramus quidem, sanctissime Pater, te ob amorem Christi certiorem nos facturum si idem orator noster cum pace, et incolumitate pervenerit ad vos, qui quidem est vere orator noster: nos autem omnes obedientes sumus Sanctitati Tuae, ac verbo tuo. Quidquid enim praeceperis, nos devote suscipiemus usque in diem Christi, velut condacium praefatum. Manus enim nostra, et lingua brevis est inter infideles propter quos neque epistolam, neque munus Sanctitati tuae dignum possumus mittere. Haud solum Turcas timemus, sed magis etiam malos Christianos, qui mixti sunt infidelibus, nam boni, et mali ubique reperiuntur. Amicitia vero, et conversatio nostra cum bonis est semper: si enim ille orator noster salvus ad vos pervenerit, ipse erit Clavis animae nostrae, et nos laeti erimus, ac jugiter mittemus epistolas ad vos apertas, scriptas superioribus characteribus, quos nemo nisi ipse solus scit. Et si aliud quoque signum volueritis duabus manibus suis veluti dextra sua utitur. — Aliud quoque signum: scit superiora elementa prisca, nisi tantum ipse, qui ea etiam docebit. Devote petimus, ut ipsum cum amore suscipiatis, et

1) Armenice կոնդակ, quod idem sonat ac Bulla, Breve, Decretum.

ostendatis ei omnia loca sancta, ac reliquias universas, qui ibi apud vos sunt. Et quando voluerit discedere, benigne mittatis cum litteris favorabilibus, et cum optimo comite, ut possit veraciter nobis narrare quidquid viderit. Vos sapientes, nostros ritus optime scitis. Epistola haec scripta fuit Ecimiazin anno a Nativitate Jesu Christi MDLXIII prima die Mensis Aprilis die vero quintae Feriae."

A tergo vero habetur: „Perveniat hoc scriptum ad Magnam Romam ad pedes Beatissimi Papae, Amen, Amen, Amen[1])."

Joannes Baptista Aethiops interpretatus est Romae XX mensis Martii MDLIV. — Interrogatus de fidei Articulis Abgarus Armeniorum Orator, hoc responsum in publicam formam redactam dedit.

Nos Armeni, qui in captivitate sumus sub potestate Turcarum et Persarum, hanc fidem tenemus et observamus.

Credimus Patrem ingenitum esse, et Filium genitum, et Spiritum Sanctum ex utroque per modum unius principii procedentem, et hos tres unum esse Deum.

Credimus Mariam Matrem Dei esse Virginem ante partum et post partum.

Credimus etiam Christum assumpta humanitate omnia miracula fecisse.

Credimus Mariae Salutationem, Christi Nativitatem, Praesentationem in templo, Baptismum, Transfigurationem, Crucifixionem, triduanam sepulturam, Resurrectionem, Ascensionem.

Credimus sedere eum ad dextram Patris et iterum venturum.

[1]) Raynald. ad an. 1564. No. 51.

Credimus etiam Eum totam humanam naturam, praeter peccatum, perfecte nascendo sumpsisse. Haec quidem omnium nostrum est fides.

Habemus libros Veteris et Novi testamenti septuaginta duos; Prophetas omnes, centum quinquaginta Psalmos, Evangelia quatuor, Epistolas Petri duas, Joannis et Jacobi libros, Epistolas Pauli quatuordecim.

Habemus etiam septem sacramenta Ecclesiae. Scimus septem esse peccata mortalia. Inter Prophetas majorem esse dicimus Moysen. Habemus duodecim Apostolos, et septuaginta duos discipulos, quibus omnibus Petrum esse majorem confitemur.

Credimus, si quis confitetur peccata sua sacerdoti, eum absolvi, et ligari auctoritate clavium. Concilia nulla habemus praeter haec tria, videlicet Nicaenum, Constantinopolitanum, et Ephesinum. Recitamus singulis diebus Symbolum Nicaenum. Tenemus Missam, quam S. Gregorius nos docuit. In Sacrificio Altaris fermento et aqua non utimur. In uno eodemque altari bis uno die non celebramus. Omnes Monachi nostri sunt casti, ac virgines, et nunquam ducunt uxores: clerici vero non regulares ducunt; et postea sacerdotes fiunt. Monachi vero nostri authoritatem baptizandi non habent, neque possunt praesente sacerdote dare Matrimonium populo.

Centum ac quinquaginta quinque diebus in quolibet anno jejunamus, abstinentes etiam a piscibus et lacticiniis.

Aliis etiam infra annum quinque diebus jejunium habemus, in quibus ova et lacticinia comedimus. Nullo die dominico totius anni alicujus sancti, vel sanctae festivitate memoriam facimus, nisi de Domino nostro tantum.

In festivitate Epiphaniae Domini concordes sumus cum Ecclesia Romana, in Nativitate vero minime.

Sabbato sancto post solis occasum ova et pisces tantum comedimus.

Omnes sub utraque specie communicamus. Primam et secundam copulam Matrimonii benedicimus, ac coronamus, tertiam vero minime.

Post septimum gradum Matrimonium contrahimus. Compatres nostri inter se non contrahunt matrimonium, nisi post quartum gradum.

Oramus et sacrificamus ad Orientem conversi, et cum genua flectimus, terram osculamur.

Septem horas Canonicas habemus, quas bis in die in Ecclesiis recitamus.

Haec est fides, confessio, jejunium, et oratio omnium nostrum, quae hoc tempore, et in captivitate atque igne, inter tam multas angustias parva sunt. Nam si palam coram infidelibus dixerimus Christum Deum verum esse, in ignem nos mittunt. Si vero Deus voluerit, ut liberemur ab hac captivitate, quidquid praeceperis, erit in nostro capite: in praesenti enim tempore non est nobis, neque gladius, neque baculum. Si quem voluerimus corrigere ex nostris praevaricatoribus, et ad observantiam fidei cogere, is indignatus infidelis efficitur. Ob id igitur humiliter supplicamus Tuae sanctitati, ut nostri misereris. Tu quidem quatuor Partium Mundi Pontifex Maximus es: quidquid tu solveris erit solutum, et quidquid ligaveris ligatum erit: ne quaesumus respicias delicta et peccata captivorum, sed absolve nos, et numera in gregibus tuis fidelibus, vetus pactum, devotionem et obedientiam erga S. Romanam Ecclesiam renovantes; nos enim sumus Sanctitatis tuae servi inu-

tiles, ut Propheta ait, non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Pro defunctis Missam celebramus: Deum oramus, et eleemosynam facimus; bona autem stabilia Ecclesiis pro animabus nostris relinquimus. Ter in anno Commemorationem pro defunctis in Ecclesiis facimus sacrificia immolantes, eleemosynas facientes, cibum potumque hominibus Ecclesiasticis, ac pauperibus erogantes.

Omnium Sanctorum Reliquias veneramur, deque eorum reliquiis in crucibus, et in nonnullis vasis pretiosis, impositis in altaribus, venerabiliter ponimus. Cruces benedictas valde veneramur, et in altaribus superponimus. Imagines quoque tantum benedictas veneramur, et eas etiam in altaribus ponimus. Bis in anno Crucem, et Imagines sacerdotes nostri et viri ecclesiastici portant domos, ut imbecilles et infirmi, qui ad Ecclesias propter senectutem, aut aegritudinem venire non possunt, eas venerentur religiose, et osculentur: hae autem Imagines et Cruces crebro apud nos miracula faciunt. Hoc autem tenemus de delinquentibus, ligatis, seu excomunicatis, quod si quis Sacerdos, Episcopus, Archiepiscopus vel Catholicos aliquem delinquentem ligaverit seu excomunicaverit, et defunctus fuerit non absoluto delinquente, quem vivens ligaverat, hunc qui ligatus aut excomunicatus fuit, nullus successor eorum qui delinquentem ligaverit seu excomunicaverit, nisi solus summus Pontifex Romanus, ad quem secundum canonem nostrum mittimus hunc flentem, quem poenitet delicti sui, cum litteris, quibus excomunicatus fuit, ad absolvendum, et ad scindendas hujusmodi litteras. Tibi enim soli licet eum absolvere, et scissis litteris, quibus est ligatus, ad Ecclesiam nostram remittere per doctrinam S. Gregorii Patriarchae nostri.

Nos omnes credimus, quidquid Sancta Catholica et Apostolica Ecclesia credit, et quidquid ipsa anathematizat, nos quoque anathematizamus.

Tenemus, quod hominis Christiani, qui nolens confiteri peccata sua et agere poenitentiam mortuus fuerit, anima in manus diaboli eat; qui confessus poenitentiam egerit, ejus defuncti anima in coelum evolat; qui vero confessus fuerit, et quum Eucharistiam acceperit, defunctus fuerit absque satisfactione poenitentiae, illius parentes, consanguinei et amici, eleemosynis, sacrificiis, orationibus, ac aliis piis operibus, possunt animam illius eripere, si in Purgatorio versetur.

Primum quidem Patriarcham nostrum fuisse dicimus S. Gregorium, qui primus venit Urbem Romam, quem S. Silvester benedixit ac consecravit, tempore Constantini Imperatoris, et Regis nostri Tiridatis.

Item confitemur Christum dixisse S. Petro Apostolo *Pasce oves meas*, pro quo etiam orasse, ne unquam deficeret fides sua; qui autem ex nobis non confitetur Sedem Petri esse majorem, ac Dominum Pontificem Romanum caput ac pastorem esse totius Mundi, claviumque possessorem, is Evangelia, et Hierusalem et Sedem Gregorianam Ecimiazin negat.

Parce Beatissime Pater, mihi peccatori, qui ita breviter fidem Armenorum scriptis, et paucis verbis, praedictos septuaginta et duos libros nominavi, quia nunquam decet lucernam ponere ante solem, quia tu es sapiens, omniaque sciens. Scripta igitur est fides Armenorum paucis verbis propter lectorem, per manum Abgari et Alexandri presbyteri Armeni, Joanne Baptista Indo interprete, in magna Urbe Roma. Tempore Pontificatus S. D. N. Papae Pii IV

anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi MDLXV, decima die mensis Novembris, die vero quarta feria.

Quinam porro fuerit exitus hujus fidei professionis, ex historia non liquet, attamen ex optimis legati qualitatibus conjicere non immerito possumus, Abgarum postea doctrinam catholicam omnimode suscipisse, eo vel magis, quod in usum gentis suae Abgarus Romae praelo commisit Versionem Armenam Bullae Gregorii XIII., quoad Novum Kalendarium, cum appositis tractatibus et tabellis, ne in re tanti momenti Armeni ab Ecclesia Romana discreparent. Summus autem Pontifex S. Pius V beneficiis affecit Armenos Romae degentes, templo et hospitio S. Mariae Aegyptiacae ipsis attributo. Gregorius XIII munificentiae et benignitatis suae erga nostros homines clarissima exhibuit argumenta. Nam ut pro Graecis, ita pro Armenorum Alumnis Romae Collegium instituere decrevit. Extat Bulla pro ejus institutione, quae tamen utut Armenis honorifica, ob immaturam Pontificis mortem effectu suo caruit. De vetustissima devotione Armenae gentis et Patriarcharum Armeniae ad Romanam Sedem testimonium praeclarum affert Pontifex, et paulo post ait: Adeo que et religiose illam (Evangelicam fidem) deinceps coluit, ac tanta praeterea veneratione Pontificem Romanum omni tempore est prosecuta, ipsum scilicet Verum Christi Vicarium, Beati Petri Successorem Ecclesiae Catholicae Caput fatendo, ejus doctrinam disciplinamque sequendo, ac in omnibus se suosque Patriarchas Apostolicae Sedi subjiciendo, quemadmodum in Generali Concilio Florentino, sub Papa Eugenio hujus nomine IV, missis illic praelatis, ac procuratoribus suis non obscure testatum reliquit, ut merito nobis Sedique Apostolicae charissima et acceptissima esse debeat. [1]) . . .

1) Bull. Rom. T. VIII. p. 493. ed. Taurin.

Ita loquebatur magnanimus Pontifex anno 1584, exultans ob firmatam rursus unionem cum Sede Romana a Patriarcha Ciliciae Azaria vel Zaccharia, Episcopis et clero, suae jurisdictioni subjecto. [1])

Summus Pontifex, animadvertens per ea tempora peculiarem Orientalium propensionem ad obedientiam Cathedrae Romanae praestandam, miserat Archiepiscopum Sidonensem in Asiam Minorem extraordinaria potestate praeditum, ut diversas gentes cujusvis nationis ac ritus in sinum Matris Ecclesiae colligeret. Sollicitudo Pontificis quoad Armenos optatum exitum consecuta est. Erant ea tempestate natio et Ecclesia Armena sub Protectione Eminentissimi Julii Antonii Card. titulo S. Severinae, qui praefatae missioni operam auxiliatricem impendit.

Delegatus Apostolicus reperit duos Patriarchas Ecimiazenum, et Sisensem optime ad unionem catholicam, et ad obedientiam Romano Pontifici dispositos, sed in altero majorem animi promptitudinem ac favorem. Azarias vel Zacharias in Ciliciae Patriarcham electus jam constituerat venire Romam ad limina Apostolorum, sed adverso tempore prohibitus, iis interim, quae a Delegato Pontificio pro bono Religionis proponebantur libentissime adhaesit, fideique formulae ab eo exhibitae subscripsit. Quin et ejus judi-

[1]) In Pontificia Bibliotheca Vaticana asservantur (Cod. Arm. II.) originalia documenta Armenis litteris consignata, propriaque manu subscripta a Patriarcha cum suis Archiepiscopis, et Episcopis, a Principe Sisensi, et ab Archiepiscopo Sidonensi, agendis Apostolicae Sedis negotiis in Oriente praeposito. Ex pretiosissimis hisce documentis ineditis potiora seligimus, eaque latine reddita publici juris facimus, ex aliis vero praecipua loca excerpimus, quae mirifice conferunt ad dignoscendum statum Ecclesiae Armenae saec. XVI. consone ad relationem ejusdem delegati Apostolici in Asia (1587). Stephanus Baluzius in Miscellaneis hanc relationem italico originario sermone publicavit. Mansi latine versam ineditis monumentis auctam produxit. Comes vero Avrilensis ejusdem relationis versionem Gallicam adornavit ad fidem italici exemplaris, in Imperiali Bibliotheca Vindobonensi existentis, expressam.

cio subjecit expositionem fidei, quae inter Armenos illius aetatis confuse admodum, ut verum fatear, obtinebat, et quibusdam etiam erroribus commixta erat, ut ab eo disceret germanam doctrinae speciem, qualem Romana Ecclesia profitebatur. Hujus expositionis authenticum exemplar extat in Bibliotheca Vaticana, illudque referre superfluum putamus. Referemus ex eadem Bibliotheca desumptam fidei professionem Catholico-Romanam omnibus numeris absolutam, qualis scilicet decebat Patriarcham sincere catholicum, propria ejus manu subscriptam, ac sigillo obsignatam [1]) (ut videre est in Cod. Arm. Vaticano II.). Eodem tempore scripsit Epistolam, obedientiae suae testem, Summo Pontifici Gregorio XIII, in qua humillimis rogabat precibus, ut sibi Patriarchatus investituram conferret, una cum facultatibus et privilegiis eadem dignitate ac munere fungentibus conferri solitis. Documentum istud subscriptione Episcoporum et Procerum Armeniae roboratum, Armenis Autographis characteribus in Bibliotheca Vaticana existit.

Eximius Patriarcha in hac Epistola etiam religionis, amoris, gratique animi sensus promebat pro beneficiis Armenae Nationi collatis, notanter pro paternis ab eo exsertis curis in procuranda ac tuenda unitate Fidei Catholicae, atque intellectuali Armenorum educatione promovenda, sive per Decretum erectionis Collegii Armeni in Urbe, sive per aliud Decretum, quo libros ad Religionem et scientiam spectantes Armenico idiomate excudi jussit. [2])

Initio saeculi XVII etiam in Patriarchatu Ecimiazeno conspicua signa portendebant regressum ad unitatem. Patriarcha Melchisedech (an 1610 die

1) Vide Vers. Lat. Append. XI.

2) Hoc documentum ineditum, quod pro Armenornm historia summopore interest, videbis latine positum, App. XI.

15 Maj) prolixam scripsit [1]) ad Rom. Pontificem Paulum V sive epistolam, sive potius fidei professionem, spiritus oleo delibutam, devotionis et obedientiae erga Romanam Sedem sensus exprimentem, ex qua speciminis gratia sequentia loca desumere libet: „Et quemadmodum, inquit, sol est principium vitae humanae, et omnium viventium, sic et Vos Petra viva vivificantis fidei in Sede collocati, vitae originem omnibus fidelibus praebetis, cum in sinu vestro omnes christianarum generationes congregantur sicut scriptum est: super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam. Et sicut ille unicus unico Orbe et candore universum mundum illuminat, necnon omnium animata et inanimata continet et movet, adeo ut omnibus imperare videatur, ita et vos unus unicus potestate suprema Pontificia Apostolicae Sedis, omnibus christianis cum potestate praeestis, omnes in imperio continetis, quod universus mundus agnoscit, et omnes fidelium nationes vobis obsequuntur, nec est qui vestrae sapientiae et voluntati contradicat, cum Deus Vobis dixerit: Pasce oves meas . . . . . sic et Vos vestra clarissima, ac indeficienti fide, ad miraculum usque omnibus generationibus perspicua, eo, quo intellectus humanus, et totus chorus sacerdotum non pertingit, vocali professione fidei attingetis, inter omnes confitentes: Tu es Christus Filius Dei.“ Idem Patriarcha Melchisedech tres post annos, Pontificio accepto responso, aliis litteris obviavit ortodoxae fidei congruentibus in quibus sequentia legimus: „Ego indignus afflictus confrater Melchisedech, Catholicos Armeniae, in pace Jesu Christi scripsi praesentes, et vestros pedes deosculor, et agnosco plenitudinem charitatis, et miserationis vestrae in epistola . . . quam mihi Zacharias Vartabed revertens reddidit, litteras Sanctitatis Vestrae

[1]) Bzovius, Rom. Pont. p. 202.

legi cum ingenti gaudio, congaudentibus ad invicem meis Coepiscopis, qui in eis consolationes suavitatis, et omnia verba ordinate disposita perspexerunt... flagitamus Sanctitatem Vestram, ut si videat nos in aliquo deficere, quod nos omnino lateret, pro sua sapientia declaret, et moneat, cum nos pro nostra fragilitate prompti sumus obedire non tantum in his, sed etiam *omnibus dogmatibus et ritibus* Ecclesiae Romanae, ut sit unum ovile, et unus Pastor. Istud desideramus ut alii etiam christiani faciant, ut unum simus cor et anima in Domino, quod vobis pro officio pastorali, qui estis caput Ecclesiae, convenit curare.[1])

Catholicus Patriarcha an. 1627 obdormivit in Domino Camenitiae, Poloniae civitate, ubi secesserat, et coloniam Armenam Ecclesiae Catholicae reconciliaverat[2]) per Nicolaum Torosevich Leopolitanum Archiepiscopum, ab ipso consecratum, qui idcirco persecutiones passus est a factione schismaticorum, qui nationem vastabant. Haec sedes Armena Archiepiscopalis adhuc existit, et in omnem Gallaeciam et Bukovinam Austriacam ejus jurisdictio porrigitur.

Moyses Patriarcha, qui Sedem Patriarchalem Ecimiazenam occupaverat, praedecessoris vestigia successu temporis est persecutus; ad Romanum Pontificem Urbanum VIII professionem fidei catholicae transmisit, duodecim Episcoporum subscriptione munitam.[3]) Praefatus Pontifex de nationibus orientalibus plus benemeritus quam scribi possit, ob Collegium Fidei Propagandae ab eo institutum P. Paulum Piramolli (18 Maj 1640) in Orientem dire-

1) Bzovius, Pont. Rom. p 207.

2) Historia unionis Armenorum, gestarumque ab eo Archiepiscopo in Gallaecia rerum, falsis coloribus respersa exhibetur a P. Ciamcian in sua Hist. Armena.

3) Alias hujusmodi manifestationes, vide in op. Armen. Balgy. Cathedr. S. Petri etc.

xit missione Apostolica instructum, litteramque paternis benevolentiae sensibus refertam Patriarchae, Moysis successori, dedit (1633—1655), in qua ita loquebatur: „Praecipua autem Armenorum nationem benevolentia sequimur, atque erga eamdem non exiguas Pontificiae charitatis significationes exhibere optamus, cum illam retroactis saeculis Romanae Ecclesiae consensisse, et B. Petrum in suis successoribus pie veneratam esse veteribus historiae monumentis compertum est . . . . *illustris extat memoria Florentini Concilii*, in quo maxima cum pietate ac zelo, Eugenio IV Pontifice, Armeni concordiam cum Romana Ecclesia iniverant, et summa populorum omnium approbatione sese ad Apostolicae Sedis unitatem aggregarunt. Quod quidem ex ejusdem Concilii Volumine, atque ex praedicti Pontificis diplomate, quod non ita pridem sacrae Congregationis auctoritate vestro idiomate conscriptum, et in lucem editum fuit, fraternitas tua luculenter perspiciet."

Patriarcha Philippus, Urbano VIII rescribens per manus ejusdem Piramolli, fidei Catholicae professionem a viginti quinque Episcopis et octo Doctoribus subscriptam misit, quae tamen Innocentio X. reddita fuit. [1])

Nihil vero luculentius ea fidei professione, seu mavis testamento, quod Patriarcha Ecimiazenus Jacobus IV, octoginta duos annos aetatis habens, paulo ante mortem Constantinopoli condidit (1680), cum jam septem ante annos haud absimile fidei documentum confecisset. Illud vero ita se habet:

„Juxta immutabilem, constantem, verissimamque traditionem D. N. J. Christi, juxta praedicatio-

[1]) Stephanus Leopoliens. Chron. Arm. ad. an. 1640—47.

nem SS. Apostolorum de Verbo vitae, quod propriis oculis viderunt, juxta doctrinam et exemplum SS. Orthodoxorum Episcoporum veterum et recentium, juxta confessionem et sententiam duodecim Doctorum theologiae, juxta regulas et constitutiones quatuor sacrorum Conciliorum Niceni, Constantinopolitani, Ephesini et Chalcedonensis, propria voluntate et affectu permotus, fide firmus, spe constans, charitate fervens indeficiente, Ego humilis Christi servus Jacobus Catholicos omnium Armenorum, et Valarsapatensis Patriarcha in illustri, magna, sanctaque Sede Ecimiazena, duos supra octoginta annos natus, menses quatuor, Patriarchatus anno XXVII, prope exitum vitae in Urbe Constantinopolitana sub umbra Ecclesiae S. Mariae Deiparae, ante conspectum cuncta videntis Dei, coram Rmo. Episcopo D. Gaspare Gasparino, coram praesule S. Sedis Cizicanae, et D. Francisco Silio Soc. Jesu juxta omnia praedicta credo et profiteor: Maximam et Apostolicam, universalem Sanctam Romanam Ecclesiam frui plena, summa et perfecta potestate et imperio in universam Catholicam Ecclesiam. Credo etiam Supremum Caput hujus Sanctae Ecclesiae Christi esse Vicarium et Petri Apostolorum Principis successorem, qui in coelo, et super terram ligat et solvit. Quaecumque idem ipse ligaverit, vel solverit super terram, credo ligari vel solvi in coelo. Hanc Sanctam Romanam, Apostolicam, universalem, maximamque Ecclesiam veneror et amplector, ejusque doctrinae obsequens in hac et in futura vita subscribo. Abjicio, et anathematizo hostes atque adversarios hujus Sanctae Apostolicae Romanae Ecclesiae ejusque Fidei in praesenti et in futuro saeculo.

Conscripta haec professio fuit an. MCXXIX. aerae Armenae (a. v. 1680) die 1. Augusti; eamque

approbo Ego Jacobus Catholicos Armenorum et in hujusce rei confirmationem propria manu subscripsi.

Jacobus Catholicos omnium Armenorum. Defuncti Ven. Antistitis fama orthodoxae fidei, et sanctitatis, statim inter suos congeneres increbuit, et hodie adhuc superest. Ad ejus tumulum contemporanei magnificum monumentum erexerunt, sequenti inscriptione apposita, MCXXIX. Mense Augusti (1680).

Conditur hoc tumulo majestate, ac veneratione pleno decori, et mirifici operis — impollutum corpus Beatissimi Domini — Jacobi Optimi Armenorum Patriarchae — successoris S. Patris Nostri Illuminatoris — in illius benedicta Sede Catholici initiati — Nunc hic tumulus, qui corporales sanat languores — mirabilis apparet iis, — qui fiducialiter opem postulant — Auctor operis Zacharias architectus rogat — ut memores sui, suaeque familiae sitis — apud Dominum — Anno aerae Armenicae Millesimo centesimo vigesimo nono — Romanorum vero die secunda mensis Augusti.“ [1])

Honorificum hoc monumentum repagulo circumscriptum, in cujus medio jugis ardet lampas, adhuc in sepulchreto suorum popularium colitur et frequentatur, quique ab ejus fide misere deflexerunt, quibusvis necessitatibus et angoribus pressi illius opem implorant. Ita veritas Catholica inter ipsos desertores triumphum agit, eosque vel invitos ad obsequium cogit. Hujus viri sanctissimi in Sede Ecimiazena successores, Patriarchae inquam, Elias, et Nahapet, quidam etiam Catholicos Altamarae [2]) et

[1]) Primigenium exemplar reperitur in Bibliotheca PP. Mechitharistarum Vindobonensium, cujus haberi debet ceu paraphrasis versio gallica, extans in tabulariis Prop. Fid.

[2]) Originalis fidei Professio Martiri Patriarchae Altamarensis extat Armeniace exarata in pluteis Bibliothecae Vaticanae, Cod. Arm. III.

Alvaniae, nonnulli Constantinopolitani Patriarchae, aliique Praesules haud omiserunt fidei suae rationem in scriptis Summis Pontificibus, utpote Jesu Christi Vicariis, tradere.[1])

Eodem tempore Patriarcha Ciliciensis (1693) Gregorius, duobus comitantibus Episcopis Romam pergebat ad sepulchra Principum Apostolorum vota persoluturus, ibique fidei professionem insimul emittebant. Hic porro praetereunda non est mentio illustris Metropolitae Cyriaci e numero eorum, qui Constantinopolitani Patriarchae vocitantur, qui datis ad Urbanum VIII R. P. obedientiae litteris fideique pariter professione edita, exemplum sane egregium successoribus imitandum reliquit.

Itaque saeculo XVII. conspicimus Armenos Patriarchas, Metropolitas, Episcopos, Doctores, reliquis in suis erroribus animose relictis, Romani Pontificis amplexum inhiantes, sollicitos servare unitatem Spiritus in vinculo pacis cum Ecclesia Romana, quo certe spectaculo nihil potest esse jucundius. Illud enimvero coelesti agebatur gratia, quae mentes collustrat, et corda permovet: sed ei Romanorum Pontificum actio validissima jungebatur, qui Apostolicis Missionibus, legationibus, quibusque demum curis et auxiliis adhibitis, ad arcem petramque fidei orientales trahebant nationes, praesertim Armenam, in qua adeo altas radices fixerat catholica fides, ut eas nulla potuerit haeresis, nullum schisma penitus evellere. Haec cum verissima sint, nihilominus toties iteratae fidei professiones, ingeminataeque Romanorum Pontificum sollicitudines, et cohortationes ad majorum fidei vestigia repetenda, non impedivere,

[2]) Bullarium s. c. Prop. Fid. App. T. I. 319. — Balgy, Cathedra Petri (Armenice).

quominus hinc nonnullorum inscitia et malesuadis cupiditatibus, inde vero aliorum erroribus, abolita praejudicia Romanae unitati infesta, identidem repullulascerent inter Armenos, eos maxime, qui Constantinopoli immorabantur, qua in Urbe, qui diversis distrahebantur studiis in negotio Religionis, sua quisque placita, et anticipatas opiniones summo aestu et immani contentione defenderent. Id quod etiam ex perpetuo conflictu eorum, qui pseudo-Patriarchalem Sedem occupabant, ab eaque se invicem extrudebant, intelligi potest. Etenim si tabulae chronologicae P. Mich. Ciamcian prima fronte inspiciantur, intra spatium 100 annorum, id est ab anno 1600 ad 1700, (quod idem ferme videas superiori et insequenti saeculo contigisse) non minus quadraginta sex apparent Patriarchae in illam sedem vicissim prorumpentes, opera plerumque et studio popularium factionum, quae detestabilis injuria, juris nationalis nomine, in Oriente cohonestari consuevit. Quot igitur malis Catholica fides in ea Metropoli afflictaretur, nemo non videt. Qui sibi pascendi onus assumpserant, a centro unitatis avulsi, unde scatet robur, vita, firmitas totius catholici aedificii, excussa Romani Pontificis J. C. Vicarii suprema et irrefragabili auctoritate, a quo omnium Praesulum salus et veneranda potestas dimanat et pendet, semetipsos pascebant, nihil praeter auram popularem aucupantes, oves sibi creditas factionum conflictantium arbitrio relinquebant; in id vires omnes convertentes, ut catholicos sibi commissos opprimerent, molestiisque afficerent. Res igitur eo devenerat, ut omnino necesse esset catholicos a schismaticis separari; jamque post saeculi XVII dimidium, qui in Persia, et praesertim Bassorae, morabantur, religiose cavebant, ne in participatione sacrorum cum illis miscerentur. Quotquot Constantinopoli, aut ubilibet recto spiritu ducebam-

tur, humanis posthabitis rationibus, heterodoxos deserebant, ut ad maternum Catholicae Ecclesiae sinum convolarent. Mechithar Sebastensis (natus 7. Febr. 1676.) doctrina et ingenio inter suos clarus, pietati Deique timori a teneris assuetus, fidei doctrinaeque Catholicae retinentissimus, PP. etiam e Societate Jesu[1]) Magistris usus, quorum in manus fidei professionem emiserat, de Romano itinere aggrediendo cogitaverat, sed gravi morbo prohibitus, an. 1696 sacerdotio initiatus fuit, atque exinde Catholicae veritatis praeco ferventissimus effectus est. Ad gradum Vardapetis, seu Doctoris promotus, quosdam sibi familiares circum se collegit, eosque in doctrina Catholico-Romana erudivit, ut idonei evaderent Verbi Dei praecones. Aerumnis et insectationibus errantium concivium exagitatus, a Metropoli in exilium actus, in Peloponnesum Venetorum dominationi subjectum, perfugium quaesivit (1703), ibique coram Archiepiscopo Corinthiorum, professione fidei catholicae emissa,[2]) quos socios habebat votis adstrictos in Monasticum coetum conflavit, novaeque familiae coenobium Methone extruxit (1706). Post novem annos Graecia Turcarum imperio subacta (1715), Venetias concessit, suoque coetui sub regula S. Benedicti in Insula S. Lazari constituto a Summo Pontifice Clemente XI. consensum impetravit. Ipse ut Abbas usque ad mortem (1749) pietate pari ac zelo Monachis praefuit, quos tales esse voluit, ut sive evangelica praedicatione, sive litteris Armenae nationi prodessent. Post fundatoris obitum evenit (1772), ut

1) P. Ant. Beauvollier et P. Joh. Verzeau. — Per idem tempus Patres S. J. indefessam operam navabant in praedicatione catholicae doctrinae in Armenia, non sine magno populi emolumento. Anno 1688 duas instituerant Missiones, alteram nempe a S. P. Gregorio Illuminatore nuncupatam, alteram a S. Ignatio, quae multa oppida complectebatur.

2) Vita Mechitharis Abbatis a P. Mattheo Eutociensi, qui ei a secretis erat, conscripta. Autographus Codex est in Archivio PP. Mechitharistarum Vindobonensium.

congregatio in duas divideretur, seorsim viventes, sub communi tamen Mechitaristarum appellatione: mutuique discriminis causa factum est, ut Veneti alii, alii Vindobonenses dicerentur. Hujus Vindobonensis sodalitatis Summus Pontifex Pius IX, quem Deus diu sospitem servet, an. 1852 ex speciali benevolentia, per Breve „Monachorum societas“ sub die 23 Januari Statuta fundamentalia approbavit.

Sed ut ad propositum revertamur, dum haec a Catholicis fiebant, non destiterunt Armeni dissidentes majori vel minori feritate catholicos divexare, prout eorum varia indoles ferebat, qui se Patriarchas Constantinopolitanos magnificabant, quorum nomina indelebili ignominia notabit historia. Omnium saevissima persecutio sub Patriarchatu Joannis Hamadan [1]) an. 1781 excitata fuit: adversariis ubique, sed maxime Constantinopoli, Ancyrae ac Merdinae furentibus. Catholici nihil nisi summam animi virtutem, invictamque tolerantiam opposuerunt. Quod primis Ecclesiae persecutionibus usuvenerat, ut cum in Christianos insurgere vellent, obducta aequitatis specie feritati et odio indulgerent, id etiam Armenorum catholicorum hostibus in more positum fuit, ut nimirum eos proditionis crimine insimularent, tamquam Francorum fautores et complices, civili sacraeque potestati rebelles: itaque catholicos in alterutrum discrimen conjiciebant, ut vel in Divinis officiis cum schismaticis comunicarent, vel carceribus, exilio, triremibus, extremoque supplicio plecterentur. Venerandi Presbyteri Gomidas Koemurgian, Constantinopoli capite damnatus [2]) an. 1707, Michael

[1]) Vide Hist. Arm. P. Ciamciam T. III. c. 40. 50, ubi describitur series persecutionum, quae annis 1701, 1707, 1708, 1714, exarserunt.

[2]) Ejus sepulcrum veneratione est non modo catholicis, sed etiam heterodoxis, et usque ad hanc diem Dominus ad intercessionem servi sui miracula patrare dignatur.

de Perkenik, et honorabilis memoriae Episcopus Mardensis Melchior Tasbas stipiti affixi vel ferreis catenis constricti, martyrii coronam sunt assecuti. Ita fiebat, ut quo vehementior esset persecutio, eo majori constantia et fervore Catholici in majorum fide persisterent. Tunc sectariis in mentem venit, ut eorum fidelitatem, dolo fraudeque labefactarent. Patriarchae cum suis adhaerentibus moderationem affectabant, dictitantes catholicorum dogmata quoad substantiam cum schismaticorum sententiis congruere: discrimen si quod esset, totum in superficie positum esse, catholicos et dissidentes de solis vocibus contendere, quibus eadem significatio subesset: utrosque Romano Pontifici honorem deferre, eadem cognoscere sacramenta; ceterum si qui deprehenderentur defectus id humunae esse infirmitati tribuendum, et, quod inde esset consequens, opus esse catholicis moderatione uti, et ad tollenda dissidia, animosque conciliandos, quosdam abolitos ritus et consuetudines saltem externe recipere, nationales (schismaticorum) Ecclesias, relictis latinorum templis adire: hanc patere viam ad pacem et salutem obtinendam, quam ingredi si renuerent, vincula, mulctas, delationes imminere. Hujusmodi porro minae ab effectu non longe aberant: nam separatio catholicorum a dissidentibus cum sensim ac sine sensu contigisset, catholici coram gubernio Turcarum Patriarchis subjecti censebantur. Religio quidem fideles Catholicos a schismaticorum templis et consuetudine in divinis arcebat; sed istorum Partriarchae non sinebant Catholicos propria habere templa, ibique juxta proprium ritum sacramenta administrare, et orare: hinc ut Religionis officiis satisfacerent ad Latinorum Ecclesias accedere adstringebantur. Romani Pontifices, duram hanc Catholicorum Armenorum conditionem probe noscentes, tacite permittebant, aut saltem

tolerabant eos a schismaticis Ministris quaedam recipere sacramenta videlicet: 1. Baptismi et consequenter 2. Confirmationis,[1]) quae juxta ritum orientalem in ipso Baptismo confertur, 3. Matrimonii; ad haec ut pro mortuis sepeliendis eorum ministerio uterentur. Nihilominus non haec satis erant sectariis, qui idcirco a vexandis catholicis haud sibi temperabant. Et quamvis catholici has molestias aequo animo perferrent, tamen lapsu temporis visum nonnullis, fas esse, sepositis dogmatibus, cum schismaticis convenire, corum ritus utut jamdiu inter catholicos abolitos accipere sub quibusdam conditionibus, quibus putabant et conscientiae quieti consulere, et hostilitates declinare. Proinde affirmabant licere[2]) sibi ingredi dissidentium templa, ibi aliquantulum orare, eleemosynam facere, aliquem religionis actum exercere ea mente, ut se persecutioni vitaeque periculo subducerent: haec tuto praestari posse citra schismatis formalis incursum. Hanc doctrinam jam reprobaverat Clemens XI prope exitum saeculi superioris in Responsione ad sequens quaesitum Ecclesiae Armenae in Persia. „Num liceat Missionariis Armenis Ecclesias schismaticorum, et haereticorum frequentare, et num pariter licitum sit Catholicis per istorum manus sacramenta recipere, eorum Sacris aliisque functionibus interesse?“ Hujus quaestionis ratio est, quia Missionarii qui sunt Ispahan, et Iulphae in diversas abeunt sententias, ajentibus nonnullis haec licere vi Bullae

[1]) Notandum venit, Catholicos adivisse templa schismaticorum, tantummodo pro administratione baptismi; nam matrimonii sacramentum privatis domibus recipiebatur, atque exequiae pro defunctis ibidem, eodem modo fiebant.

[2]) Praecipuus hujus opinionis propagator et fautor fuit Melchior de Serpos, satis Europae cognitus ob scripta italice sub ejus nomine vulgata, quae sunt 1. Compendio Istorico di Memorie cronologiche . . . della nazione Armena, 1786. 2. Dissertatio polemica Relig. etc. et alia. Dum haec edebat Serpos, prodibat Armenice Histor. Arm. P. M. Ciamcian (Venitiis. 3. T. 1784.) eadem intentione, et ad eumdem finem conscripta.

Martini V et Concilii Constantiensis *Ad evitandam*, quae veniam facit Catholicis recipiendi sacramenta ab haereticis et schismaticis, qui non sunt nominatim et specialiter denunciati, prout non sunt Sacerdotes Armeni Ispahan et Iulphae.

Responsio S. Sedis fuit negativa. „SS. D. N. (Clemens XI) Papa praedictus, auditis votis DD. Eminentissimorum dixit *Ad sextum.* Non licere et dentur Decreta.“ — Praefati conciliatores Catholici, hujusmodi Decretum non ignorabant, sed cavillosis, captiosisque interpretationibus, ejus vim eludere vel imminuere nitebantur, saltem quoad Catholicos Turcarum regimini subjectos. Melchior de Serpos, ex praestituto principio decretum illud latum fuisse pro solis Persiae Catholicis concludebat, illud pro reliquis non valere, et fractioni catholicae, quae sibi studebat, auctor fuit, ut quaestio denuo S. R. Sedi proponeretur pro declaratione, quae magis illorum desideriis congrueret. Ejus sententia quibusdam etiam ecclesiasticis bonae fidei viris arrisit. Sequentes igitur quaestiones S. Sedi propositae fuerunt:

I. Se sia lecito a' Cattolici Armeni portarsi alle chiese dei scismatici, attesochè non possono in altra maniera senza pericolo della vita conferire il Battesimo, contrarre i matrimonii, e dar sepoltura ai defunti?

II. Se confessandosi alcuno d'aver contravenuto (supposto che non sia lecito) si possa dare loro l'assoluzione senza esigere un giuramento espresso di non piu andarvi?

III. Se sia lecito il ripiego prudenziale, che i catolici possano entrare nelle chiese degli scismatici per atto di curiosità, la quale non puo effettuarsi, se non col fermarsi alle loro sagre funzioni, come a

rappresentazioni profane, senza fare orazione, ne adorare il Santissimo Sacramento dell altare interiormente, ma solo con atto esterno per non essere da scismatici maltrattato ed insultato nella persona? — Ad III^m SS. Dominus Noster Papa praedictus auditis votis DD. Eminentissimorum dixit, *ad mentem*: Mens est, ut consulant Doctores, et probos ac sapientes ecclesiasticos diu versatos in illis Missionibus, abstinendo prorsus ab actibus protestationis falsae sectae, ab occasione scandali, ac perversionis." — Per hujusmodi Rescriptum propositae interrogationi, S. P. declarat mentem suam, abstinendum esse juxta regulas Canonicas a quavis communicatione cum heterodoxis, quando haec induceret pericula protestandi falsas doctrinas, vel occasionem scandali et perversionis. Est autem evidens, hujusmodi pericula magis in imperio Turcarum quam in Persia fuisse, ut historia testatur. Id apprime intellexerunt doctores ac ferventiores ecclesiastici ordinis viri, tam Armeni quam Latini. Et ipsemet Vicarius Apostolicus Constantinopolitanus ad mentem Summi Pontificis ab omni communicatione in divinis cum dissidentibus Catholicos interdixit: excepto usu jam tolerato recipiendi tria Sacramenta, ut supra diximus. Catholici vetito paruerunt. At opinio de liceitate commercii cum schismaticis non fuit prorsus ex nonnullorum mentibus excisa: quapropter sub initium saeculi XIX., et etiam postea identidem repullulavit, fuitque inter catholicos dissidiorum fomes.

At Clementissimus Deus Ecclesiam Armenam Constantinopoli et in Asia ita turbatam, aerumnisque afflictam, nequaquam omni destituebat auxilio. Prima saeculi XVIII. medietate Patriarcha Ciliciensis ab episcopis orthodoxis electus fuit Abraham Alepensis, qui Catholicam gerens animo fidem Dioeceses Trape-

zuntinam, et Alepensem laudabileter administraverat. Romam deinde petens a Summo Pontifice Benedicto XIV. confirmationem et insigne jurisdictionis Pallium recepit (1742). Benedictus XIV. non modo hujusmodi honorem ei in publico Consistorio immediate detulit, sed etiam suprema sua auctoritate, in ipso ejusque successoribus Patriarchatum Armenum catholicum restitutum confirmavit, Patriarchae Ciliciae et Asiae minoris titulum conferens. Ejus jurisdictio omnem complectebatur Ciliciam, Armeniam minorem, Syriam, Palaestinam, Aegyptum. His indignati et in furorem acti Praesules et schismatici Sisenses, obedientiam denegarunt nuper electo Catholico Patriarchae, (qui in honorem Principis Apostolorum, Petri I. nomen assumpsit), et pro eo Michaelem Sisensem Patriarcham sibi constituerunt.

Abraham Petrus I. Roma regrediens (1750) Sedem in Monte Libano collocavit[1]), utpote qui locus esset a persecutione immunis, atque exinde gubernabat Catholicos, et paulo post communitatem Monachorum apud se instituit, qui ad Regulas Maronitarum Syrorum vitam componerent, et Antoniani vocati sunt, tamquam qui ad ordinem S. Antonii Abbatis pertinerent.

Ineunte saeculo XIX. inter dissidentes moderatos et illos catholicos qui unitarii dici possunt, Constantinopoli referbuit studium ad unitatem redigendi nationem Armenam. Maxima catholicorum pars hujusmodi motibus erat extranea. Ad eum finem habebantur coetus, consilia, disputationes, varii pacificationis

1) Abraham Petrus I pie obiit an. 1749, eique successerunt Jacobus Petrus II, 1749—1753. — Michael Petrus III, 1753—1780. — Basilius Petrus IV, 1780—1788. — Gregorius Petrus V, 1788—1812. — Gregorius Petrus VI, 1812—1841. — Jacobus Petrus VII, 1841—1843. — Gregorius Petrus VIII, 1843—1866. — Antonius Petrus IX, 1867 . . . .

et transactionis modi hinc inde proponebantur, eadem ratione ac saeculo elapso fieri vidimus: de differentiis in rebus fidei aut vix, aut nullatenus interponebatur sermo: tantum agebatur de conciliandis partibus per interpretationes ambiguas, et ad utrumque sensum ductiles. Conventicula et incitamenta ad unionem crebriora esse coeperunt ab anno 1817 ad 1820, cujus anni die 20 Martii Paulus Adrianopolitanus, qui Constantinopoli ut Patriarcha praeerat, nationalem Synodum inibi convocavit, cui interfuerunt ex dissidentibus Patriarcha Ciliciensis Cyriacus, multique Archiepiscopi, Episcopi, Sacerdotes et Primores nationis; ex catholicis quinque tantum Monachi, qui nullo mandato nullisque facultatibus instructi huic negotio se implicaverunt, atque idcirco postea a suis superioribus Venetiis improbati fuere. Quinam fuerit exitus hujus pseudo-synodi, judicari potest ex unico actu, qui in ea sancitus et publici juris factus fuit sub titulo „Invitatio Amoris“ ad incautos et imperitos ludificandos amphibologiis, et aequivocationibus de industria contexta. Nulla in hac Synodi actione apparet clara et solemnis expositio fidei, vel praecipuorum ejus articulorum, nulla clara determinatio eorum doctrinae capitum, quae in controversiam inter Armenos adducerentur. De Primatu Romani Pontificis, eique adnexis dotibus ac praerogativis, quo potissimum Armeni Catholici a schismaticis dissident, altum est silentium. Ita etiam non admittunt nisi tria prima Concilia, quod est indirecta exclusio Synodi Chalcedonensis. Hujusmodi conciliabuli a S. Petri Sede accepta notitia, rejectum, atque damnatum fuit, Monachis, qui illi adfuerunt anathemate perculsis: quique deinde poenitentia acti sunt, in gremium Matris Ecclesiae redierunt: Schismatici vero spe amissa decipiendi et illaqueandi catholicos, primo quidem livorem et ulciscendi cupidinem tacito pe-

ctore compresserunt, quae sexennio post 1828, majori impetu erupit.

X.

Emancipatio Ecclesiae Armeno-Catholicae, ejusdemque in imperio Turcarum Hierarchiae institutio.

Vidimus hucusque miserrimam conditionem Armenorum Catholicorum; immotamque in fide constantiam, quae in alio rursus asperrimoque certamine victrix enituit. Paulus Patriarcha Schismaticus Constantinopolitanus homo versutus, et fallendi artifex peritissimus, fretus auxilio quorumdam e primoribus suae nationis, quos inter Besgian, cujus recordatione perhorrescent posteri, bellum Russorum cum Turcis occasionem nactus diu latentem livorem in Armenos Catholicos effundendi, eosdem juxta veterem persecutorum morem, veluti infidos subditos, astipulatores hostium, de perduellione suspectos palam et apud Gubernium Turcarum criminabatur, idque tandem obtinuit, ut initio anni 1828 atrocissima persecutio imperiali edicto in eos decerneretur; itaque die 10. Januarii aliquot Catholicorum Armenorum millia, una cum Episcopo, ac vigintiquinque Sacerdotibus Constantinopoli exulare compulsa sunt, e quibus permulti brumalis tempestatis, viaeque incommodis fracti, nonnulli etiam fato functi sunt. Insuper praefatus iniquissimus Patriarcha aliud scitum dedit, quo catholicos e suburbiis, et pagis Constantinopolitanis expulit, eosque propriis relictis sedibus, in regionibus Schismaticorum, ac sub tentoriis habitare coegit. Rursus novis edictis die 6 et 29 Februarii promulgatis, omnes Sacerdotes et moniales in exilium misit: die vero 28. Martii, per totum Turcarum imperium dirae persecutionis aestus exarsit. Maximis catholici undique premebantur angustiis, atque ita ad incitas

redacti erant, ut vel Patriarchae scelestissimi jussionibus parerent, societatem in divinis cum schismaticis ineuntes, vel exilia, carceres, atque extrema quaeque experirentur. Postremam optionem, ut veros decebat Ecclesiae filios, dignos S. Gregorii Illuminatoris discipulos, Armeni Catholici amplexi sunt eaque pietatis, et fidei fortitudo divinam clementiam promeruit. Summus Pontifex Leo XII. calamitates Ecclesiae Armenae miseratus easque amoliendi sollicitus Galliae, et Austriae imperiali mediatione interposita effecit, ut in tractatu foederis cum Russia pangendi, caput legis insereretur, independentiae, et emancipationi Armeno-Catholicae Ecclesiae consultum foret: dieque 6. Januarii 1830 imperiale decretum prodiit, quo exules ad suos lares remeare permittebantur, bonaque proscripta suis dominis reddi praecipiebatur. Pius VIII. per Apostolicas litteras die 30 Julii datas Hierarchiam Armeno-Catholicam in Imperio Turcarum instituit, Sedemque Primatialem Archiepiscopi Constantinopolitani fixam esse voluit. jurisdictione in Armeniam majorem, Asiam minorem, ipsamque Constantinopolitanam provinciam eidem attributa. Primus qui ad eam occupandam deligeretur fuit D. Antonius Nurigian, quem anno 1838 excepit D. Paulus Marusci, eique anno 1846, successit D. Antonius Hassun. Vi hujus dispositionis Pontificiae memorata Ecclesia in duas valde amplas Provincias dispescebatur; nempe I. in Patriarchalem Ciliciensem: II. Constantinopolitanam. Isthaec porro catholici palmitis veluti nova plantatio Romanorum Pontificum curis laboribusque referenda, Dei aspirante gratia, laetiora quotidie foecunditatis, et stabilitatis incrementa suscipiebat. Insecutis annis magna animorum contentione, de liturgicis praescriptionibus, deque ratione eligendi Episcopos disputatum est, nihilominus natio Armeno-Catholica paternis, providisque Romanae

Sedis dispositionibus obsecuta est, et pax, ac tranquillitas inter Catholicos viguit.

Aeque felix, ac prospera erat rerum conditio in Sede Patriarchali Armeno-catholica Montis Libani, quae tamen utut pro suo gradu, ac dignitate Primatiali Sedi praeemineret, non iisdem quibus haec fruebatur commodis, tum quod a civitate principe longe distaret, tum ob rationes politicas, ejusque cum civili gubernio relationes. Quapropter unum erat Catholicorum votum, ut utraque illa Sedes concordiae foedere jungeretur, eo vel magis, quod Ciliciensis ipsemet Patriarcha Gregorius Petrus VIII postremis sui pontificatus annis, ita ad unionem propenso erat animo, ut ad eam ineundam duos Archiepiscopos Constantinopolim miserit: nisi quod morte (1866) praeoccupatus, optato suscepti consilii effectu caruit.

Ad normam moris antiqui Episcopi omnes qui Patriarchae suberant, die 14 Septembris Bzumar in Monte Libano convenerunt, pro successore deligendo. Aderat inter Electores, ut partes ageret S. Sedis Illmus. Dominus Valerga Patriarcha Hierosolymitanus, et Apostolicus delegatus in Syria: atque in locum defuncti Patriarchae Catholicòs Ciliciensis subrogatus fuit unanimi suffragio Illmus. Dominus Antonius Hassun, Primas Constantinopolitanus: condita sunt etiam in eodem conventu capitula quaedam praeliminaria, quae essent basis futurae unionis inter utramque Sedem constituendae, prout constat ex Epistola Synodali cui subscripsere omnes Capitulares, necnon ex allocutione Pontificia in secreto Consistorio habita et ex Bulla „Reversurus“. (Appendix. XII.)

Res adeo gravis serio, ac prudenti examini committenda erat: hoc autem rite praemisso, prodiit finalis decisio S. Sedis, uno tantum anno post Capituli, seu Diaetae electoralis celebrationem. Ex citata Bulla

„Reversurus“ discimus, quaenam a Romano Pontifice constituta fuerint pro feliciori statu ac meliori dispositione Ecclesiae Armenae. I. Decreta scilicet, et confirmata unio utriusque sedis Patriarchalis et Primatialis. II. Ratihabita methodus in electione Patriarchae servari solita. III. Quod attinet ad electionem Episcoporum, lex a Romano Pontifice lata pro Sede Primatiali tantum, fuit etiam ad omnem Patriarchatum extensa, nempe ut ab eodem Patriarcha et episcopis congregatis tres idonei ecclesiastici proponantur S. Sedi etc. IV. Patriarchae insuper onus injunctum veniendi quinto quoque anno ad limina Apostolorum. V. Eidem adempta facultas distrahendi, aut quovis modo alienandi bona ecclesiastica Patriarchatus. VI. Praecepta denique formula juramenti a Patriarcha emittendi, quae autem postremo loco praecipiuntur, jamdiu a praeteritis Patriarchis exacte observari solebant.

Eodem tempore, nuper electus Patriarcha, eique subjecti episcopi fere omnes Romam versabantur causa celebrandae centenariae solemnitatis ad honorem Principis Apostolorum, lucrandique Jubilaei indulgentias. Hi omnes pleni spiritu concordiae, et obedientiae, praefatam Bullam cum praescriptionibus in ea contentis alacri corde susceperunt. Electus Patriarcha publice ac solemni apparatu, Pallium de manu Pontificis accepit, Eodemque praesente jusjurandum juxta praescriptam formulam emisit (1867 Jul. 15). Talis fuit publicatio, et acceptatio Bullae „Reversurus“. Hisce expletis novus Patriarcha, qui sibi Petri IX nomen imposuit, Constantinopolim reversurus (an. 1867 Aug.), summo gregis plausu, laetitia, ac veneratione pari exceptus est. Paulo post peracta fuit caeremonia benedictionis Patriarchalis in Ecclesia Cathedrali S. Mariae, cui omnes episcopi interfuerunt.

Ad laetitiae augmentum accessit, ut Roma in Ecclesiam Cathedralem Constantinopolitanam comportarentur quaedam reliquiae S. P. Gregorii Illuminatoris [1]), in arca praediviti asservatae, insigne munus invicti Pontificis Pii IX, qui praedecessorum vestigiis insistens summa benevolentia, et charitate semper Armenos Catholicos prosecutus est. Celsissimus Imperator Othomanicus de Patriarchae electione tantopere gratulatus est, ut eum imperiali diplomate (Berat) honestaverit.

Laetissimus hic rerum cursus, ut fere evenit non admodum perduravit. Latebant enim in factionum sinu, et fovebantur ambitione, et praejudiciis plurium ecclesiasticorum, etiam monasticam vitam profitentium, dissidiorum ignes, qui paulatim incendium pepererunt. Praedicti zizaniorum satores, praeeuntibus nonnullis Episcopis, fidelibus persuadere conati sunt, ut Patriarchae obedientiam detractarent, et quod culmen est temeritatis, memoratam Pontificis Bullam despicerent, quaeque in ea salubriter constituta sunt, aversarentur. Itaque primo quidem instabiles plebis animos in ipsa urbe Constantinopolitana ad iram, livorem, contemptum provocare coeperunt adversus Patriarcham, quem suis consiliis infensum probe noverant, atque eo usque progressi sunt, ut eum accusarent, tamquam insidiarum apud Romanam Sedem arteficem, proditorem jurium nationalium circa Episcoporum electionem, potestatisque denique patriarchico-civilis injustum invasorem. Verum cum haec frustranea comperissent, ad eum e sua sede pellendum, magis in furorem acti, hanc moliti sunt fraudem, ac fallaciam, quae familiaris est haereticis, ut se nimirum catholicos orientales pleno gutture praedicarent, simulque, parvo compacto schismaticorum coetu, in Supremum Ecclesiae Caput insurgerent,

[1]) De lipsanis S. Gregorii vide notitias historicas in Append. XIV.

ajentes se quidem agnoscere, et recipere ejus dogmaticas definitiones, in ceteris vero nullatenus ei obtemperaturos, quod Romani Pontificis jussa orientales fideles minime afficere valeant. Huic haereticae subtilitati innixi, quae si admitteretur, corrueret Ecclesiae Regimen, et suprema jurisdictio Romano Pontifici divinitus attributa, omnes leges ab eo latas sive disciplinares, sive liturgicas respuebant. Neque in hoc se continuit paucorum schismaticorum factio, quin nefanda rabie exagitati, ducibus, et flagitii auctoribus quibusdam hominibus ecclesiasticis, irruerunt in templa catholicorum, eaque per vim occuparunt. Romanus Pontifex, re cognita, illico studuit qua monitis, qua comminationibus perduelles ab incepto deterrere, et ad humanitatem, et obedientiam revocare: sed cum ejus curas contemni animadverterit, in mandatis dedit Delegato suo, ut ultra quadraginta sacerdotes ex utroque clero a sacrorum exercitio suspenderet. Cum vero schismatici in sua caecitate, et obstinatione persisterent, amantissimus Pontifex Apostolicas litteras dedit die 20 Mai 1870, in quibus lenitas ita erat severitati conjuncta, ut rebellium pertinaciam vel emolliret, vel infringeret. Quod ut pateat, pauca ex his decerpere liceat.

„Qui tamen (dissidentes) ita mulctati fuerant, non modo nihil de contumacia sua remiserunt, sed poenam ipsam convertentes in atrocius facinus, et gravius aliorum scandalum, impudenterque contemnentes Ecclesiae auctoritatem et leges, palam et etiam solemniore ritu omnia sacri ministerii munia sibi vetita obire perrexerunt. Quo in crimine summopere dolemus, saecularibus aliquot sacerdotibus accessisse, ex Monachis Constantinopoli degentibus, fere omnes Mechitharistas Venetae Congregationis, universosque Monachos Antonianos: nec ab istorum ingenio admodum discrepasse, qui hanc Nostram incolunt urbem. Hi enim

non modo restiterunt visitationi Apostolicae eorum domus a Nobis demandatae, sicuti fratres eorum in Oriente, pluriesque priorem et alterum electum Visitatorem rejecerunt; sed omnes nulla petita venia, se subduxerunt Nobis. Quos inter etiam Venerabilis Frater Placidus Kasangian, qui Antiochenae Ecclesiae titulo consecratus Congregationi toti jam praefuerat, immemor profecto muneris sui et censurarum Episcopos urgentium, qui, non impetrata Pontificia venia Concilium deserant, discessit.

Verum ipsa rebellium pervicacia, artesque ad concitandos animos adhibitae pretiosiorem Nobis faciunt et jucundiorem plurimorum firmitatem, qui nec insidiis, nec blanditiis, nec minis ab obsequio Nostrae, legitimaeque auctoritati debito se abduci siverunt. Quos inter commendandos nominatim censemus Mechitharistas Vindobonensis Congregationis, qui deploranda aliorum defectione minime labefactati immoti perstiterunt in officio. Haec vero tot piorum constantia in tanto discrimine merito Nobis spem facit, vos, Dilectos Filios, humano quovis respectu posthabito strenue sectaturos esse nobilia patrum vestrorum vestigia, qui fidem suam fluxis hisce praeferentes, exilium potius et aspera quaeque pertulerunt alacriter, quam infirmari paterentur conjunctionis suae vincula cum hoc unitatis catholicae centro, aut quidquam detrahi de veneratione, qua documenta, regulasque prosequebantur ab ista veritatis magistra propositas. Id autem securius etiam expectamus a fide vestra, quod experti noveritis quanta sollicitudine, quantoque studio Sancta ista Sedes gentis vestrae commodis, incremento et honori perspicere curaverit sive a vobis avertendo schismaticorum insectationes, sive comparando vobis libertatem cultus, sive subducendo vos a jugo schismaticorum Patriarcharum, sive Primatialem Sedem

Constantinopoli constituendo, quae, addictis ei primum suffraganeis Ecclesiis, demum per conjunctionem ejus cum Patriarchatu Ciliciae decorata fuit Patriarchae commoratione. Ita ut quocumque intendatis oculos conspicere debeatis, vigorem, libertatem, decus, quibus fruimini, accepta potissimum esse referenda studio in vos et affectui hujus S. Sedis; vestrumque propterea interesse, ne ab illa ullo modo desciscatis.

Nec decipi patiamini a rebellium artibus qui, ut vos ad se facilius pertrahant, passim asseverant, se sua agendi ratione, nec a fide et observantia Nobis debita, nec a catholicorum officio deficere; isti enim factis negant, quod verbis confitentur. Et sane qui praefracte detrectant et contemnunt auctoritatem Successorum Petri, in quibus perpetuo vivit, et eorum, qui sibi ab illis praepositi fuerunt, facto suo primatum illum inficiantur honoris simul et jurisdictionis in universam Ecclesiam, quem Christus Petro contulit, dum pascendi non minus agnos, quam oves totius gregis sui, seu regendi Ecclesiam, qua late patet in orbe toto, munus ei commisit. Jam vero in hoc plane censu apud vos habendi sunt illi, qui et legitimi Patriarchae vestri, et ejus, qui pro ipso Vicaria potestate fungitur, auctoritatem despexerunt: qui neglexerunt, aut recipere recusarunt istius sententias; qui eo pervenerunt, ut legitimam illius electionem, ut ut rite peractam et confirmatam a Nobis, revocarent in dubium; qui restiterunt Delegato Nostro . . . . "

Verumtamen errantes, et in errorem mittentes communis Pastoris vocibus aures occluserunt: quae incredibilis obduratio permovit Apostolicum Delegatum, ut extremo malo extrema apponeret remedia, summique Pontificis nomine, et auctoritate in quatuor Episcopos, quadraginta-quinque Sacerdotes,

eorumque adhaerentes, et fautores sententiam excommunicationis edixit.“ [1])

Perturbatores ecclesiastici ordinis inde magis insaniendi occasionem sumentes, unde sanari debuerant, exarserunt ulciscendi libidine: quam cum in Romanum Pontificem explere non possent, totam in Patriarcham Antonium Petrum IX effuderunt, nullam fuisse declarantes illius electionem, cui ipsimet unanimi calculo suffragati fuerant, eique suffecerunt, schismatis sui consortem Episcopum Diarbekirien-sem anathemate perculsum Patriarcham et alios quatuor sacerdotes censuris pariter innodatos Episcopos consecrarunt. Neque hic finis eorum sceleri: siquidem a Gubernio Othomanico patriarcham civilem impetrarunt, ut catholicos non modo in rebus civilibus, verum etiam in negotio religionis obnoxios haberent: atque ad illud munus excommunicatum Kupelian elegerunt. Sanctissimus Pontifex talium factorum iniquitatem, et atrocitatem conspiciens, nedum ea in suis Epistolis encyclicis exposuit, sed malo occurrere decrevit: misitque Constantinopolim viros dignitate, ac prudentia spectatissimos cum munere, ac potestate negotium cum gubernio Othomanico expediendi: et felix sane sperabatur exitus, nisi inopinatus casus repente superveniens obstitisset. Quamobrem perversi homines in majorem audaciam elati effecerant, ut lata in legitimum Patriarcham Antonium Petrum IX. Hassun lege ministeriali, a toto territorio Othomanico exul abiret. Proscriptus Patriarcha, Romam confugit, protectionem et validam opem Summi Pastoris recepit. Post aliquos annos licuit Patriarchae in suam sedem reverti. Interim hostes Patriae, et religionis, expulso Pastore, gregis exitium sibi pollicebantur, sed impiorum spes, Deo adjuvante, peribit. Catholicos namque Armenos minime latet foeda

[1]) Consule Appendicem XIII.

schismaticorum versutia, nec unquam committent, ut se pascendos tradant adulteris et mercenariis, quorum finis interitus. Si quos vident ad schismaticorum partes accedere non ideo commoventur: sciunt enim hujusmodi exeuntes ex nobis, non fuisse ex nobis: si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum.[1]) Erant in corpore Ecclesiae, sicut in corpore humano sunt humores mali. Parati sunt Armeni catholici aerumnas, calamitates, bonorum et vitae jacturam pati, dummodo maneant in fundamento fidei, et in radice charitatis Idcirco libenter audiunt illas B. Petri Principis Apostolorum voces[2]). „Modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus, ut probatio vestrae fidei, multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, inveniatur in laudem, et gloriam, et honorem in revelatione Jesu Christi.“ Et eorum quisque legitimum Pastorem prosecutus, illi animo adhaeret, illi fidem et obedientiam servat, et cum illo repetit Romano Pontifici: „Ego Beatitudini tuae, idest Cathedrae Petri, communione consocior: super illam petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Noe Arca non fuerit peribit regnante diluvio. Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum; *quicumque tecum non colligit, spargit*“[3]).

CONCLUSIO.

His breviter narratis jam cuique legenti patet, quaenam fuerint initia progressus, et vicissitudines Ecclesiae Armenae usque ad nostra tempora. Vidimus nempe ejus origines, cum ipsius Christianismi, atque Ecclesiae Romanae primordiis conjuncta, ac per illa

[1]) I. Joh. II. 19.
[2]) I. Petr. I. 7.
[3]) S. Hier. Ep. 15. ad Damas. al. 57. ed. Valarsi.

priora felicissima tempora, cum aliena dogmata nondum agro fidei injecta erant, neque inter salubria religionis pascua ulla perniciosa zizania succreverant, late per Armeniam floruisse integram pietatem, disciplinae vigorem, atque e radice impollutae fidei mores optimos, exquisitamque virtutum sobolem prodiisse. Vidimus S. Gregorium Illuminatorem Romanam Sedem „Ecclesiae Catholicae radicem, et matricem [1])“ — „unde in omnes venerandae communionis jura dimanant“ [2]) petiisse. Romanoque Pontifici a quo pastorale officium potestatemque receperat, totam Armeniam in semetipso obtulisse, ut solidiori unitatis vinculo membrum capiti necteretur. „Exinde, et quousque Armenia nostra super petram unitatis Ecclesiae constabilita permansit, fructus ex se ditissimos Deo proferebat, et ubique altaria Domini consurgebant veluti astra coeli, quae prae multitudine numerari non possunt“ [3]).

At vero postquam Armeni a centro fidei recedentes Concilium Oecumenicum Chalcedonense, et Epistolam dogmaticam Romani Pontificis rejicere, malo eorum fato, ausi sunt, ex eo tempore, et deinceps tamquam parvuli fluctuantes circumferebantur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris „[4]): donec Sancti Praesules a Deo excitati, velut periti navarchi, Romani sideris ductum sequentes. naviculam ventis, et fluctibus huc illuc jactatam et ita perculsam, ut penitus periclitaretur conteri, in tutum fidei portum reduxerunt. Talis fuit retroactis temporibus anceps reipublicae Christianae conditio in Armenia. Ex una parte homines flagitiosi, qui nudum Christi nomen tenentes, „verbis profitentes se nosse Deum, factis autem

1) S. Cypr. Ep. 45. ad. Corn. R. P.
2) S. Ambros. Ep. I. ad. Grat. Imp.
3) S. Nerses Lampronen. Orat. Synod.
4) Eph. c. IV. v. 14.

negantes“ (Tit. I. 16), in Catholicos insanire, furere debachari: ex alia grex Catholicorum antiquam fidei regulam cum bonorum vitaeque jactura protueri, et adversariorum tela obiecto patientiae clypeo retundere. Persequentium saevitia in profectum cessit Ecclesiae, et fides durissimo exercitata certamine ad Christi gloriam, aliorumque exemplum eluxit. Illud presso vestigio imitati Catholici Armeni nostrorum temporum impavido corde sustinent novae persecutionis ictus: cujus asperitatem saepe Sanctissimus Pater Pius Papa IX, in suis litteris encyclicis expositis malis, quibus Ecclesia Constantinopolitana a pravis hominibus vexatur, nostrarum rerum miseratus, opem ac remedium affere cupit; nec est dubitandum quin Salvatoris nostri Jesu Christi gratia adsit Vicario suo ut ad optatum exitum conatus suos perducat, adsit et catholicis Armenis ut immobiles in fide perseverent; adsit denique omni Armeniorum Ecclesiae, ut pacem, ac tranquilitatem sedatis turbis recipiat.

APPENDICES

APPENDIX I.

Canones S. Isaac Patriarchae (426).

I. Episcopus est Pastor, et Pater omnium suae dioeceseos fidelium: debet idcirco gregis sibi commissi, Clerique sui sine personarum acceptione curam gerere. Ipsius erit praelatos, ac visitatores in provinciis, ac ruribus constituere qui Chorepiscopi nominantur . . . . Sacerdotes imprimis solemne habeant, sanctum Altare, ut receptaculum Dei viventis venerari: in eo siquidem mysterium vivificum Domini Nostri Jesu Christi peragitur. Illud apte, ac decenter exornent, eique impositis luminibus jugiter accensis, thus adoleant; parique honore prosequantur salutiferum fontem baptismatis, in quo regenerati, ac renovati sumus secundum divinam nostram vocationem in spem vitae aeternae.

II. Nemo id operis committat, militibus, ac rudibus, sed ne consanquineis quidem, ut suo, eorumque ingenio obsecundet. Nefas quippe est in his negotiis carnem respicere, aut sanguinem, ajente Domino Luc. VIII. 21. „Mater mea, et fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt et faciunt.“

III. Mos alternatim psallendi ad normam Cathedralium Patriarchae (i. e. Principis Pastorum, prout vocabulum Armenum sonat) diu noctuque servetur. Id etiam fieri praecipiat Chorepiscopus Visitator in omnibus Ecclesiis quibus praest. Si quos negligentes in officio deprehenderit, eos in doctrina et in exhortatione moneat, et arguat, vel etiam publicis poenis subjiciat, ut alii salutari timore concutiantur.

IV. In his locis, ubi juxta canonicas sanctiones coetus habentur, expedit, ut Chorepiscopus, Ecclesiae suae curae concreditas oves diligenter invisat: de agendi ratione fidelium inquirat, et num rite ab omnibus Deo serviatur. Rationem insuper exigat a Presbyteris, et Diaconis de canonica verbi Dei praedicatione, de precibus oblatis, de perfecta idoneitate baptizantium, de recta celebratione, et administratione Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti. Quisquis in harum mirabilium traditionum observantia torpescere, vel deficere inventus fuerit, graviter puniatur, et honore suo careat, donec Magistro suo reconcilietur.

V. Non modo Presbyteri, et Diaconi in Dei servitio permaneant, sed etiam Clerici. . . . Rudes ac milites omnino excludantur a gratia, idest muneribus, quae a populo in Domo Dei offeruntur. Contentiosi etiam, seque inebriantes sejuncti maneant, donec per poenitentiam ad meliorem frugem revertantur.

VI. Nati ex illicito concubitu, vel ex altero conjugio, juxta priscorum canonum praescripta, usque ad tertiam generationem, ab ordine, et gratia, idest piis fidelium oblationibus arceantur.

VII. Ad Chorepiscopum pertinet, omnia praedicta reverenter, cauteque disponere, et constituere: ad gradus, et honores sacros, habiles, et cordatos promovere: malos coercere poenis eos praesertim, qui a sacris studiis abhorrent: qui enim scientiam repellunt, juxta Scripturam [1]) a Deo repelluntur. Quapropter Chorepiscopus sedulo invigilet, ut in Monasteriis aliisque locis convenienter ad studia deputatis, juventus debito ordine litteras, ac scientias ediscat, quo ipsa, divinorum mandatorum splendore percepto, alios illuminare valeat. Quod si Chorepiscopus his posthabitis, tributa nihilominus exigat, de nulla re nisi de pecunia congerenda sollicitus, ipse reus erit, et de manu ejus aliorum sanguis exquiretur.

1) Osee IV. 6.

VIII. Dum Baptismus administratur, non audeant mulieres prope Sacerdotem consistere, et simul baptizare, quod nonnullae petulantius facere solent, sed in locis sibi adsignatis orent.

IX. Diaconis baptizare non permittitur; quod si id praesumpserint, gradum amittant, aliisque poenis obnoxii sint: neque enim Diaconus Sacerdos est, sed Sacerdotis administer.

X. Primitiae a fidelibus oblatae, domum Sacerdotis principalis (Archipresbyteri) deferantur, eique cedant: ejus fratres etsi natu majores, ejusque socii, quamvis Sacerdotes, non audeant eas attingere, suasque domos recipere.

XI. Sacerdos principalis (Archipresbyter) toto aestivo tempore in propria Ecclesia resideat: sociosque adjutores habeat, alternis vicibus, singulos in unaqualibet hebdomada, ne unquam sacra officia intermittantur. Archipresbytero, utpote qui Ecclesiae laboribus continuo destinetur, e tribus oblatorum partibus duplex obveniat, si satis amplum sit oppidum.

XII. Omnes Sacerdotes, qui nostrae jurisdictioni subjacent, oleum Baptismatis conficiendi ad nos afferant quod a nobis benedicendum est, non a singulis in suis domibns, prout a nonnullis insipienter fit: talis enim facultas non competit presbyteris, sed praecipuis Archiepiscopis (id est Patriarchis).

XIII. Ad nostras pervenit aures, sacra utensilia in usus prophanos converti, ac praesertim velarium pro nuptiali conopaeo usurpari, et sacros calices compotationibus militum deservire. Presbyteri qui abusum fovent, e suo gradu sine spe veniae pellantur.

XIV. Qui haereditario funguntur Sacerdotio, cum populi directionem sortiuntur caveant, ne saecularibus negotiis implicentur. Principum, ac nobilium liberos educandos minime suscipiant, neque eorum rem familiarem administrent: id enim sociis grave est et permolestium. Si quis dehinc, in hanc culpam, quae multos inficit, inciderit, ab exercitio sui ordinis suspensionem incurrat.

XV. Presbyteris, eorumque uxoribus non liceat post hac sibi in sacris aedibus, vel prope Ecclesiam sepulturam parare: sed populo, et ipsimet Sacerdotibus inhumandis, commune sit sepulchrum.

XVI. Ne audeant Sacerdotes Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum extra Ecclesiam ad privatos deferre, et administrare praeter casum infirmitatis.

XVII. Intimetur fidelibus, ne pueri, vel adulti sponsalia ineant, quin se praesentes mutuo probaverint, et consensum praestiterint: et vos, Sacerdotes, ne audeatis coronae nuptiali (nempe matrimonio) puerorum benedicere, donec adultam non attigerint aetatem: sed neque adultis coronam nuptialem imponatis, quin prius scrutati fueritis, an se mutuo deligant, an se bene noverint, et num forte parentes, metu incusso, ad consensum adegerint. Si quis Sacerdos contra hanc nostram praescriptionem coronae nuptiali benedixerit, sciat se ut reum perniciosum puniendum, et parentes non impune futuros.

XVIII. Sacerdotes, operam dent unanimes divinis officiis, et Agapum oblationi, quam Evangelica lectio praecedere debet. Si quis ex ipsis gutture laboraverit (non sit perfecte jejunus) ad mensam non accedat, sed oblata dividantur inter socios. Conterranei qui ad Agapes invitantur, functioni intersint, et oblatorum partem sumant. Ante functionem ab omni esu, vel potu abstineant, quod si aliquid domi suae manducaverint, vel biberint, non accedant ad mensam, neque fruantur oblatis.

(Omittimus alias regulas, et praescriptiones, quae respiciunt Agapes et alias oblationes fructuum, vel animalium, quae tunc fiebant in Ecclesiis et Monasteriis).

XIX. Comessationes funebres omnino prohibentur: non edantur gemitus, et ululatus supra defunctos: hi siquidem mores diaboli sunt inventa.

XX. Docete populos fugere omnem licentiam, ingluviem, ebrietatem, dissensiones: ne pauperes divexent, et opprimant: ne sint ad invicem litigiosi, percussores, invidi;

ut fornicarios, adulteros, latrones, sicarios detestentur, neque cum illis communicent, neque hospitio eos recipiant, ne communicantes operibus eorum malignis, efficiantur et ipsi filii perditionis. Docete ut filiorum instructionem sollicite curent, utque eos aeducent in timore Domini et in custodia mandatorum suorum.

XXI. Vos etiam, Monachi, et quotquot estis vitam religiosam amplexi, mementote omnia vos terrena commoda contempsisse, ut soli Deo, rebusque Divinis vacaretis. Vocationi vestrae, et nomini opera apprime respondeant. Studete modestiae, silentio, pietati, ita ut in vestro habitu, et vestris actibus resplendeat hospitalitas, et charitas fraternitatis, et angelicam quamdam probitatis formam praeferatis.

APPENDIX II.

Canones Synodi Dovinensis (719).

I. Episcopus, vel Sacerdos vel Diaconus, vel quisquis fuerit de Ecclesiae Clero, in ebrietate deprehensus, non praesumat ordinem exercere; donec se ipsum, diebus aliquot interjectis, poenitentia, jejuniis, et orationibus purgaverit, ac deinde ei liceat ad ministerium suum et ad communionem accedere: sin autem pervicax in eadem intemperantia immoratus fuerit, deponatur.

II. Laicus quisque id faciens, non audeat sine contritione, et poenitentia communionem sumere; sin vero in eadem luxuriae permanens processerit, excommunicetur.

III. Non licet in die Sabbati, sive Luminum Paschatis coronam imponere: quoniam sancti resurrectionis dies praesto sunt, in quibus oportet orare, et vigilare, atque spiritualibus ordinibus seipsum solari, non vero carnali luxu sanctorum dierum mysterium spernere, ac conculcare. Quod si quis id fecisse deprehendatur, Coronatio invalida sit, et coronatores sub poenis sint, donec poenitentiam egerint; idque aspiciens Episcopus, utcumque voluerit, humaniter se gerat cum illis.

IV. Non licet, dum in crastino coronandi fuerint, vespere coetum agere, inebriari, ac luxui incumbere, sed cum honestate et oratione dignos sese efficere Coronae benedictione divinaque Communione. Sin autem quis deprehendatur id fecisse, Sacerdos commutet diem, et, sicut diximus, alio die praecipiat diligenter, ac condigno more coronari, et communicari Eucharistiae.

V. Non licet in sacra Quadragesima Paschae usque ad sanctam Pentecosten nuptias peragere atque dierum mysterium inhonorare; cuncti namque dies Dominici sunt, et in eis divinum sacramentum celebratur.

VI. Decet in sacra jejuniorum Quadragesima in die Sabbati et in Dominica missam celebrare cum timore et reverentia, juxta Sanctorum Patrum in cunctis conciliis suis constitutionem. Si quis vero reluctans mandato nostro adversatus fuerit sive verbo sive factis, si clericus fuerit, deponatur, si laicus, excommunicetur.

VII. De observando autem, aut solvendo Sabbato ac Dominica in sancta jejuniorum Quadragesima, voluntati uniuscujusque facultas sit: dummodo gratias Deo agens, sine scrupulo, et contradictione, et sine proximi detractione, quod voluerit, honeste fecerit: utrumque acceptum est coram Deo, et ex Ecclesiae Christi traditione.

VIII. Congruum est et panem azymum, et vinum purum offerre ad sanctum Altare, juxta S. Gregorii penes nos traditionem, non autem ad aliarum Gentium Christianarum traditiones deflectere. Nam Sanctus Illuminator ex legalibus id assumens, tamquam Apostolus dioecesanis suis praeceptum dedit perficiendum. Quemadmodum et sal benedictum in Agaparum mactatione commiscere; atque juxtam levitarum ordinem in tribubus servare, propriam Ecclesiae gratiam. Nos quoque in eodem perseverare, haud vero ab eo recedere, novitatemque inducere oportet.

IX. Decet et congruum est, sanctum *Myronem*[1]) oleum videlicet suavis odoris Patriarcham benedicere, et unumquemque Episcopum semel in quinta Paschatis Feria, quemadmodum praeceptum est; Sacerdotes autem ab eis recipere, atque illo inungere Altaria, et Ecclesias, et Cruces, et pro baptizatis adhibere dumtaxat ad adoptionis unctionem, quae post baptismum fit; minime autem ad alium unctionis usum illud commiscent, neque illud ipsemet Sacerdos audeat benedicere.

[1]) Sanctum chrisma.

X. Decet et congruum est, baptismatis oleum Sacerdotem benedicere pro singulis baptizandis, quantum satis fuerit ad usum praesentem, eoque pro baptizatis adhibito, illico absumere. Neque audeat semel benedictum iterum benedicere: illo autem ungere dumtaxat cathechumenos et baptizatos quum in lavacro baptizantur; neque ad aliud unctionis Sacramentum eodem uti praesumat.

XI. Aequum est, ut Infirmorum oleum Sacerdos benedicat secundum orationem suam, idque prout sufficerit ad illius horae usum.

XII. Altare super quod Christi Sacrificium offertur non licet ligneum mobileque construere, sed lapideum, et immobile aedificare. Quod si quis adversaretur, nec fecerit juxta mandatum nostrum, et juxta Catholicae Ecclesiae praxim, Episcopus ipse a sua dignitate deponatur, Altare autem contemptum et frustraneum maneat.

XIII. Baptisterium non est ex quavis materia extruendum, nec ubicumque placuerit: Sed fons lapideus statuatur in ipsa Ecclesia, aut prope Ecclesiam ipsam in baptismi loco.

XIV. Manus impositionem super Cathechumenos et unctionem, et professionem ad baptisterii portas peragere oportet, ac deinde eos introducere ubi Fons est, atque baptizare.

XV. Coronandos debet Sacerdos ad Ecclesiam perducere; et super eos perficiat ritum et canonem juxta Christianorum legem, et ibidem in sanctitatis loco eos coronet: quia in eodem loco decet esse coronam, et eum, qui coronam accessit. Si quis autem ita non egerit; sed utcumque fuerit, sua pervicacia atque socordia Matrimonii legem ac ritum contempserit; Sacerdos a sua dignitate deponatur, coronatos vero oportet iterum juxta Christianorum legem coronari: quemadmodum et Apostolus praecepit: *Omnia vestra, honeste, et secundum ordinem fiant.*

XVI. Ad secundas nuptias accedentes item oportet, juxta priorem modum, per mediatores, desponsatoresque

suadere ad mutuam adhaesionem et per ecclesiae ac sacerdotum benedictionem accipere legitimi conjugii signaculum. Si qui vero ita non fecerint, sed concupiscentia prius exarserint ad invicem fuerintque polluti, hi dividantur ac subjiciantur canonibus statisque contra moechantes disciplinis. Sin autem invicem dividi noluerint, post decem poenitentiae annos, per eleemosynas et lacrimas fiant digni, qui in Ecclesiam Dei recenseantur.

XVII. Oportet vespere dici Sabbati agere Martyrum officium: et genua nequaquam flectere: atque recitare *Luminum* hymnum: *Lux hilaris.*

XVIII. Convenit nocturnum officium usque mane Dominicae peragere; atque vigiliis, precibus, et stando, per vigilantiam delere transactae hebdomadae delicta: seque dignum reddere propitio ac vivifico Sacramento; atque omni alacritate et diligentia expectare tubam in adventu Domini buccinantem, atque ineffabile regnum aeternum.

XIX. Oportet ad vesperas et ad matutinum, integro expleto officio, decantare: *Sanctus Deus*; et ad Vesperas deinde subjungere *Requiei* Psalmum; mane autem *Solis ortus* Psalmum. Quando vero Missa celebratur sub officii initio moduletur *Sanctus Deus.* Cujus rei sensum in ipsa praefatione firmissime demostravimus.

XX. Oportet, ea verba: *Qui crucifixus es*, ter subjungere juxta triplicem Trisagii repetitionem; non autem mutilare; nec imminutum reperiri in Crucis Christi gratia.

XXI. Aequum est in nocte, cum congregantur ad officium, primum praefationis loco dicere quatuor Psalmos unanimiter humili voce currenti: prius Psalmum II.; secundo, Psalmum LXXXVII.; tertio, Psalmum CII.; quarto, Psalmum CXLII.; atque subjungere eorum praeconia, et orationes, quas eadem mente fecit beatus Joannes Mantacunensis Armeniorum Catholicus. Praeconium est: *Expergefacti;* Oratio: *Tibi gratias agimus;* ejus autem Requies; *Respice Domine, misericordia tua.*

XXII. Matutinum officium omnes debent similiter uno eodemque ordine peragere; sic enim decet Christi amatores, qui ejusdem linguae ac gentis sunt, unanimiter glorificare Deum, rectosque componere mores; siquidem scriptum est de Sanctis Apostolis: *Omnes erant perseverantes unanimiter in oratione.* Ergo post *Patrum* hymnum et *Miserere* et *Laudate Dominum de coelis,* oportet decantare, *Gloria in excelsis.* Deinde juxta unumquemque diem antiphonas ex Psalmis desumptas; Feria II. *Illumina, Domine, oculos meos:* Feria III. *Apud te, Domine est fons vitae:* Feria IV. *Ego dixi Domine, miserere mei:* Feria V. *Ego ad te, Domine clamavi.* Feria VI. *Intret oratio mea in conspectu tuo, Domine.* Sabbato, *Emitte, Domine, lucem tuam.* Post praeconium autem, et Orationem (oportet) Trisagii glorificationem decantare una cum antiphona ad sanctam Dei Genitricem: postea *Ortus Solis* Psalmos chorali voce elata recitare.

XXIII. Item et Vespertinum similiter ad invicem hoc eodem ordine ac modo peragere. Primum recitare Psalmum *Inclina,* alternando juxta Choros; quem beatus Nerses Armeniorum Catholicus addidit; ut principium omnium reclamationis Psalmorum agatur ab oratione; iste namque Psalmus oratio est David, sicut ex titulo eruitur. Post illum: Conserva, singillatim tres psalmi continuo secundum choros alternantur. Postquam autem *Melodia* et *Dirigatur* dicta fuerint, praeconium et oratio fiat; deinde Trisagium cantetur eodem modo; ut finis autem totius officii Requiei Psalmus dicatur, alternis vicibus respondendo.

XXIV. Porro matutinum diei Dominicae suum habet ordinem hoc consilio dispositum. Post *Patrum, Magnificat* dicatur; oportet namque eum, qui resurrectionem Christi celebrat, sepulcrum quoque una cum illa ac sanctam Virginem commemorare. Nisi enim natus fuisset, fieri non poterat, ut sepeliretur; nisi autem fuisset sepultus, neque resurrexisset. Idcirco quemadmodum sepulcri in Evangelio lecto fit

mentio, ita et Sanctissimam Virginem, *Magnificat* recitando, commemoramus. Nam sicut Salvatorem exceperunt adinvicem Resurrectio a Sepulcro, sepulcrum autem ab utero; item quoque adinvicem sibi esse debent testimonio propter resurgentem: haecque est vera incarnationis, et mortis Christi confessio. Verumtamen a Nativitate ad resurrectionem consequenter uniuntur; a resurreetione vero ad nativitatem retroire impossibile est. Etenim fieri nequit ut de iis, quae nondum Christus peregit, historia recolatur. Quamobrem Annuntiatio quoque, et Nativitas, et Baptismus Christi conjunctim celebrantur: haec omnia porro, sicut et caetera Christi acta, in resurrectione unita comprehenduntur. Haec sane dicendo *Magnificat* in Dominicae die, matutino. Post illud autem, antequam evangelium legamus, tamquam si Christum, adhuc in sepulcro esse arbitraremuri foris clamamus ad eum erga sepulcrum, dicentis: *Exurge, Domine, adjuva nos et libera nos; et: Deus exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei; et Regnabit Dominus in aeternum.* Verum post evangelii lectionem tamquam si ipsiusmet resurrectionem illico in nobis cum evangelico verbo exciperemus, nobis invicem jussum damus inquientes: *In noctibus extollite manus vestras in sancta, et benedicite Dominum:* quippe quod exaudiat orationem nostram, resurrexit, et auxiliatus est nobis, eripiens nos de morte, regnansque super universum orbem in sempiternum. Noctem tamen haud *(noctis)* tempus dumtaxat, sed potius judaicam incredulitatem nuncupamus, quae obscurissimarum similitudinem tenebrarum procul dubio praesefert, juxta celebre Isaiae effatum: *Anima mea desideravit in nocte vigilare de mane ad te, Deus;* hoc est in medio impiorum audeo, te Deum venerari. Haec itaque hoc modo; hocque modo ordinem prosequendo decet post hymnum. *Gloria in exelsis,* resurrectionem repetere. Porro *Sanctus Deus* cum sanctae Deiparare commemoratione ad finem transferatur, quemadmodum et aliis diebus, juxta exhibitam rationem. Post omnia vero *Ortus solis* psalmus cantetur,

quem: *Sit nomen Domini*, dicere caeperunt temporibus Esdrae catholici.

XXV. Oportet in nocturno officio post canones subjungere quatuor haec praeconia: *Pro superna pace; Ut die ac nocte; ut diligantur gressus nostri; ut inveniamus gratiam;* quae eadem de causa composuit S. Isaac Armeniorum catholicus; sicut et pro quolibet sequentes orationes cum requiebus suis. *Domine Deus sempiterne*, requies: *Largitor bonorum. Nocte et die*, requies: *Pastor bone. Procidus coram te*, requies: *Tuae omnipotenti dominationi.* Postrema autem: *Benedictus es, Domine Deus noster, qui nos quoque peccatores dignos fecisti, qui te glorificemus. Suscipe benigne et clemens Domine, omnium nostrum supplicationes, petitiones, confessiones, gratiarum actiones, et largire cunctis nobis copiosam tuam misericordiam, et miserationem. Ne derelinquas, Domine populum tuum, neque despicias nos usque in finem propter nomen tuum. Non secundum peccata facias nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis; sed fac nobiscum misericordiam tuam in mille et decem millia. Eripe nos ab omni laqueo diaboli, et transfer nos in regnum Unigeniti tui Domini Jesu Christi.*

Requies:

Tibi commendamus animas nostras, Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui habitas in excelsis, et humilia respicis in coelo, et in terra. Respice Domine, in orationem deprecationemque nostram. Ne frangas pactum tuum, neque ejicias nos ab haereditate tua, sed secundum copiosam beneficentiam tuam dignos fac nos servos tuos ineffabili luce caelestis regni tui, per Jesum Christum Dominum nostrum, quo cum te Patrem, et sanctum Spiritum decet.

XXVI. In die Epiphaniae perficere oportet aquae benedictionem super aquas convenienter in locis occurrentibus,

oleum in eam infundendo precibusque offerendo; et per id commemorare Salvatoris nostri pro nobis in Jordane baptismum; quemadmodum et in die adventus ramos tollere, et flexilia movere, imitantes quodamodo Hacbreorum pueros, qui exclamabant, ramosque offerebant; nam regionis quoque nostrae homines, cunctique Christiani per traditionem id tenent.

XXVII. Si quis Crucem ligneam, vel ex quavis materia, non exhibuerit Sacerdoti benedicendam, atque sancto Myrone liniendam; illa non est honore afficienda neque adoranda; caret namque omnino divina virtute, estque praeter apostolicae Ecclesiae traditionem.

XXVIII. Illas autem (Cruces), quae per benedictionem, et unctionem sanctificatae fuerint, quaeque divini mysterii fuerint instrumenta, honorare et colere, adorare et osculari oportet; in illis enim habitat Spiritus sanctus, et per illas dividit hominibus conservationes, et gratias curationum ab animarum corporumque infirmitatibus. Et si pro eisdem mori oportuerit per Ethnicorum manus, nemo sese subtrahat; ingens namque illum manet spes, et cum martyribus adnumerabitur.

XXIX. Non decet omnino cum haereticis indifferentem se se habere, nec illis communicare; sed eos vitare, neque cum illis spirituali, aut corporali mensa participare, ut erubescant, et cupiant cum orthodoxiae depositariis copulari.

XXX. Convenit in die Epiphaniae legere de baptismi serie Evangelium ex Matthaei capite. Per totam autem octavam alternare cum nativitatis Evangeliis Evangelia baptismatis congruum censeo: sicut enim solemnitas est utrique communis, communes debent esse lectiones, et officium.

XXXI. Consueverunt quidam, Dominicam diem usque ad prandium venerari, deinceps vero solvere diei mysterium. Quamobrem mandavimus, usque ad vesperam eadem veneratione diem honorare; abstinere ab operibus, atque ab itinere faciendo; ad vesperam autem minime genuflectere; atque resurrectionis memoriam colere.

XXXII. Neminem decet in pessimae obscoenorum hominum sectae locis, qui vocantur, Pauliciani, diversari, illisve adhaerere, aut eos colloqui, aut ad invicem visitari; sed ab illis omnino recedere, eos exsecrari, et odio prosequi: quoniam filii satanae sunt, aeternique ignis fomites, atque abalienati ab amore voluntatis Creatoris. Quod si quis adhaeserit, et dilectionem atque amicitiam cum eisdem fecerit, iste omnino puniendus est, gravique poena est plectendus, donec resipuerit, atque in fide convaluerit. Sin autem recidivus in id fuerit deprehensus, hunc praecipimus penitus excommunicari, et foras, ceu pestem, ex Ecclesiae Christi membris ejici, ne *radix amaritudinis rursum germinans impediat, et per illam inquinentur multi.*

APPENDIX III.

Canones Synodi Siracavanensis (862).

Canon I. Si quis non confitetur sacrosanctae ac vivificae Trinitatis unam naturam, et tres personas; hoc est, Patrem a nullo principio; Filium a Patre; et Spiritum Sanctum ab utrisque essentia existentem, et utrique coequalem: anathema sit.

Canon II. Si quis non confitetur, unum de Sancta Trinitate, Dei Filium Unigenitum, substantialiter e Paterno sinu demissum, et in sanctae Virginis utero habitantem Deum illum interminum cum circumscriptibili carne compositum, permansisse nihilominus a Patre et spiritu sancto inseparabilem: anathema sit.

Canon III. Si quis non confitetur, Deum Verbum, ineffabili, et admirabili modo substantialiter cum carne unitum cum confusione, ac sine divisione, Deum aeternum esse, et hominem verum: anathema sit.

Canon IV. Si quis non confitetur, Beatam Virginem Mariam vere ac proprie Deiparam esse; utpote quae Deum Verbum, ex Patre ante secula genitum, quem nec coeli, nec seraphim comprehendere possunt, et suo intemerate gestavit in utero, et sub servi forma modo investigabili genuit, vitam hominibus allaturum: anathema sit.

Canon V. Si quis juxta impium Nestorium asseruerit, Dei filium in viro perfecto habitasse; atque naturas seorsim ab invicem in duos filios, duo supposita, ac duas personas, alteram hominis, alteram Dei, separaverit: anathema sit.

Canon VI. Si quis juxta Eutychis stultitiam temere dixerit, carnem divini Verbi fuisse de coelo allatam, aut alterius, quam nostrae, substantiae: vel naturam divinam cum carne confusam, aut in carnem conversam: ideoque vanam reddiderit nostram Redemptionem: anathema sit.

Canon VII. Si quis non confitetur, humanatum Dei Patris Verbum esse perfectum Deum, et perfectum hominem; ex duabus naturis in uno supposito, et una persona compositum; consubstantiale Patri secundum divinitatem, et consubstantiale nobis in omnibus, excepto peccato, secundum humanitatem: anathema sit.

Canon VIII. Si quis sanctam Trinitatem passibilem dixerit, aut crucifixam; vel Filium, non carne, sed divinitate passum juxta Eutychis et Manichaeorum ineptias; vel solum hominem passum juxta nugas impii Nestorii: anathema sit.

Canon IX. Si quis non confitetur, Deum Verbum ac Dominum nostrum Jesum Christum, sanctum fortem, et immortalem, pro nostra salute secundum carnem crucifixum, ac misericordiam humano generi largientem, quique hostia simul et Sacerdos tollat peccata mundi: anathema sit.

Canon X. Si quis non confitetur, filium Dei propter salutem gentium factum esse filium Virginis, ut mirum filios hominum faceret filios Dei, ac terrigenas Patri consecrans, in illa coruscantium exercituum frequentia cum coelicolis sociaret: anathema sit.

Canon XI. Si quis non confitetur, Dominum nostrum Jesum Christum jam inde ab utero Virginis perfectum, et gloriosum fuisse; nec non, quantum ad sepulchri aut peccati corruptionem, incorruptibilem; vel eumdem dixerit subjectum necessario passionibus, tamquam purum hominem; et non potius, quod sponte pro nobis nostra sit passus excepto peccato, ut nos ab insidiis Diaboli liberaret: anathema sit.

Canon XII. Si quis dissentire dixerit traditiones Apostolorum a traditionibus Prophetarum: vel doctrinas priorum trium conciliorum, Nicaeni, Constantinopolitani et Ephesini, a doctrinis Apostolorum et Prophetarum: anathema sit.

Canon XIII. Si quis Chalcedonensem Synodum aliasve post illam sequentes, contrarias, aut repugnantes esse cognoverit doctrinis Apostolorum, vel Prophetarum, vel trium sanctorum praecedentium conciliorum; et tamen prae humana captanda benevolentia, aut suis privatis commodis, eas nequaquam anathematizaverit: anathema ipse sit.

Canon XIV. Si quis Chalcedonensem sanctam Synodum, aut alias eam subsequentes, videlicet quintam, sextam et septimam, concordes et consentientes fuisse cognoverit doctrinis Apostolorum et Prophetarum, et trium Sanctorum praecedentium conciliorum; et temere nihilominus praesumpserit, easdem synodos anathematizare, aut calumniose dicere, fuisse turpi Nestorio consentaneas: sciat hujusmodi anathema in ipsummet cadere; cum inscriptum sit: Qui innocentem execratur, execratur animam suam, et in caput sui ipsius execratio revertetur: quin etiam et anathema ipse sit.

Canon XV. Si quis non confitetur, Deum Verbum ita secundum unitam sibi carnem passum esse, ut ejus impassibilis et inseparabilis a carne Divinitas fuerit in passionibus expers passionis: anathema sit.

APPENDIX IV.

Theoriani Orthodoxi cum Catholico Armenorum colloquium, Imperatorium diploma, missum ad reverendissimum et religiosissimum Generalem Armenorum 6678.

Legatio Imperatoris Caesaris Manuelis Comneni ad Armenos; seu Theoriani cum Catholico Armeniorum Domino Nersese Disputatio.

Anno ab Orbe condito VICIOIOCLXXVIII (a. v. 1170), Imperii Piissimi, et Christani et divinitus coronati Domini Manuelis, in Porpyra nati, Comneni decimo et octavo, indictione tertia, die 15 mensis Maji, adjuvante nos Deo, limites Romanorum attigimus; cumque Generali Armenorum Domino Nersesi, praepotentis et Sancti Imperatoris nostri nomine salutem dixissemus; datas ad ipsum, imperatorias sacras litteras ei reddidimus; exposita simul benigna voluntate, quam erga ipsum praepotens et sanctus Imperator noster gereret, et quod maximo desiderio tam ipsius, quam subditorum ejus unionem cum sancta universali et Apostolica Ecclesia expetens, nos minimos servos suos tam longo locorum ex intervallo, et adeo duro itinere ad insignem ipsius sanctitatem abligasset.

Ea quum Generalis audisset, haec ad nos loquutus est: Agimus Imperatori sancto gratias, quod et nostri curam gerat, minimorum ex iis, qui pro sancto ipsius imperio preces fundunt, et qui Orbis universi curas sustinens, nostri quoque non sit oblitus. (Postridie nobis accersitis, dixit) Posteaquam datas ad me imperatorias et sacras Ordinati Coronatique

divinitus, et Piissimi Imperatoris litteras perlegi, tam ipsius, quam sanctae Romanorum Ecclesiae voluntatem perspexi: quod videlicet, si nostros circa fidem orthodoxam errores corrigere velimus, paratus sit et sanctus Imperator, et sancta generalis Apostolica Ecclesia nos tamquam fratres recipere. Volumus ergo doceri, quaenam illa sint, in quibus nos adversus fidem aberremus; ac si quidem ex instituto Canonum, per sacrarum litterarum, et consentaneas demonstrationes convicti fuerimus, emendationem illam alacriter acceptabimus.

Theorianus. Obsecro eximiam illam sanctitatem tuam, ut orationem nostram cum insita sibi mansuetudine excipiat, nec graves, ac molestas sibi nostras interrogationes ducat. Esto autem constitutum inter nos, veluti ex stipulatu, et promissu partis utriusque, ut si quid audiverimus, quod aversari rectae sonnertiae videatur, non continuo pronunciemus, id haereticum esse; sed diligenter interrogemus, ac erudiamus de vocis cujusque significato, illius mente, qui ea sit usus.

Generalis. Recte ais, ita fiat.

Theorianus. Misit epistolam ad praepotentem et sanctum imperatorem eximia Sanctitas tua, qua de quibusdam fidei capitibus, et consuetudinibus ecclesiasticis tractat: itaque sanctitatem tuam eximiam interrogo, ita ne sentiat ut in ea perscriptum est; an aliquid eorum, quae in illa perscripta sunt, nullius momenti ducat?

Generalis. Ita tum sentiebam et ita sentio, sicut in ea perscripsi.

Theorianus. Quas Synodos recipis?

Generalis. Nicaenam sanctorum CCCXVIII Patrum; Constantinopolitanam Sanctorum et instinctu divino gubernatorum CL Patrum; et Ephesinam Sanctorum CC Patrum, in qua Nestorius ab officio remotus fuit.

Theor. Quorum doctorum scripta, et doctrinas approbas?

Gener. Magni illius Athanasii, Sancti Gregorii Theologi, Basilii Magni, Sancti Gregorii Nysseni, Sancti Joannis Chrysostomi, Sancti Ephremi, Sancti Cyrilli Alexandrini Antistitis, et multorum aliorum.

Theor. Ergo lectionem epistolae tuae inchoemus et Capitum in ea comprehensorum mentem fraterne consideremus, an praedictos divos Patres, et Sanctas synodos sequatur.

Gener. Recte dicis, ita fiat.

(Tum perlegentes ad eum locum venimus, ubi scriptum erat.) „Dicimus in Christo naturam unam esse, non secundum „Eutychem confudentes, nec secundum Apollinarim detra„hentes, sed secundum Alexandrinum Antistitem Cyrillum „in Orthodoxia, qui in libro contra Nestorium scripsit unam „esse naturam Verbi incarnatam."

Theor. Sanctus Cyrillus non dixit unam in Christo naturam, nec unam Christi naturam, sed unam naturam Verbi, ac deinde subjicit incarnatam; tua vero Sanctitas nescio quo pacto incogitanter, et libere naturam unam in Christo dixit; ac miror equidem, cur vocem, a Sancto viro positam mutare sit ausa.

Gener. Non mutavi nam idem significat natura Christi, et natura Verbi incarnati.

Theor. Non idem significat, absit: nam Christi nomen utrumque conjunctum significat, Deum simul et hominem; propterea dicimus, Verbum caro factum est: at vero Christus caro factus, non dicimus. Idem et inde patet, quod nemo Sanctorum unam Christi naturam dicat; unam vero naturam Verbi tum Sanctus Cyrillus, tum Sanctus Athanasius ante ipsum dixit; quippe quum dicimus, unam naturam Verbi, divinam hoc Filii naturam significat: quum vero adjicimus incarnatam, sicuti Sanctus Cyrillus in secunda ad successum Epistola fecit, tota ratio administrationis cum carne comprehenditur.

Gener. Et quis sanctorum hominum post unionem hoc expresse dixit?

Theor. Omnes, quorum nomina supra recensuisti.

Gener. Ostende nobis unum ex his, et satis erit, nam quod ab uno sanctorum dicitur, ab omnibus dicitur: quod omnes ab uno divino Spiritu afflati fuerint.

Theor. Non unum dumtaxat ostendam, sed universos, adjuvante Deo, quos nominatim supra commemorasti, saltem auscultando ne defatigeris, et omnium tibi testimonia proferam.

Gener. Propterea convenimus, ut veritatem inveniamus: nec in hujusmodi negotiis defatigari debemus.

Theor. Antequam ipsa dicta proferamus, necessarium arbitror, ut quid essentia, (vel substantia) sit; quid natura, quid hypostasis, quid persona dicatur. Propterea te interrogo: quomodo haec accipias? num ut exteri scriptores, an uti Doctores Ecclesiae definierunt?

Gener. Nos amborum de vocibus hisce propositis finitiones novimus; et in eas rectitudinem dogmatum pietatis scienter dirigimus.

Theor. Ego plurimum in his extraneos ab Ecclesiae Doctoribus dissidere video. Nam illi eruditi homines exteri individuum, sive hypostasin, et unum numero, substantiam definiunt; quod sane divini Patres non admittunt, quippe Patres illi, gubernati divinitus, substantiam et naturam esse universalia dicunt, quae scriptores exteri speciem vocarunt, quapropter in Sacrosancta Trinitate naturam unam, et unam substantiam, hypostases vero tres tradiderunt: natura nimirum et substantia plures hypostases continente: hominum quidem certe natura, quum una sit, infinitas habet hypostases, puta Petrum, et Paulum, et homines singillatim universos. Aristoteles autem individuum, et unum numero, sive hypostasin, proprie substantiam definiit, his verbis usus: Substantiae, quae propriissime, primumque, ac maxime sic dicitur, est, quae neque de subjecto quodam dicitur, nec in aliquo subjecto est; velut hic homo, vel hic equus. Quo igitur pacto fieri potest, ut alieni ab ovili nostro cum Doctoribus nostris hac in parte concilientur, quum hi substantiam et naturam universale quiddam; illi singulare definiant?

Gener. Nosquoque substantiam, et naturam de universalibus accipimus; personam vero, et hypostasin de singularibus.

Theor. Macte animo, beatissime Pater, ob hanc satisfactionem: qui et hac in parte cum sanctis Patribus consentis.

Quid igitur? horumne definitiones, ac declarationem exponemus; an solum hoc nobis sufficiet, quod substantia et natura quiddam universale sint; hypostasis, et persona, singulare?

Gener. Si tibi molestum non erit exponere, lubens equidem audiam.

Theor. Nihil ego meum proferam, sed quidquid ipsa nos Ecclesiae lumina docuerunt.

Gener. Idem et ipse cognoscere gestio, quid nimirum Ecclesiae Doctores tradiderint.

(Hic fuse ex SS. Patribus Theorianus discrimen indicat, quod substantiam inter et personam seu hypostasim existit: quod S. Patriarcha jam lubenter admittebat. Quam ob rem non ducimus necessarium etiam hanc partem hic per integrum referre.)

Gener. Jam tempus fuerit, ut auctoritates in medium proferas, de quibus sanctorum hominum mentem perspiciamus; quippe de substantia et natura, de hypostasi et persona consentimus, nulla penitus in re dissidentes; nam illa prius etiam, quam abs te dicerentur, intelligebamus; sed ex ore tuo lubebat audire, quaenam de his vestra esset sententia. Nunc ergo dicito, quisnam Sanctorum Patrum naturas duas post unitionem statuerit.

Theor. Primum, cum tempore primum, magnum illum Athanasium proferre par est, cujus haec ipsa verba sunt in epistola ad Epictetum Corinthi Episcopum: *Ex hoc absurditatem perspicere potestis. Si verbum unius est substantiae cum corpore, de terra naturam suam habente; sique consubstantiale est Patri Verbum, juxta confessionem Patrum; etiam ipse Pater unius erit substantiae cum corpore de terra facto. Et cur Arianis indignamini, Filium dicentibus esse creaturam; cum ipsi dicatis, Patrem unius cum creaturis esse substantiae?*

Gener. Quid ad nos dictum istud Philosophe?

Theor. Graviter eos tangit, qui dicunt unam esse naturam Verbi et Carnis. Ac vide, obsecro, quam admirabili

ratione Sanctus vir Athanasius in tertia figura syllogismum nectat. Quippe jam antea pro confesso habetur, quaecunque de substantia dicenda veniant eadem et naturae accomodanda. Hoccine in confesso est, an non?

Gener. Omnino id quidem.

Theor. Commutemus ergo substantiae nomen cum naturae vocabulo, et dicamus: Si ejusdem est naturae Verbum cum corpore, de terra naturae suam habente; sique Verbum unius est cum Patre naturae, juxta confessionem Patrum; etiam ipse Pater erit ejusdem cum corpore terreno naturae. Quo fit, ut si qui dicant, Verbum unius esse cum corpore substantiae, (valet autem hoc tantumdem, ac si dicas, ejusdem naturae) sequatur, et Patrem esse unius cum corpore substantiae, ac naturae: quodquod absurdius? Quid ergo de hoc impossibili discimus? Verbum non est ejusdem cum corpore substantiae, nec ejusdem naturae. Quod si Verbum nec ejusdem et cum corpore substantiae, nec ejusdem naturae: planum est, esse illum substantiae, naturaeque diversae. Si naturae diversae; omnino alia natura Verbi est, alia corporis; non ergo Christus una natura est. Quod si primam hanc divi Athanasii propositionem: *Si Verbum unius est substantiae cum corpore, de terra naturam suam habente,* quam acurate facta sit, perspexerimus; maximum thesaurum reperiemus: quippe non frustra positum est, *de terra naturam suam habente.*

Gener. Rectissime dicis; sed pergito.

Theor. Accedat et sanctissimus Cyrillus, cui vos magis innitimini, testimonium orationi nostrae perhibiturus; qui in priore ad Successum epistola inquit: *Par est, quod absurditatem attinet, dicere; quod corpus in divinitatis naturam mutatum sit; et vicissim, quod Verbum mutatum sit in naturam carnis, nam sicut hoc fieri nequit, cum ipsum Verbum sit incommutabile, et alterationis expers; ita nec illud alterum: non enim creatorum quidquam ad naturam divinitatis transire potest; et caro quoque creatura est.*

Idem perspicue in epistola ad Eulogium tam pro se naturas duas profitens, quam sanctissimos Orientis Episcopos, idem tradentes, propugnans. *Reprehendunt, ait, nonnulli factam ab Orientalibus Episcopis expositionem; et cur, inquiunt, naturas duas dicentes Alexandrinus Episcopus ferre potuit, aut probavit?* Et paulo post subjicit: *Sic et in causa Nestorii; quamvis duas naturas, discrimen carnis, et Verbi significans, dicat (nam alia natura verbi est, alia carnis) unionem tamen nobiscum non confitetur. Nos enim, his unitis, unum Christum, unum Filium, unum Dominum confitemur: unam denique naturam Verbi incarnatam.* Ac paulo post: *Itaque nosse naturarum duarum discrimen, non est unum Christum in duo secare.* Rursum post alia: *Nec illud ignorent: ubicunque fit unionis omnino mentio, non unius rei coitio significatur; sed vel duarum, vel plurium, et inter se natura discrepantium: qui ergo dicit unionem, videlicet carnis animatae, ac mente praeditae, cum Verbo; quique duas naturas dicunt: eorum haec mens est, atque sententia. Verum posteaquam unionem confessi sumus, non amplius a se invicem unita dividuntur; sed unus deinceps filius est, una Verbi incarnati natura.* Ecce in his divae memoriae Cyrillus aperte dicit, duarum naturarum discrimen nosse, non esse Christum unum in duo secare. Hoc enim vos vereri soletis; at beatus ille Cyrillus vanam hanc vestram formidinem rejicit.

Quin et idem in altera ad Successum epistola eadem se sentire, his verbis ostendit: *Itaque modum assumtionis humanae naturae animo considerantes, naturas duas coivisse per unionem, videmus, citra divisionem, confusionem, et mutationem. Caro enim caro est, non divinitas, licet Dei caro facta sit: similiter et Verbum Deus est, non caro; licet dispensatione quadam carnem proprie suam fecerit. Cum igitur haec animo consideramus, minime delinquimus, dicentes hunc in unionem*

concursum ex duabus naturis factum; sed tamen post unionem naturas a se invicem non dividimus; nec unum, et inpartibilem in duos filios secamus; sed unum dicimus filium, et uti Patres loquuti sunt, unam naturam Verbi incarnatam. Quantum ergo mente, atque oculis animi dumtaxat videre possumus, quo pacto Unigenitus ille factus est homo; duas naturas esse dicimus, ut unum Christum, et Dominum, et Filium, Dei Verbum, quod homo factum, et incarnatum est. Quid clarius hoc quaerimus? *naturas enim,* ait, *duas esse dicimus.*

Rursus idem ille Divus Cyrillus in enarratione libri Levitici de purgatione leprae disserens, ait: *Totum heic mihi rursus Servatoris nostri mysterium, et purgationem, quae per sacrosanctum Baptismum fit respice. Duas aves accipi vivas, et mundas, jubet; ut per has volucres hominem illum coelestem intelligas, hominem pariter, et Deum, in duas quidem naturas (quantum ad id, quod de utraque dici convenit) distinctum; (quippe Verbum erat, exortum a Deo, in carne mulieris) non tamen divisum; unus enim ex ambobus Christus; propterea duae sumuntur aves, et ambae rursus unius instar intelliguntur.*

Vides, ut ubique beatus ille Cyrillus naturas duas confiteatur?

Quin et in altera ad Successum ait epistola: *Qui Dominum nuda carne passum dicit, alienum a ratione, voluntateque cruciatum facit. Atsi quis dicat, eum participe mentis anima passum, ut spontaneus sit cruciatus; nihil dicere prohibet, eum in hominis natura passum; quod si verum est, cur non duas naturas extitisse dabimus post unionem citra ullam divisionem? quare si quis ait, Christo pro nobis carne passo; nihil aliud dicit, quam Christo pro nobis natura nostra passo.* Vides, uti clarissime naturas duas beatus Cyrillus post unionem confiteatur?

Etiam magnum illum in rebus divinis Gregorium videamus. Ait enim in Oratione de Filio: *Deum adpellari pute-*

mus, non Verbi, sed ejus, quod oculis cernebatur. Qui enim proprie Dei Deus esse possit? Quemadmodum et pater dicitur non ejus, quod cernebatur, sed Verbi, erat enim duplex. Itaque partim haec de utrisque proprie, partim non proprie dicuntur; diverso scilicet modo, quam in nobis res habet: nam deus proprie quidem noster est Deus, non autem proprie pater: et hoc illud est, quod haereticos in errorem trahit, vocum scilicet harum conjunctio, permutatis inter se vocabulis, propter naturarum coalitionem; ejus hoc argumentum est; cum naturae cogitando distinguuntur, etiam ipsa simul vocabula distinguuntur. Vides cum Christum appellare dupplicem? Rursus ait: *Cum naturae cogitando distinguuntur. Verum videamus et sequentia: Paulum dicentem audi. Ut Deus Domini nostri Jesu Christi, pater gloriae. Christi quidem ille Deus est; pater autem gloriae; nam licet utraque natura copulata, sit quiddam unum, non tamen hoc a natura est, sed propter coitionem.* Audi quid dicet: *licet utraque natura copulata, sit quiddam unum: non tamen hoc a natura est.* Si vero non unum a natura est, relinquitur omnino, duo esse a natura.

Ejusdem vero sententiae sanctum quoque Gregorium Nyssenem Episcopum fuisse, demonstrabo, in lib. ad Simplicium his verbis utentem: *Quoniam duo de Christo agnoscimus, hoc divinum, illud humanum, unum natura divinum, et unum dispensatione humanum: idcirco aeternitatem divinitati equidem attribuo, creatum vero humanum ad naturam referimus.* Audistine, quo pacto et hic divinus vir dicat, duo nos de Christo agnoscere, hoc divinum, illud humanum? deinde unum natura divinum, inquit, et progressus ulterius, Creatum, ait, humanam ad naturam referimus. Ecce divinam in Christo naturam, et naturam humanam manifeste confitetur.

Quin et Basilii liber, adversus Eunomium scriptus, eadem docens, haec verba continet: *Mediatorem illum Dei, et hominum, sicut a magno illo Apostolo appellatur,*

nihil ita demonstrat, ut Filii nomen, utrique naturae, divinae ac humanae, ex aequo accomodatum. Idem enim et Dei filius est, et filius hominis per dispensationem factus est. Vides, uti duas naturas divinam et humanam, confitetur? Eadem facientem videre licet in quarto ejusdem argumenti libro, ubi haec verba sunt: *Ubique temperamentum ejus, quod humanum est, cum illo, quod divinum, praedicans Apostolus, nihilominus in utroque, quod cuique proprium est, perspicit.* Haec et de iis, quae utrique naturae propria sunt, tradit; veluti quae reaptse sint, et animi consideratione percipiantur. Hinc paulo post subjicit: *Ac ne quis naturae temperamenti experti passionem in cruce attribuat, per alia clarius errorem hujusmodi corrigit, mediatorem eum Dei et hominum et Deum appelans: ut, quoniam duo de uno dicantur, de utroque, quod utrique competit, intelligatur.* Heic apertissime duo de uno dici praedicat, nimirum naturas duas.

Similiter et in Oratione de Filio secunda, clarius idem duarum naturarum proprietates, etiam post ineffabilem illam conjunctionem, salvas et integras esse, tradit. *Credimus*, inquit, *in unum Deum Patrem ingenitum, et in unum Filium genitum, Jesum Christum, ejusdem substantiae, cum Patre secundum divinitatem, et nobiscum secundum carnem: non duos, sed unum filium, salvi naturarum proprietatibus.*

Quin et magnus Ambrosius, Mediolanensium Pontifex, ad Apollinarim scribens, sic ait. *Discrimen carnis et divinitatis servemus: unus in utroque loquitur Filius; quoniam utraque natura in ipso est. Verum licet idem loquatur, non uno tamen modo loquitur; nam vides in eo nunc quidem Dei majestatem, nunc autem passiones hominis.* Consentanea jam dictis et in secundo ad Gratianum Augustum libro tradit. *Homo Jesus Christus Dominus majestatis, dicitur crucifixus; quia consors utriusque naturae, id est humanae atque divinae.* Sed et in libro ad Sabinum Episcopum idem vir sanctissimus ait:

Cum esset in proprietate divinitatis, exinanivit se, et accepit plenitudinem naturae: sicut Deo nihil deerat, ita nec hominis consumationi, ut esset perfectus in utraque natura.

Generalis. Equidem arbitror, ante multos annos curae tibi fuisse, libros uti colligeris, sanctorumque virorum auctoritates de naturis duabus excerperes.

Theorianus. Ea vero multae curae, multique temporis egent, quae rara sunt, et inventu difficilia: de duabus autem naturis non penuria, sed supra modum ingens abundantia, copiaque reperitur in omni a Spiritu Dei profecta scriptura, quanta scilicet est aeris late diffusi amplitudo. Quare si etiam pluribus opus sit, paratus sum et alias proferre.

Et quidem mox licet audire magnum illum philosophum, atque martyrem Justinum, de iisdem loquentem in libro de Trinitate, capite XVII. *Cum audieris,* inquit, *de uno Filio voces contrarias, convenienter partire naturis ea, quae dicentur: si magnum ac divinum aliquid, divinae naturae attribuens; sin exiguum et humanum, ad humanam naturam referens: sic enim et ipsarum vocum discrepantiam vitabis, natura qualibet sibi cognata recipiente; et unum Filium tam ante omnia saecula, quam recens ortum juxta litteras sacras confiteberis.* Haec divinus ille Justinus.

Joannes autem Chrysostomus in epistolae ad Timotheum scriptae interpretatione sic ait: *Mediator amborum consors est, quorum scilicet est mediator: quippe mediatoris est, ut conjunctus eorum utrique, quorum mediator est, participet.* Ac paulo post: *Si ergo non conjunctus est cum natura Patris, non est mediator, sed est ab eo separatus. Quemadmodum enim cum hominum natura conjunctus est, quoniam ad homines venit; ita et cum Dei natura, quoniam a Deo venit.*

Cum hisce Sanctis Patribus consentiens sancta illa, magnaque, et universalis Synodus, Chalcedone nutu Dei, pioque decreto Augustorum congregata, statuit, unum et

eundem esse Christum, filium, Dominum, unigenam, in naturis duabus citra confusionem, mutationem, divisionem, separationem adagnitum: nequaquam naturarum discrimine sublato propter unitionem, sed salva potius propritate utriusque naturae, ac in unam personam et unam hypostasin coeunte: non in duas personas partitum, vel divisum; sed unum, et eundem filium unigenam, Deum Verbum, Dominum Jesum Christum.

Gener. Omnino duas dicere naturas, speciem quandam divisionis introducit, ac vereor equidem, ne devitato Eutychis barathro, quod est, unam naturam dicere, in Nestorii barathrum incidamus, per duas naturas, duas personas introducentes.

Theor. Nestorius vero duas naturas separatas aiebat, non unitas in unam personam; atque hoc sane denotans sanctus ille Cyrilius in epistola, quam ad Eulogium scripsit, ait: *Sic et in causa Nestorii; quamvis duas naturas, discrimen carnis, et Verbi significans, dicat: (alia namque natura Verbi, alia carnis) unionem tamen nobiscum non confitetur. Nos enim his unitis, unum Christum, unum Filium, unum Dominum confitemur; unam denique naturam Verbi incarnatam.*

Tu igitur juxta sapientis illius, Salomonis admonitionem, nec ad dexteram, nec ad sinistram incesseris, sed media, regiaque via. Sunt enim quatuor haereses, ex diametro inter se pugnantes: duae de Divinitate, ac duae de humana natura. In Divinitate Sabelius quidem aiebat, esse naturam unam, et unam hypostasin: Arius vero tres hypostases, ac tres naturas diversas, et alienas a se invicem. Nos vero nec in unum tria commiscemus, ne Sabelii morbo laboremus; nec in tria peregrina et aliena inter se dividimus, ne in Arii furorem incidamus; sed naturam unam in tribus hypostasibus praedicamus. Rursum de Incarnatione Dei Verbi velut ex diametro inter se pugnabant Nestorius et Eutyches. Quippe Nestorius aiebat duas naturas separatas, et duas Personas, et duos Christos, et duos Filios. Eutyches vero naturam unam, et unam hypostasin. Nos autem dicimus unam hypostasin, unum Christum, unum filium in duabas perfectis

naturis, divinitate inquam, et humanitate, inseparabiliter, et ultra confusionem unitis; itaque semita media, regiaque, sicuti diximus, incedito; quemadmodum Gregorius ille Theologus ait: Medium cum dico, veritatem intelligo, ad quam solam si respiciemus, recte faciemus: nec est, quod numerum duorum reformides. Quemadmodum enim, cum in divinitate tres hypostases dicimus, nullam naturae divisionem facimus; sic et in hac dispensatione cum duas naturas dicimus, nullam ipsius hypostasis divisionem facimus: atque hoc illud est, quod Gregorius Theologus in II ad Cledonium libro dicit: *Dico autem aliud atque aliud versa vice, atque in Trinitate res habet, illic enim alius atque alius, ne hypostases confundamus: non autem aliud atque aliud; quod tria sint unum, et idem secundum divinitatem.* Recte vero quamlibet seriem verborum religiosi hujus Theologi considera. *Dico,* inquit, in Christo *aliud atque aliud;* nam aliud, neutro genere positum, naturam significat; adeoque aliam atque aliam naturam in Christo dicit. Alius vero significat hypostasin, ideo subjecit: *Non alius atque alius.* Etiam illud inspice: *Versa vice, atque in Trinitate res habet.* Nam in Trinitate una natura est, sed non itidem una hypostasis: in Christo autem una hypostasis est, et non itidem una natura: hoc scilicet denotat illud: Vice versa. Nam ibi natura una est, ac tres hypostases, heic autem una hypostasis, et duae naturae.

His dictis, religiosissimus Episcopus Gregorius, sanctissimi Generalis Consobrinus, voce magna exclamabat: Ego Romanus sum. Anathema non dicenti duas in Christo naturas.

(Heic Theorianus nonnullas refert difficultates nullius ponderis, quas inter disputationem Petrus Episcopus Sapirii objiciebat; quibus confutatis Theorianus prosequitur):

His cum obtutatum esset os religiosissimo Petro, suppradictus religiosissimus Episcopus Gregorius, surgens: *Ego Romanus sum,* inquit, et *cum Romanis sentio.* Post biduum rursus accessiti, ascendimus in coenaculum ad sanctissimum Generalem: quumque consedissemus omnes, sic alloquutus est.

Gener. Nihil ambigui est, duas in Christo naturas dicere, si confiteamur, eas unitas inseparabiliter in unam hypostasin; quemadmodum sanctus ille Cyrillus in prima ad Successum Epistola loquitur: *Quantum, inquiens, mente, atque occulis animi duntaxat videre possumus, quo pacto Unigenitus ille factus sit homo: duas esse naturas dicimus unitas, ac unum Christum, et Filium, et Dominum, Dei Verbum quod homo factum, et incarnatum est.* Quin etiam omnia illa lumina Ecclesiae, quorum auctoritates antea Philosophus adduxit, hoc ipsum expresse clamant, itaque manifestis, et apertis, et veris adversari, non est hominis Christiani; ac de his quidem posthac minime laborandum. Quid autem prohibet, quo minus et duas naturas in uno Christo, et unam naturam, propter expertem divisionis et separationis naturarum unionem, confitemur? quippe sanctum illum Cyrillum in altera ad Successum epistola sic diserte dicentem reperimus. *Non de iis duntaxat, quae natura simplicia sunt, unum vere dicitur; sed etiam de illis, quae compositione copulata sunt: quale quiddam est homo, ex anima et corpore constans; nam ea diversae sunt formae, nec ejusdem inter se substantiae; verum unita naturam hominis unam absolvant.* Quoniam igitur ex anima et corpore, quae diversae naturae sunt, una natura hominis absolvitur, atque dicitur; non absurdum arbitror, ex divinitate humanitateque Christi unam absolvi, dicique naturam. Hoc solvito; ac satisfactum nobis erit.

Theor. Satis erat magnae Sanctitati tuae ad hoc, ut perspiceres, non unam esse dicendam naturam in Christo post unionem, prolata sancti viri, Gregorii Theologi, a nobis auctoritas, quae exstat in altera de Filio oratione, ac hujusmodi verba continet. *Licet utraque natura copulata, sit quiddam unum; non tamen hoc a natura est, sed propter coitionem.* Cum ergo dicit: Non hoc a natura est, clare scilicet prohibet, ne utraque copulata una natura dicantur. Quid dilucidius hoc requeris?

Gener. Sic textus in Armenica scriptura non habet.

Theor. Mendosus est ergo liber tuus. Mox Theorianus, qui ejus dicti Syriacam Interpretationem excerptam habebat, eam Generali porrigens ait: Lege Domine. Generalis autem, accersito quodam ex iis, qui Syriace legere nossent, legi jussit, et ita scriptum reperit, uti Theorianus dixerat.

Itaque Theorianus: Hoccine sufficit, inquit, Domine? an etiam et aliam requiris auctoritatem? nam equidem, Syriace non novi, sed ita perscriptum in Syrorum libris Cessuni reperi, atque hoc reperto, maximopere gavisus sum.

Gener. Quando in Armenorum scriptura textus ita non habet, aliunde certior fieri volo, debere nos duas in Christo naturas post unionem fateri, non unam.

Theor. Facillimum id quidem ei perspectu, qui agere malitiose nolit.

Gener. Mihi vero ne contingat unquam agere malitiose, praesertim divinis in rebus; nec ulli alii, qui ex Christi praescripto vivere velit: sed confirmari desidero, ne inconsiderate, perque subreptionem pronuntiem.

Theor. Fateris, unitas esse naturas citra mutationem, et alterationem?

Gener. Omnino; quippe Sanctus ille Cyrillus in epistola ad Successum sic ait; *Par est, quod absurditatem attinet, dicere; quod corpus in Divinitatis naturam mutatum sit, et vicissim, quod Verbum mutatum sit fieri nequit, cum ipsum Verbum sit incommutabile, et alterationis expers: ita nec illud alterum; non enim creatorum quidquam ad naturam divinitatis transire potest; et caro quoque creatura est.*

Theor. Ipse nos sublevasti a negotiis, qui sanctum Cyrillum testem doctrinae nostrae produxeris. Nam si fieri nequit, ut in substantiam, vel naturam divinitatis creatum aliquod transeat; et ipsa quoque caro creatum est; quidnam de hoc colligatur, ipse dicito.

Gener. Quid hoc sit, ignoro, quidnam est, quod colligis.

Theor. Carnem et Verbum non unam esse naturam.

Gener. Equidem non oblitus sum eorum, quae a Sancto Cyrillo prolata sunt antea, cum diceret: *Quale quiddam*

est homo, ex anima et corpore constans; nam ea diversae sunt formae, nec ejusdem inter se substantiae; verum unita, naturam hominis unam absolvunt. En heic quoque naturae duae, anima, et corpus; neque tamen vel anima corporis in naturam conversa est nec corpus in animae naturam transiit: sed ambobus intra fines suos manentibus, una de his absoluta natura est. Itaque non est ex eorum numero, quae fieri nequeunt, ex duabus naturis unam fieri naturam: nam ecce hoc in hominis est compositione.

Theor. Exemplum illud nostrae compositionis ad hoc dumtaxat a Sancto Cyrillo est usurpatum, ut ostenderet, posse de duabus, ac diversis naturis unam hypostasin fieri, sicut ex anima, et corpore Petrus, verbi gratia, vel Paulus. Pugnans enim contra Nestorium, qui cum fieri posse negaret unam ex diversis naturis hypostasin; ideoque in duos Christos, et duos filios, unum et impartibilem Christum stulte divideret: hominis exemplum adduxit, ut ostenderet, quemadmodum ex anima et corpore constat unus homo, sic ex divina humanaque natura Christum unum existere. Exponamus et causam, si placet, ob quam in homine composito ex anima et corpore, natura dicatur una: Quippe dicimus, naturam humanam a Christo instauratam; non autem naturas instauratas. Itidem quoties divi Patres duas naturas in Christo dicunt, animam et corpus unam naturam accipiunt: at in Christo naturam unam dicere prohibitum est.

Gener. Cognoscere primum cupio, a quibus sit prohibitum naturam unam in Christo dicere; deinde causam, ob quam prohibitum, si placet, audiemus: nam mihi quidem ab aliquo sanctorum Patrum hoc esse prohibitum non videtur.

Theor. Ex eo quod duas illi naturas dicunt, unam non esse dicendam, intelligitur: nam si duae, non una: sin una, non duae.

Gener. Ex eo duntaxat prohibitum ais, quod duas ipsi dicant; an et auctoritates habes, quae hoc diserte prohibeant?

Theor. Satis hoc esse tibi debebat: verum et sanctorum, magnorumque hominum auctoritates habeo deserte hoc

prohibentes. Ac Gregorii quidem Theologi dictum igitur omittere lubet, quando tu sic in Armenii libri textu scriptum negas; dictum est hoc; „licet utraque natura copulata, sit unum quiddam, non tamen hoc a natura est“. Producam vero sanctum illum Ambrosium Mediolanensem Episcopum, sic expresse loquentem in lib. adversus Apollinarem: *Emergunt alii, qui carnem Domini dicant, et Divinitatem unius esse naturae. Quae tantum sacrilegium inferna vomuerunt?* Eadem divus ille Gregorius Nyssaenus in libro et ipse, adversus Apollinarem scripto, clamat: *Si ergo in adversantibus sibi proprietatibus horum utriusque natura cernitur, carnis inquam, et Divinitatis; quomodo duae sunt una?* Divus quoque Chrysostomus in epistola ad Acacium monachum ait: *Unum Filium, unam dico personam utraque copulata; quae tamen citra confusionem ac divisionem agnoscatur, non in una sola natura, sed in perfectis naturis duabus.* Quid ad haec ais?

Gener. Non jam hoc pronunciandae sententiae, sed exercitationi modo destinatum tempus est: suo vero tempore, quid mihi videatur, adhibita cautione convenienti, et accurato judicio pronunciabo. Caeterum, si placet, promisso fac satis.

Theor. Cui?

Gener. Causam dicito, propter quam prohibitum sit, unam in Christo naturam dicere.

Theor. Quorum una natura est, eorum et communis est ratio: quorum vero ratio est communis, eorum et ejusdem substantiae est existentia: nunquam vero Christi Divinitas ejusdem est substantiae cum ejus humana natura; itaque non potes horum una esse ratio. Quorum vero nunquam una ratio est, eorum naturas semper a se invicem differre, cuivis est perspicuum. Quippe sicuti neganti opponitur Aiens; sic dicere, Christum naturas esse duas, opponitur illi, Christum esse naturam unam: Nunquam vero Negans, et Aiens de eodem pariter vera sunt: ergo nunquam duae sunt una. Quod si placet etiam modo logicae disciplinae magis accommodato theorema propositum examinemus.

Gener. Placet omnino.

Theor. Quidquid existit, si unum est, et plura, non secundum id unum est, secundum quod plura: sed si est unum, et plura, secundum aliud est unum, et secundum aliud plura: plura vero dico, quod plus uno sunt, sicut exempli gratia videmus in sacrosancta Trinitate, quae unum est, et plura; unum natura, plura personis; igitur alterius respectu est unum, et alterius plura; nequit ergo fieri, ut eatenus plura sit quatenus est unum; vel eatenus unum, quatenus plura. Sic et de Christo, pro confesso est, unum quid esse, secundum hypostasin. Rursus in confesso est, juxta sanctorum Patrum auctoritates, Christum esse duo respectu naturarum; nequit ergo fieri, ut unum sit quoad naturas. . . . . .

Gener. Ego naturam unam dico respectu indiremptae unionis, ne Christus in duos Christos dividatur.

Theor. Utram ergo naturam dicis? divinam an humanam? an praeter has aliane nec divinam scilicet, nec humanam?

Gener. Unam naturam compositam dico ex divinitate, et humanitate.

Theor. Si unam naturam compositam dices, mutationem et confusionem naturarum introducis, ex quibus una fuerit composita natura. Iam, si placet, in una quadam composita natura propositam quaestionem exploremus. Hoc lignum unius est omnino compositae naturae: nam ex terra, et aqua, et igne, et aëre constat, et est jam una natura de his composita: verum mutatio et alteratio praecessit earum naturarum, de quibus factum est: Id iam nec est, nec dicitur aliquid earum naturarum, de quibus est compositum: quippe nec ignis est, nec esse dicitur, nec aliud quid earum, quae in ipsius compositionem concurrerunt. At ea non est in Servatore ratio, sed naturae manserunt immutabiles, unione indissolubili ad perfectionem unius hypostasis coeuntes; ac nunc quaelibet in unum coeuntium naturarum et est, et dicitur mutationis expers: propterea idem perfectus Deus, et homo perfectus est, atque dicitur: quippe non antegressa est eorum aliqua mistio, vel mutatio, vel confusio, quae ad constituendum

Emmanuelem coiverunt: nequit igitur ulla natura composita esse Christus; nam hoc in ligno, aliisque talibus locum habet.

Gener. Cur sancti Patres exemplum illud hominis ubique sursum (ut ajunt) ac deorsum ad dispensationem servatoris accomodant, si quidem ejus similitudinem non retinet, cujus exemplum est?

Theor. Proferunt illi sancti viri hoc de nobis ipsis exemplum, ad declarandum istud circa Emmanuelem mysterium; ut demonstrent, unum esse Christum, non duos, uti Nestorius ajebat, ac superius est indicatum: licet exemplum ipsum in altero non procedat.

Gener. Quantum ergo prodesse videtur ad institutum tuum, tantum de hoc exemplo admittis; quantum vero repugnat, rejicis.

Theor. Merito id quidem: hoc enim scriptura sacra in exemplis facere consuevit. Nimirum alicubi Servator noster ad discipulos suos inquit: *Sequimini me, ac faciam vos piscatores hominum.* Ergo si exemplum per omnia servabimus, dicendum erit, Apostolos e vita traxisse homines ad mortem; hoc enim piscator facit, trahit pisces ad eorum interetum: sed absit, ut ita de rebus Christianis sentiamus. Rursus alio loco scriptura de Christo dicit: *Procumbens sopitus est instar Leonis, et catuli Leonini: quis excitabit eum?* Itaque nisi pie hujusmodi accipiamus, et ad sacrae scripturae scopum ea dirigamus, atque interpretando duntaxat ea referamus, quo pertinent, non tantum in absurditates, sed etiam contumelias infinitas prolabemus.

Gener. Sapientissime loqueris: verum uti tu dicis, exemplum hoc hominis eo tantum a sanctis Patribus usurpatum, ut ostendatur, quemadmodum ex anima et corpore unus homo constat, ita et Christum unum ex divinitate, humanitateque constare: sic et ipse dicere possum, eos ad hoc sumere istud hominis exemplum, ut ostendant perinde, atque anima et corpus unam hominis naturam absolvant, uti sanctus Cyrillus loquitur; ita etiam ex divinitate, atque humanitate naturam unam esse absolutam; nec in homine

mutationem naturarum deinceps compositarum comitatum nec in Christo.

Theor. Nisi prohibitum esset a sanctis Patribus, ne unam in Christo naturam, post factam unionem dicamus, fortassis ausus fuisset aliquis itidem, ut tu dicis, hoc exemplum interpretari: licet ipsa rerum natura sic illud accipi non permittat, uti demostrabitur: nunc cum tales, ac tot sancti viri hoc prohibuerint, tanquam sacrilegum: *(Quae,* inquit divus ille Ambrosius, *tantum sacrilegium inferna vomuerunt?)* ceu pium recipere erit, hominis nulla mente praediti.

Gener. Dixisti supra, ne ipsam quidem rerum naturam pati, ut sic accipiatur: quidnam igitur est impedimento? quove pacto natura rerum in his adversatur.

Theor. Natura de universalibus, et communibus dicitur, non de particularibus, et individuis. Homo quiddam est universale; nam de Petro et Paulo, et omnibus singillatim hominibus praedicatur: quapropter et una natura dicitur. Omnes enim homines ex anima rationale praediti, et corpore constant, hominisque definitionem recipiunt, nimirum hanc: Animal ratione praeditum, mortale: Definitio vero naturam rei subjectae demonstrat, quam ob causam individua propriam definitionem non habent. Christus autem nec universale, nec commune quiddam est: una nimirum est hypostasis, una persona, quasique individuum: non enim alii Christi sunt, ex divinitate, atque humanitate constantes, de iis ut praedicetur: ea propter una nequit esse natura: nam particularis et individua natura reperiri nequit: sed omnis natura universalis est, deque pluribus dicitur. Non longe abeamus: natura divina praedicatur de Patre et Filio, et Spiritu Sancto: itidemque Angelorum natura de Michaele, Gabriele, caeterisque: hominum denique, de Socrate, Platone, de reliquis particulatim hominibus: similiter et bos, et equus, aliaque talia, de omnibus sub se individuis. Quoniam ergo natura quiddam est universale; Christus autem quiddam universale non est, manifeste patet, homines recte sentientes

nunquam dicturos eum unam naturam. Itaque cum et ab ipsa natura rerum, et a sanctis viris interdictum sit: non modo supervacaneum, sed nimis audax quoque mea fuerit opinione, unam in Christo naturam dicere.

Gener. Meum vero animum semper Cyrilli verberat auctoritas, cum ait: *Una natura Verbi incarnati.* Nam saepenumero mecum ipse considerans, perspicere non potui, quam ob causam dixerit unam naturam Verbi incarnati, quapropter agitata mens mea, ceu dixi, sursumque deorsumque, pedibus suis, ut ita loquar, requiem quaerens, tandem in eam sententiam venit, ut diceret: nisi voluisset indicare, naturam unam Verbi, et carnis essse post unionem, nunquam hoc protulisset: quippe nullus haereticorum naturas duas Verbi dixit, ut adversus illos opinionem divinus hic Vir diceret naturam Verbi unam.

Theor. Fortassis illius magni Athanasii librum adversus Arianos quartum non legisti; quippe si legisses, nullam mens tua succussionem experiretur. Nam ex eo cognoscere licet, Arium tradidisse duas naturas Verbi, unam creatam, et alteram increatam. Dicit enim in eo libro magnum illud lumen Orbis Athanasius: *Beatus ille Alexander Arium expulit ab Ecclesia, proferentem haec sacrilega: Non semper Deus pater, non semper erat filius. Item: De nihilo filius est, et creatura est, et existendi principium habet: nam cum Deus nos creare vellet, tunc eum propter nos fecit, et ex quo factus fuit, appellavit eum Sermonem, et Sapientiam, et Filium; Sermonem, vel Rationem, propter creata sermone, rationeque praedita, quae condidit: Sapientiam propter eos, quos erudiit: Filium, propter eos, quos adoptavit.* Addebat etiam, *alium esse in Patre a natura et proprium substantiae ipsius Sermonem, ac Sapientiam, in quo illum fecerit, quodque natura sua mutationi sit obnoxius, et per communicationem, ut homines justi, Deus appelletur; alienus interim a Dei natura. Item: ut erucham et bruchum sic et ipsum Potestatem Dei dici. Patrem*

quoque filio inadspectabilem esse: nam filium, qui principium habeat, expertem principii non posse perfecte cognoscere, nec tantum illum accurate Patris naturam non nosse, sed ne suam quidem. Hujusmodi alia quoque nugabat. Et haec quidem ex illo magno Athanasio. Dicamus et nos, quae diversis ex Patribus excerpsimus, unde suum ille delirium confirmaverit. Probans enim, alium esse insitum Patri sermonem, et ipsius substantiae proprium, dixisse Christum ad Judaeos, ajebat: *Novi Patrem, et Sermonem ejus servo.* Quibus in verbis eum sermonem intelligebat, quem insitum ipse dicebat; ignorans, Christum hic sermonem vocare voluntatem Patris. Praeterea dicebat, Patrem ad filium haec verba protulisse: *De utero ante luciferum genui te.* Et alibi ad populum prope Jordanem: *Hic est filius meus dilectus.* Et in Transformatione similiter. Hinc ajebat: Si Pater per Sermonem ad filium loquebatur; alius scilicet erit Sermo, quam Filius. Igitur adversus hanc opinionem magnus Athanasius ille dimicans, unam naturam Sermonis, seu Verbi incarnati dicebat: non unam incarnatam, et Dei substantiae propriam, aliam creatam, et ab eodem alienam. Atque hinc beatus ille Cyrillus id Verbum mutuatus, unam dixit naturam Sermonis incarnatam. Et hoc est quod ait: Uti Patres loquuti sunt. Patres appellans Magnum illum Athanasium, et reliquos, qui se impio illi Ario opposuerunt.

Gener. Plurimum mihi profuisti mi Frater. Ignorabam enim, ex haereticis aliquem hoc dixisse. Nunc mens mea perceptis magni Athanasii verbis, quietem adepta est.

Theor. Habes, Sanctissime Domine, testimonia sanctorum hominum plura de eo, quod naturas duas in Christo et credere debeamus, et confiteri: minimeque naturam unam in eo dicere; quin et causam audivisti, propter quam Patres dixerint unam naturam incarnatam. Itaque nihil post hac negotii nobis de hoc facesses; sed malam in rem cat unius in Christo naturae confessio: nam ex ea non exiguum nascitur offendiculum. Nec ignorat magna Sanctitas tua, vocem

aliquando non malam, quae male tamen ab aliquibus intelligeretur, et exponeretur, rejectione dignam a Patribus esse judicatam; qualis et Christiparae vox est, Deiparae Virginis tributa: nam et Christiparam dicere poteramus: Christum enim peperit, Deum et hominem, quod ipsum nomen proprie denotat; sed quod ejus nominis significationem a Nestorio nequiter acciperetur, et velut sacrilegum a sanctis hominibus repudiatum est. Debes ergo, Sanctissime Domine, illam quoque vocem, judicatam a Sanctis sacrilegam, *quae tantum,* ait Ambrosius, *sacrilegium inferna vomuerunt?* uti sacrilegam, missam facere: nec judicium tuum illorum judicio firmius ducere; nec pati ut tuum judicium pluribus occasionem offendiculi praebeat.

Gener. Recte dicis; sed date mihi quartae Sinodi de fide definitionem. Quam cum ei obtulissemus, ad quietem nos compositurі discessimus.

Postridie ejus diei, Episcopus Cessunii Joannes Syrus adpulit, et cum intellexisset, Generalem Armenorum, multoties habito cum Romanis colloquio, verbis eorum assentiri, jamque per omnia cum eis convenire (probat enim, ajebant alii, quae ab ipsis dicuntur, nihil adfirmans extra sacras scripturas a Romanis proferri: sed ex Sanctis Patribus, quos ipsi quoque veneramur, suam eos doctrinam adserere) ad Generalem ascendit; et, Quid hoc rei est, inquit, Domine, quod de tua insigni Sanctitate audio? Tunc Romanis, errores Nestorii probantibus, adsentiris?

Gener. Ego Romanis non adsentior; immo nec Patriarchae Constantinopolitani, nec ipsi excelsissimo supra omnes Imperatori, vel propter dignitatem Patriarchalem, vel maiestatem imperatoriam paruissem; nisi veritatem ipse agnovissem. Eam vero negare nequeo; nec Sanctis Patribus adversari possum. Respondit Generali Syrus: Audivi te quoque naturas duas in Christo confessum esse. Nosti vero, Nestorii nos opinionem sequi, si duas naturas confiteamur, et pro Trinitate Quaternionem, propter naturae alterius accessionem, habituros.

Gener. Heri, ac nudius tertius, propemodum totam hanc hebdomadam plurimum laboravimus, quotidie colloquentes: hodie vero, et cras quiescere volumus, animumque remittere, post triduum vero, si placet, nobiscum aderis in colloquio: quodque tibi ad animum acciderit, dices: nos quidem id lubenter audiemus.

Caeterum ubi advesperasset, accessit ad Theorianum Doctor Vartanes, nesciente Generali, et ait: Episcopus ille Syrus, et noster Generalis totam hodie diem inter se colloquuti sunt de una, duabusque naturis. Tum Theorianus, vellem, ait ad Vartanem Magistrum, quaenam ea sunt, quae Syrus ille ad dogmatis sui probationem dicat, cognoscere. Vartanes vero, nihil, inquit, ultro citroque nostrum ad Generalem protulit, nisi hoc: Si duas in Christo naturas dixerimus, non Nestoriani dumtaxat erimus, sed et Quaternionem loco Trinitatis in divinitate confitebimur, propter naturae alterius accessionem. Tum Vartani Theorianus: Et quibus, ait, probationibus hoc demonstrabat? Nec auctoritatibus, inquit Vartanes, nec syllogismis orationem suam probabat: sed tantum ita contentiose, ac inconsiderate voces confusas effundebat, ut Sacerdotibus suis aliquid dicere videretur. Theorianus vero Vartanem interrogans, Quid, ait, Generalis ad ista dixit? Dixit, inquit Vartanes, tota ista septimana plurimum laboratum esse, quotidianis colloquutionibus habitis; nunc aliquot diebus labores remittendos. Ubi vero colloquium denuo inchoabimus, inquit, ipse nobis adesto, si placet; ac quidquid ad animum tibi acciderit, dicito: nos quidem id libenter audiemus.

Post aliquot dies accersiti, ascendimus in Coenaculum, ubi nuper quoque colloquuti eramus: invenimus autem Syrum illum Episcopum ad dextrum Generalis latus assidentem, et Armenos Episcopos sedentes singulos suo loco: cumque nos ad sinistram Generalis pro more considere jussi fuissemus, deinde consedissent et Episcopi; (quippe primas sedes in consessu nobis offerebant) nullo tempore nihil omnino quisquam ad alterum ulla de re proferebat, sed commune silentium erat. Igitur ubi jam plurimum temporis praeteriisset, his verbis

Generalem Theorianus allocutus est: Audivi, quosdam esse, qui dicant, si duas in Christo naturas confiteamur, non modo nos futuros Nestorianos, sed etiam Trinitatis loco Quaternionem praedicaturos; ac miror equidem, quo nam pacto, qui haec dicunt, perspicere non potuerint, minime Nestorium propterea depositum fuisse, quod duas naturas diceret, (hoc enim illustri et clara voce divini Patres universi praedicant: Cyrillus quidem his verbis, duas naturas esse dicimus: Gregorius vero Theologus; naturae duae, nam Deus et homo: caeterique omnes, quos antea tibi produxi testes) sed quod diceret naturas duas invicem separatas, divinam seorsum, itidemque seorsum humanam; ea propter duos filios, et duos Christos esse, fanaticus ille statuebat; alium filium esse delirans, qui ex Deo Patre sit, alium qui ex Virgine; quam ob causam et sanctam illam Virginem vocare Deiparam nolebat. Quod autem minime Nestorius unionem confessus sit, sanctus ille Cyrillus in Epistola ad Eulogium his verbis ostendit. „Sic et in causa Nestorii, quamvis duas naturas, discrimen carnis, et Verbi indicans, dicat; (alia namque natura Verbi est, alia carnis) unionem tamen nobiscum non confitetur. Nos enim his unitis, unum Christum, unum Filium, unum Dominum confitemur.“ Addit vero, quod subjicitur, Trinitatem fore Quaternionem, si duas naturas in Christo confiteamur; pro nobis sanctus ille vir Athanasius satisfaciat.

(Hic refert Theorianus excerptum ex epistola S. Athanasii ad Epictetum, in qua S. Doctor explodit errores Severi, aliorumque similium haereticorum, quibus Episcopus Syrus innitebatur, quamvis eos non defenderet.)

His dictis, surgens ille Syrus Episcopus, nullo verbo prolato, e Coenaculo cum Sacerdotibus suis egressus est. Interrogatus autem a Sacerdotibus suis, cur nihil cum philosopho loquutus esset; non sibi licere, dixit, in aliena Synodo de hujusmodi rebus loqui, sine mandato patriarchae sui.[1]) —

[1]) Quae sequuntur ab illis verbis „Tunc exsurgens“ protulit Card. Mai ex Mss. Vaticanis: deerant in Codice Levenclavii, et idcirco Galano ignota fuerunt.

Tunc exsurgens Stephanus Doctor ait: Rogo Sanctitatem Vestram ut parumper me audiatis. Postquam ei dicendi copia data est; quidam, inquit, ludimagister coepit puerulum edocere, aiebatque ipsi: dic alpha. Is autem nolebat dicere. Rursus ludimagister aiebat ipsi; dic alpha. Is vero nolebat. Tum ludimagister stomachans ait puerulo, cur non loqueris? qui respondit, alpha dicere expavesco, ne me deinceps ceteras quoque litteras pronunciare cogas. Eadem ego responsione utor: nam si duas in Christo fatebimur naturas, prorsus opus erit duas quoque dicere operationes et duas voluntates, atque ita unus idemque Christus unam eandemque rem volet nolet, et pugna quaedam adversus se ipsum uni subjecto erit: quod quidem ne cuilibet quidem homini accidere vel congruum vel probabile quispiam dixerit.

Theor. Eum qui dicat duas invicem contrarias voluntates, et duas discordes in Christo operationes, o doctor, ne tantisper quidem audire patiemur. Nam et quatenus homo volendi facultate praeditum erat incarnatum Verbum; illa tamen a voluntate divina promovebatur et informabatur, non autem repugnabat. Namque humana voluntas, ut ait divus Gregorius, Deo non adversabatur, quia tota deificabatur. Quod si deificabatur, ab unione scilicet cum Deo deificabatur. Jamvero deificans et deificatum, duo prorsus sunt, non unum; quoniam relativi termini sunt deificans et deificatum: relativi autem termini omnino invicem connectuntur, et alterum cum altero cogitatur. Habuit igitur naturalem voluntatem ut homo Servator, divinae ipsi conformem non adversantem: nam quod naturale est, prorsus Deo non adversatur; alioquin creator reprehendendus esset, qui natura sibi contrarium creasset.

Stephanus doctor ait. Atqui in unica hypostasi duas adfirmare voluntates, impossibile, inexplicabile, et incredibile est. Qui enim fieri potest, ut qui unus est, in se dividatur?

Theor. Fateris ne, Christum esurisse, sitisse, dormitavisse, et fatigatum esse, ut hominem verum nec ne?

Doctor. Quid ne? Homo quum esset, haec omnia vere non secundum phantasiam habuit.

Theor. Num igitur esuriens comedere volebat, sitiens volebat bibere, somno gravatus dormire, et cetera similiter?

Doctor. Maxime volebat, etiam quatenus Deus, sanctam ejus carnem cibo uti.

Theor. Aliter usurpasti dictionem „quatenus“ non autem juxta ipsius magis proprium significatum. Nihilominus tibi obsequar. Volebat, ais, et jam quatenus Deus, sanctam ipsius carnem cibo uti?

Doctor. Rectissime dicis.

Theor. Age vero caro ejus, sive humanitas, volebat ne divinitatem ipsius cibo uti?

Doctor. Minime gentium.

Theor. Divinitas autem ejus volebat ne ipsa manducare?

Doctor. Apage.

Theor. Quid ergo hinc concluditur? Nempe duo esse, nec sibi contraria. Caro enim volebat comedere, suaque viscera fame exinanita complere: divinitas autem nolebat comedere, nec sua viscera quasi fame exinanita complere: neque enim exinanitur divinitas.

Doctor. Haec quidem verissima.

Theor. En sanctissima Christi caro volebat ob sui, ut ita dicam, conservationem, comedere: quod quidem divinitas sibi ipsi nolebat. Rursus divinitas volebat, sanctissimam Verbi carnem cibo uti; et caro ipsamet volebat comedere. En tibi ut humana Christi voluntas divinae suaemet obsecundabat.

Doctor. Cur dixisti, me dictionem „quatenus“ haud usurpasse prout ejus primarius significatus fert?

Theor. Quia dixisti, quatenus Deus, vult comedere. Nam reapse vult comedere, quatenus esurit: esurit autem non quatenus Deus, sed quatenus homo.

Doctor. Hoc quidem omnes sciunt.

Theor. Qui vero, satis ne tibi persuasimus, doctor, ut duas fatearis in Emmanuele voluntates, an divinorum quoque oraculorum testimonia requiris?

Doctor. Si scrutari scripturas jubemur, quia in ipsis vita aeterna latet, et ipsae de se, Christus ait, testantur, necesse est audire quid de hoc doctrinae capite loquantur.

Theor. Scrutare igitur verba haec „Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu“. Deinde et illa „Voluit Jesus, in Galilaeam ire“. Exploratum est ipsum voluisse illuc ire, quatenus ibi non erat. Non erat autem ibi quatenus homo; nam quatenus Deus, nusquam non erat: ergo quatenus homo, non quatenus Deus, ingredi voluit: adeoque voluntate praeditus erat, etiam quatenus homo. Item alibi: „Volo, inquit, ut ubi sum ego, et ipsi sint.“ Si quatenus Christus est Deus, supra illud Ubi est: (quatenus enim Deus est, in loco non est) fieri vero nequit, ut natura creata supra idem illud Ubi sit: sane quatenus homo est, vult, ut ubi sit, ibidem et ipsi sint: adeoque voluntate praeditus — erat, etiam quatenus erat homo. Rursus alibi: Cum venisset ad locum, sitire dixit. *Et obtulerunt ei vinum felle mistum, quo gustato non voluit bibere.*

Secundum quam partem ipsius dixeris eum sitiisse? Si secundum divinitatem, affectibus erit obnoxia divinitas ejus, quae natura sua potum appetiverit. Sin quo ad humanitatem; sane quatenus sitiit, eatenus et quod naturae non conveniebat, bibere noluit; eratque voluntate praedita idem, etiam quatenus erat homo.....

Doctor. Quinam voluntates appellare debemus? naturales an hypostaticas?

Theor. Naturales; quippe si voluntates hypostaticas dicemus tres in sacrosancta Trinitate voluntates concedemus; quoniam tres sunt hypostases. Igitur ut una voluntas est in sacrosancta Trinitate, quoniam una natura; sic duae voluntates in Christo sunt, quoniam duae naturae sicut est indicatum.

Doctor. Valde me juvisti per exemplum illud sacrosanctae Trinitatis: estque mihi persuasum, debere nos voluntatem naturalem dicere, non hypostaticam. Itaque cum duas in Christo naturas concedimus, necessario duas quoque voluntates confitebimur, divinam et humanam.....

Tum religiosissimus Episcopus Isaac dixit: Sufficiunt haec de duabus voluntatibus Emmanuelis, iis quidem, qui non contentiose, quae dicta sunt audiunt. Nunc si placet, etiam de geminis actionibus dicito.

Theor. Ad demostrandum actiones Christi duplices, apud vos oratione polixa non opus esse arbitror, qui sacris litteris estis innutriti. Nam expuere, lutumque ex sputo conficere, caecique pupulas inungere hominis omnino actio est; quippe divinitatem expuere, non dicemus, si non insani simus. At lutum illud in oculum et lucem convertere, id vero divinitati omnino attribuimus. Ejusmodi quis infinita reperiet, si oracula divina diligenter inspexerit. Erit autem res tota perspicua de gladii quoque candentis exemplo; nam is pariter et secat et urit; estque dubio procul ustio quidem non ferri, sed ignis: sectio vero non ignis sed ferri: effecta denique diversarum naturarum sunt, tam sectio quam adustio; verum propter unionem, non ignis tantum esse dicimus hanc ustionem, sed etiam ferri. Sic enim loqui solemus: Hoc ferrum urit. Sic quoque rem considerabimus; animae est, corpus suum animare, ac vivificare; quod quidem ex amborum diremptu patet: nam anima tempore mortis a corpore suo dirempta, corpus mortuum manet; cum ergo divinitas ejus nunquam nec a corpore nec ab anima dirempta fuerit; quo pacto vim istam animae, vivificantem scilicet, non habuit ejus divinitas? nimirum a corpore indirempta; eique copulata hypostatice, mortuum manere corpus haud sinebat? quippe cum inest anima corpori, nunquam illud mortuum est. Nam cum anima est spiritus vitalis, corpus ipsum vivificat: sicut etiam alicubi sapiens ille Salomon, de impiis quibusdam, et de astrorum cultoribus loquens, dixit: *Luto vilior est vita ipsorum; quoniam ignorarunt eum, qui finxit eos, et efficacem animam inspiravit eis, ac spiritum vitalem eis efflavit.*

Gener. Quicumque conscientiam suam pedibus proculcat, praesertim in doctrina fidei, non dignus est appellari Christianus. Ego vero, Deum testem appellans, fateor, me et ejusdem vobiscum fuisse fidei, et esse, ex quo libros sacros inspexi: cujus scilicet es ipse fidei, et in medium abste producti divi Patres.

Theor. Si sic credebas, et nunc credis: quare scribebas in epistola: Dicimus unam in Christo naturam?

Gener. Equidem respiciens ad illud exemplum ab homine sumptum, quo sancti Patres usi sunt: homine, inquam, ex anima, corporeque composito, quique post unionem esse natura dicitur una, et naturas, ex quibus est compositus, inconfusas, et mutationis expertes continet: minime mihi, ceu multoties tibi jam dixi falli videbar. Praeterea putabam illum Cyrillum, cum dicit unam naturam Verbi incarnatam, hoc ipsum indicare velle. A pluribus denique audiebam, Romanos exemplo Nestorii duas naturas separatas statuere. Quamobrem unius naturae vocem vehementer propugnantes, pro separatis naturis, una reponebamus. Interim mente sic sentiebam et sentio, quemadmodum ipse nobis declarasti per eas demonstrationes, quas ex divinis litteris contexebas. Itaque si nunc aliud caput habes, adjicito; ut etiam de illo, si videbitur, colloquamur.

Theor. Ergo rursus ex epistola tua legere pergamus.

Gener. Age vero.

Cum igitur legeremus, ad eum locum venimus, ubi scriptum erat: Habitavit in utero Virginis novem mensium, et quinque dierum spatio. Dixit ergo Theorianus: Unde quaeso id habes, quod novem mensium, et quinque diebus habitaverit in castissimae Virginis utero?

Gener. Accipimus a Doctoribus nostris, primigenia quinque diebus in matrum suarum alvo diutius existere, quam foetus non primigenios: atque huic opinioni fidem conciliant ex illo sapiente Salomone, de seipso dicente: „Decem mensium spatio defixus in corpore fui.“ Quibus verbis hoc indicare vult, quod non modo novem mensibus in utero matris suae fuerit: sed etiam decimi partem aliquam coeperit. Noster igitur Emmanuel, tanquam foetus primigenius, par temporis spatium in utero matris exegit.

Theor. Salomon Hebraeorum more tempora metiens, decem mensium spatio se in corpore defixum fuisse dicit; quippe menses Hebraeorum minores sunt nostris mensibus. Nam secundum lunam menses suos dimetiuntur: adeoque Lunae principium faciunt mensis principium; ac vicissim Lunae finem, mensis sui finem. Nunquam vero Luna dies XXX vel XXXI

instar nostrorum mensium habet: itaque juxta numerum Hebraeorum mensium Salomon dixit: Decem mensium spatio defixus in corpore fui. Caeterum lumen illud Orbis Joannes Chrysostomus in oratione de Nativitate Domini nostri Jesu Christi; qua etiam clare demonstrat, quando Natalis Servatoris celebranda sit: cujus quidem orationis hoc est exordium. „Quae olim Patriarchae parturiebant praedicabant vates, justi videre desiderabant, ea nunc evenerunt, hodieque consummata sunt“ sub huius igitur orationis medium Chrysostomus ait: „Cum Joannem Elisabetha sextum jam mensem in utero gereret Mariae conceptio principium habuit. Hinc jam cognito conceptionis Mariae principio, novemque mensibus a conceptione enumeratis quando peperit, sciemus“. Non menses novem, et dies quinque dicit, uti Tua Sanctitas scripsit.

Gener. Nos orationem illam Chrysostomi non habemus; at enim hoc emendatu facillimum fuerit, itaque missum id faciamus, et sequentia videamus.

Ulterius ergo legentes epistolam, ad caput de festis pervenimus, in quo haec erant verba: Quod Nativitatis, et Baptismi festum uno, eodemque die celebramus: id recte fieri, multis testimoniis docemus. Primum omnes ecclesiae sic factitabant, inde usque ab Apostolis. Altera ratio; quod Evangelista Lucas id testatur; quippe commemorat, in festo Propitiationis, quod est mensis Tisronis die X. hoc est XXVII Septembris, quo Zaccarias pontifex templum ingressus fuit, et suffitum fecit, et Angelum aspexit.

Ad haec Theorianus, Unde constat, ait, diem X. mensis Tisronis esse XXVII Septembris?

Gener. Ex hebraico.

Theor. Qui nam ex hebraico? atqui menses Hebraeorum, nostris mensibus non respondent; nec ipsorum mensibus nostri: quod sane manifestum est ex Paschate; propter illam enim causam aliquando Martio mense, aliquando Aprili Pascha celebramus; cum illud Hebraicum Pascha non sequamur, at illi nunquam a primi apud eos mensis, videlicet Nisanis, die XIV. recedunt, quemadmodum lex Mosaica prae-

cipit: quo fit, ut qui primus apud eos mensis est, nonnunquam in eum, qui apud nos Martius dicitur, nonnunquam in Aprilem incidat; ideoque menses in ordine caeteri necessario sequuntur eum, qui apud ipsos primus est: ac septimus ipsorum mensis, quo festum Propitiationis apud eos celebratur, non semper in Septembrem nostrum incidit; sed necesse est, nonnunquam ut anticipet, nonnunquam accedat tardius, undenam ergo certus es, diem XXVII. Septembris, esse Tisronis X.?

Gener. Sic a Majoribus nostris accepimus.

Theor. Qui accepisti? per scripturam? an citra scripturam?

Gener. Citra scripturam.

Theor. Ex iis, quae dicta sunt de inaequalitate nostrorum et Hebraeorum mensium, manifestum est, non te scire certo, an dies, X. Tisronis sit XXVII. Septembris; quod cum ignores, nec Joannis conceptionem nosti; uti scilicet ejus mense sexto, reperire Domini conceptionem possis.

Gener. Equidem aliam certitudinem non habeo, corrigatur tamen hoc quoque, Deo propitio, si quae majoris momenti sunt, emendata fuerint: nam ego divi Chrysostomi orationem, qua docet, quando Natalis Christi celebrandus sit (cujus ipse supra mentionem fecisti) hactenus non vidi; immo ne quidem audivi, aliquam Chrysostomi orationem ejus argumenti extare: potius intellexeram, esse quamdam de hoc orationem sancti Epiphanii, Cypri Episcopi; quam ipsam quoque non vidi. Ajunt enim, divum Epiphanium, qui esset Hebraeus natione, de litteris Hebraeorum, et Annalium scriptore Josepho affirmasse, Natalem Servatoris die XXV. Decembris celebrandum: cum eo consentire dicunt et scripta, quae Titus Hierosolymus Romam deportaverit, cum eam urbem caperet. Verum non magnopere sollicitus equidem fuero de festis, aliisque consuetutidinibus Ecclesiae, modo sententiis de fide conveniamus.

(Hoc loco Theorianus dissentit additamentum: „Qui crucifixus es „inductum a Petro Fullone, et hortatur Patriarcham ut auferat scandalum de quo toties locuti sumus: dis-

putat etiam de oleo ex olivis expresso adhibendo in sacramentali unctione etc. S. Patriarcha Theoriani dictis libenter annuit, eademque exequi promittit. Denique disputatur de receptione Concilii Chalcedonensis. Patriarchae poscenti quaedam sibi declarari. Theorianus proponit collationem Canonum, et decretorum Concilii prout graece se habent, cum versione eorundem inter Armenos circumlata. Assentitur Patriarcha: tum Theorianus legit decretum).

„Sufficeret quidem ad perfectam pietatis cognitionem ,et confirmationem, hoc eruditum, ac salubre divinae gratiae Symbolum, et quod ad perfectam de Patre, et Filio et Spiritu Sancto doctrinam tradit, et Incarnationem Domini fideliter excipientibus exhibet: sed quoniam illi, qui praedicationem veritatis abolere conantur, per suas haereses novas quasdam doctrinas pepererunt; aliis susceptae propter nos administrationis dominicae mysterium corrumpere audentibus, et Deiparae vocem Virgini tribuendam negantibus, aliis confusionem et commistionem introducentibus, et unam esse carnis, divinitatisque naturam, stulte comminiscentibus, adeoque per hanc confusionem monstruose statuentibus, divinam Unigeniti naturam esse passibilem; ea propter haec sancta, magna, et universalis Synodus, eos ab omni contra veritatem machinatione volens excludere, doctrinamque traditam antiquitus immotam asserens, ante omnia statuit ut sanctorum CCCXVIII Patrum fides inconvulsa permaneat. Ac propter eos quidem, qui Spiritum sanctum oppugnant, doctrinam de substantia Spiritus a sanctis illis CI Patribus, aliquot post annis in augusta Urbe congressis traditam confirmant; quam illi universis notam fecerunt, non quasi quiddam afferentes, quod prioribus deesset, sed suam de Spiritu sancto sententiam adversus illos, qui potestatem ejus abolere conabantur, sacrarum litterarum testimoniis illustrantes. Propter eos vero, qui Sacramentum dominicae dispensationis falsariorum more corrumpere tentant, et impudenter purum hominem esse nugantur eum, qui de sancta Virgine Maria procreatus fuit; beati Cyrilli, qui Alexandrinae pastor Ecclesiae fuit, Synodales ad

Nestorium, et Orientales Episcopos litteras sibi consentientes amplexata est, tum ad Nestorianae dementiae confutationem tum ad interpretationem pro iis institutam, qui pio zelo Symboli salubris intellectum desiderant; atque his epistolam quoque beatissimi sanctissimique Archiepiscopi Leonis, illius maximae Romae Praesidis, ad sanctae memoriae Flavianum Archiepiscopum, evertendae depravationis Eutychianae causa scriptam, veluti magni illius Petri confessioni convenientem, et columnam quamdam rectae sententiae publicam adversus malarum opinionum auctores, ad orthodoxa dogmata stabilienda merito conjunxit. Nam et iis haec opponit sese, qui sacramentum dispensationis in duos filios distrahere nituntur; et eos coetu Sanctorum expellit, qui passibilem dicere divinitatem Unigeniti audent; et iis resistit, qui in duabus Christi naturis commistionem et confusionem excogitant; et eos exterminat qui sumptam de nobis servilem formam coelestem esse, vel alterius cujusdam substantiae delirant; et eos, qui duas quidem Domini naturas ante unionem fabulantur, unam vero post unionem fingunt, anathematizat.

Sequentes ergo sanctos illos Patres, universi consona voce unum et eundem filium, Dominum Nostrum Jesum Christum confitendum esse docemus; eundem in divinitate perfectum, et eundem perfectum in humanitate; vere Deum, et eundem vere hominem ex partibus rationis anima, corporeque constantem; ejusdem cum Patre substantiae secundum divinitatem, et eundem nobiscum ejusdem substantiae secundum humanitatem, similem nobis per omnia, excepto peccato: ante saecula quidem ex Patre genitum quoad divinitatem; extremis vero diebus eundem propter nos, et salutem nostram, natum ex Maria Virgine Deipara secundum humanitatem: unum et eumdem Christum, Filium, Dominum, Unigenitum, qui duabus in naturis citra confusionem, mutationem, divisionem, separationem agnoscitur; nequaquam naturarum discrimine propter unionem sublato, sed utriusque naturae proprietate salva potius, et in unam personam, unamque hypostasin coëunte; non in duas personas discerptum, vel divisum,

sed unum eundem Filium, Unigenitum, Deum Verbum, Dominum Jesum Christum; sicut olim vates de ipso, et ipse nos Dominus Jesus Christus erudiit, et Symbolum illud Patrum nostrorum tradidit.

His ergo cum omni undique accuratione, diligentiaque a nobis sancitis, sacra et universalis Synodus decrevit, nemini fas esse, fidem aliam proferre, vel in litteras referre, vel componere, vel amplecti, vel alios docere. Si qui vero fuerint ausi, fidem aliam vel componere, sive proferre, vel docere, vel aliud iis Symbolum tradere, qui de Paganismo, vel judaismo, sive secta quacumque, veritatis ad agnitionem se convertere volunt; eos, si fuerint Episcopi vel Clerici, tam ab Episcoporum, quam Clericorum ordine removet; sin monachi, vel laici fuerint, anathemati statuit esse subjectos.«

Posteaquam Concilii decretum recitatum fuisset atque liber Armenorum Romano respondere deprehensus; satis essent denique declaratae Concilii voces, sane tolerabiles, quae Generali visae fuerant obscurae: Theorianus hisce Generalem verbis compellabat: Vides, sanctissime Domine, sacrum illum Coetum IↃCXXX divinorum Patrum in Oppido Chalcedonesi congregatorum, non modo nihil extra dogmatum rectitudinem vel loquutum esse vel sensisse; sed ne una quidem peregrina voce ad hujus divini decreti expositionem usum. Nam fidem Patrum se majorum aetate retinuit, et ipsa quoque verba. Ostendam vero tibi, si placet, ex quibus antiquioribus divis Patribus hi beati Patres vocem quamlibet hujus decreti sumpserint: complures quidem certe de Cyrilli commentariis usurpatae sunt, quam vos magis, quam alios, sequi decrevistis.

Gener. Perlubenter id quidem audiemus, si dicere tibi libuerit.

Theor. Si dicere non libuisset, non promisissem. Verum per incisa singula Concilii decretum recitetur, et ad quodlibet incisum decreti, dictum illius, a quo sumptum est, adjiciatur. (Haec omnia Theorianus juxta propositum diligenter exequitur, atque) His ita recitatis, et declaratis, Generalis ad Theoriagum inquit: Equidem, post recitationem hujus decreti, nihil in eo

deprehendi, quod orthodoxae fidei repugnat, sicut et pridem fassus sum: miror etiam, qui factum sit, ut nostri Majores impudenter ad id calumniandum progrederentur. Sed arbitror, propterea quod haec sancta universalis, magnaque Synodus adversus plures se sectas objiciat, ut indicatum est; multos adversus eam ab hoste salutis humanae calumniatores fuisse suscitatos, pro multis illis vulneribus, quae ad cor ipsum ei sunt a Synodo inflicta. Rectissimum sane decretum est, uti quod a Spiritu Sancto per tot, talesque sanctos Patres dictatum fuerit; quippe nulla Synodus tam frequentem sanctorum Patrum collectorum numerum habuit. Caeterum modo tibi quiddam aperio, quod hactenus vulgo proditum non fuit. Ante CC. annos [1]) quidam Generalis Armenorum fuit, cui nomen Joannes, vita doctrinaque magnis sanctisque Patribus par, et qui disciplinas exteras universas, adeoque philosophiam ipsam non summatim attigisset; vita quidem divina, haud scio, an omnibus, plurimis certe praeivit; dignus habitus, tam vitae, quam doctrinae gratia, qui hoc sacro gradu, solioque Generalium potiretur. Hic divino repletus zelo, contra Monophysitas ruebat, et toto eis propemodam Episcopatus sui tempore, tam scriptis, quam lingua, infligere vulnera non desiit: cujus et sacram memoriam honorifice, pieque celebramus. Hujus divini, beatique viri Commentarius est apud me, quem contra monophysitas scripsit, pluribus scripturarum testimoniis, et enthymematis, et valentibus Syllogismis, et notionibus communibus et demonstrationibus refertus. Eum beatae memoriae Generalis Gregorius, qui non multo ante me illustris in hoc solio fuit, ita confirmavit; ut ejus in extremo haec verba praescriberet: „Sic et ego credo, quemadmodum sanctissimus Generalis Joannes hic scripsit; et ita non credentes anathematizo.“ Ac legamus sane paulum ex eo; ut hunc virum agnoscas, veluti leonem ex unguibus.

1) Graecus textus clare habet *διακοσίων ἐτῶν*, quare esset anacronismus si quis Joannem hunc philosophum esse putaret Joannem IV Patriarcham Ozniensem, qui quadragentis annis Nersetem Clajensem antecessit: nisi quis velit, in supputatione ejusdem Clajensis errorem admittere.

Theor. Equidem hoc scriptum lubentissime audiam.

Cum ergo recitatum fuisset proemium; Theorianus ad Generalem, obsecro, inquit, eximiam Sanctitatem tuam, ut hic liber describatur, ac mihi tradatur: quo Graecum factum habere in Romania possimus, ad honorem Patris ipsius, utque per eum auctor ipse a nobis celebretur.

Gener. Perplacet.

Itaque descriptus, et nobis traditus est, qui eum ad urbem augustam deportavimus.

Secundum haec Generalis ita nos compellabat: Beatus Paulus inquit: „Optarem ipsemet esse a Christo anathema pro fratribus meis, cognatis mihi, quod carnem attinet; dumtaxat ut ipsi salutem adipiscerentur.“ Idem ego de mea gente dico; et quando quidem bonus pastor etiam mori debet pro suis ovibus, omnem machinationem, atque studium adhibeo, ut omnibus omnia fiam, ut omnes, aut aliquos omnino serviam, quo et ipse dicere possim: „En ego et liberi, quos Deus mihi dedit“. Quo autem modo sim id facturus, audi. Ab hodierno die scribere litteras ad Armenorum Episcopos ubique gentium incipiam, quibus eos ad Synodum invitabo. Ea cum habita fuerit, in medium proponam auctoritates omnes, quotquot Armenii habent, et pro ipsis esse videntur: proponam et illa sacrarum litterarum testimonia, quaecumque tu mihi protulisti: ac primum quidem ero ex parte Armenorum, contra vos disserendo: deinde paulatim, ac pedetentim, nec sine multo consilio, convenienti et tempore et modo, detergere incipiam errorem, qui hactenus obtinuit: et redarguam eos et de libro sanctae memoriae Joannis illius Generalis Episcopi, quem librum tibi descriptum obtuli; de omnibus illis denique demonstrationibus, quas eruditio tua mihi suppeditavit. Ad summam, Romanus ero, proque Romanis, immo pro veritate adversus Armenos decertabo: ac spe infallibili fretus erga Deum, futurum mihi polliceor, ut oves meae vocem meam audiant, ac me sequantur; et erimus, Deo adjuvante, unum ovile et unus pastor. Quod si ad me universi accesserint, bene erit, ac benigno Deo gratias agere non desinam; sin autem, (quod evenire nolim) cum iis,

qui me sequentur, et mecum consentient, veritatis doctrinam confirmabo; et ad praepotentem, sanctumque nostrum Imperatorem, et sanctissimum Patriarcham, meos auctoritatis praecipuae Pontifices mittam, qui fidem orthodoxam scripto comprehensam adferent, manu mea subnotatam, et omnium mihi subjectorum recte sentientium Episcoporum subscriptiones continentem; quique tam voce propria, quam per scripturam, nostro nomine pariter, et amplexorum veram sententiam Armenorum, eam confirmabunt. Atque huic comprehensae scripto fidei hoc quoque praeter alia insertum erit. Nos habitam Chalcedone magnam, universalem, quartam illam sacram Synodum recipere cum iis sanctis Patribus, quos ea recepit: quos autem ex adverso anathemati subjicit, eos nos quoque anathematizare, nimirum Euthychitem et Dioscorum, et praeter hos Severum et Timotheum Aelurum, et omnes qui adversus eam nugas meras effudiverunt. Quotquot autem cordis oculos ad veritatis lucem clauserint, et se viris illis sanctis doctiores existimabunt, aeterno anathemati tradam. Deinde cum haec omnia in Urbe augusta, Synodo interveniente, corroborata fuerint, ac reversi mei Pontifices: si quidem piissimus imperator jusserit, et ipse urbem augustam ingrediar, adoraturus et res quidam sanctas ac veneratione dignas, et Apostolis parem et sanctum Imperatorem, et sanctissimum Patriacham. — Quibus dictis, e Coenaculo expulit universos, et animo dolorem prae se ferente, plenisque lacrymarum oculis, ita nos adfari coepit.

Obsecro benignum et sanctum Imperatorem nostrum, ut posteaquam mei Pontifices Constantinopolim ingressi, et haec quae diximus, omnia confirmata fuerint: jubeat, sanctissimum et universalem Patriarcham, ornatum pontificalibus suis, quae gestare consuevit, quoties sacrum Ministerium peragit, in Ambonem conscendere, vel in sacrosanctum illud solium, post sacram missam collocatum, crucem sanctam manibus suis tenentem, et venerabilia ligna, audienteque toto Ecclesiae corpore, ac populo, genti Armenorum bene precari, quae totum prope saeculum execrationi subjecta fuit; deinde curet, serias concipi preces etiam pro iis Armenis, qui obdormierunt: ut

Deus, qui omnium vult salutem, profectum hoc ex ignoratione non malitia, delictum eis remittat.

Cum ergo videremus eum, haec corde contrito, et cum gemitibus ad nos proferentem; nos quoque moti sumus ad commiserationem, totique meras in lacrymas et lamentationes soluti. Deinde cum paululum temporis intercessisset, et quasi ploratus conquievisset, Theorianus dixit: Has preces tuas, Domine, praepotenti, et sancto Imperatori nostro exponemus. Inde tradita nobis epistola ad piissimum, et sanctum et Christianum Imperatorem nostrum, qua et illud complexus erat, se magnam illam, et universalem, sanctamque Synodum quartam, Chalcedone habitam, recipere: pacifice nos dimisit; tactoque capite nostro, bene nobis est precatus. Nos autem, actis Deo pro his omnibus gratiis, Constantinopolim continuis itineribus proficiscebamur. Deum interim et collaudantes et praedicantes, cui quidem omnis maiestas, honos, adoratio, et magnificentia saeculis infinitis competit. Amen.

APPENDIX V.

Theoriani Disputatio secunda cum Nersete Patriarcha Armenorum.

Anno ab orbe condito VIM.DC.LXXX, qui erat annus trigesimus post imperium susceptum a piissimo imperatore, Christi amante, et a Deo coronato Domino Manuele porphyrogenito Comneno; tertio mense secundi anni post initam imperii societatem a filio ipsius Domino Alexio imperatore Nostro a Deo coronato Comneno, indictione quinta, die mensis secundi vigesima, pervenimus denuo Romelam, salutatoque imperatoris verbis Armenorum Generali, regium sacrarum litterarum exemplar tradidimus, quae publicae ipsius epistolae respondebant: deinde verbis quoque Patriarchae oecumenici salute impertita, patriarchales similiter litteras obtulimus. Tum Generalis comiter admodum et laetabundus de felicitate ac salute imperatoris, deque ecclesiarum statu, nos percontatus est: cui postquam quae opus erat respondimus, ad quietem secessimus. Sera autem nocte misimus ad Generalem, per Michaëlem interpretem, imperatoris arcanam epistolam qua Generalis aeque arcanae epistolae responsio fiebat. Porro arcana imperatoris epistola hujusmodi erat:

Manuel in Christo Deo fidelis rex porphyrogenitus a Deo coronatus, dominator fortis, excelsus, semper augustus, imperator Romanorum, Comnenus, reverendissimo summeque colendo Armenorum Generali gratiam suam D.

Reverentiae tuae epistola, quam per hominem subditum majestati meae magistrum Theorianum misisti, ad manus meas

pervenit; ex eaque cognovi te prorsus justitiae viam insistere velle, atque ut sacra oracula ajunt, regni caelorum factum esse discipulum. Iam quia te, qui caput es, tribus oecumenicis synodis, immo et quartae consentientem videmus, valde speramus fore ut membra capitis exemplum sequantur, et quidquid concordiae vinculum hactenus solvit, de medio tollatur. Laeto igitur animo excipimus reverentiae tuae circa orthodoxam fidem firmum decretum teque fore arbitramur viam ostiumque reliquis ad rectam fidem, atque ad purgandum acutissima verbi tibi divinitus dati falce lolium, quod diabolus in Christi arvo proseminaverat, ita ut a puro evangelicae arcae tritico procul eventiletur. Subditum igitur majestati meae Theorianum cum monaco Atmano rursus ad reverentiam tuam misimus, ut sicuti jam privatim veritatis doctrinam recta regula direxisti, sic etiam in generali armeniacae ecclesiae conventu rem bene geras: atque ita ex horum pleno caetu lux oriatur, quae veritatis et orthodoxiae diem efficiat. Vale: Scripta eodem mense, indictione quarta.

Postquam hae litterae coram Generali ab interprete Michaële lectae fuerunt, audito quod ibi scribebatur Atmani nomine ait Generalis: arcanum quidem latebat Atmanum: cur ergo nomen ejus in litteris est? Respondit Michaël, velle Imperatorem ut Atmanus aeque ac philosophus tractationis hujus conscius fiat. Qua re intellecta Generalis graviter ingemuit, interim tamen tacitum se continuit. Et illa quidem arcana fuit imperatoris epistola; publica autem ejusdem epistola sic ad verbum se habebat.

Epistola per legatos reverentiae tuae missa ad majestatem meam delata est, et sanctissimo patriarchae oecumenico sacraeque et divae synodo sanctissimae Dei magnae ecclesiae ostensa. Probavit autem majestas mea quidquid de duabus in una Christi hypostasi seu persona naturis, deque inconfusa et indivisibili unione a tua reverentia dictum est cum sanctorum patrum dogmatibus conspirante. Sed enim unam naturam in

una Christi ex duabus naturis persona dicere, id locutionis genus a catholicae et orthodoxae ecclesiae definitionibus omnino absonum esse comperimus, et innumeris sanctorum patrum sententiis damnatum, quippe quod iis haereticis favet qui duarum in Christo naturarum confusionem adstruunt. Nam etsi magnum Cyrillum alicubi invenimus unam naturam Verbi incarnatam dicentem, minime haec dictio sic ab ecclesia intelligitur, ut eam Armenis interpretari placet; verum ipse divus Cyrillus hanc in variis sermonibus suis satis enucleat. Ergo iterum ad tuam in Deo reverentiam mittuntur subditus majestatis meae Theorianus, et philippopolitani Armenorum monasterii abbas Atmanus, ut conventu, sicut tua reverentia promisit, apud vos celebrato, de hoc doctrinae capita quaestio habeatur, quod sane inter caetera gravissimi momenti est, et schismatis quod inter nos intercedit causa praecipua. Tum et de ceteris controversiarum capitulis sermo agitetur, et de illis quorum in priore disputatione mentio non fuit. Atque ita pacifici Christi ope, sublato quovis offendiculo, divisa coëant; et juxta Domini oraculum grex unus cuncti fiamus, sub uno duce et pastore Jesu humanato Deo constituti. Porro tua reverentia his, quae a nostris legatis dicentur, fidem tute adhibebit.

Theorianus addit epistolam Patriarchae Constantinopolitani ad Patriarcham Armenum, quam omittimus.

Post biduum vocati ad synodum venimus; ubi silentio indicto, coepit Generalis de unica natura disserere, argumentis nempe confirmans, quod si una dicatur natura, recte id fiat, neque hinc aliquid detrimenti recta fides capiat. Ita vero agebat Generalis, non quod ipse sic judicaret, sed quia huic synodo intererant ipsius episcopi, qui priori conventui non adfuerant, sed fando audiverant, Generalem in Romanorum partes transisse, arcanamque epistolam ad imperatorem scripsisse, qua synodum quartam se recipere ajebat, quam ob rem Generali irascebantur; qui nunc ita se propterea gerebat, ut hanc illis opinionem eximeret. Nos vero Generalis scopum

ignorantes, magnopere adversabemur. Illius autem nobiscum disputatio hujusmodi fuit.

Generalis. Sacra epistola lecta, cognovi sacratissimum regem criminari adversus nos, quod unam Christi naturam dicamus; et hac de causa vos misisse dicit, ut de hoc capitulo simulque de reliquis, quorum in priore disputatione mentio non fuit, nunc quaestionem instituamus. Ego vero existimabam, quandoquidem et duas naturas ob confusionem excludendam dicimus, et rursus unam ob ipsorum inseparabilitatem, nihil ultra a nobis exigi: dum enim unam adfirmamus, divisionem nestorianam vitamus: dum autem duas adserimus, ab eutychiana confusione divertimus. Si ergo quidquam praeterea a nobis postulatur, non obsequemur. Nam sancti quoque patres modo duas naturas Christi dicunt, modo unam; nequaquam sibi vel invicem repugnantes, sed quia neutrum affectum, si recte intelligatur, ab orthodoxia recedit. Quod si forte aliquis, Deo sibique hostis, sanctorum patrum sermones falsa interpretatione convellit; certe nos ea, quae recte scripta et intellecta sunt, numquam improbabimus: nam si ita animis comparati essemus, permultas quoque sancti evangelii et ceterorum hagiographorum librorum dictiones vellicaremus. Ecce enim sacrilegi latrones litterae, ex singulis prope sanctarum scripturarum dictionibus haeresim aliquam progenuerunt.

Theorianus. In superiore quoque disputatione optavimus a magna sanctitate tua edoceri, quisnam patrum sanctorum et ubinam unam Christi naturam dixerit. Quod hactenus non demonstrasti, nunc, si potes, demonstra.

Gener. Ego vero id in medium proferre, nihil morabor. In epistola ad Acacium melitinensem beatus Cyrillus perspicue rem tradit his verbis: „ea, ex quibus est unus et solus filius ac dominus Jesus Christus, tamquam cogitatione complexi, duas quidem naturas copulatas esse dicimus: sed post unionem, veluti jam sublata divisione in duo, unam esse credimus filii naturam utpote unius, verumtamen humanati atque incarnati.“

Theor. Miror, domine quomodo aliud promiseris, aliud

dederis. Promiseras enim te ostensurum, a beato Cyrillo Christi dici unam naturam: is vero minime id ait. Quid ergo? scilicet unam esse credimus filii naturam, utpote unius; statimque addidit, verumtamen humanati atque incarnati. Omitte igitur, si placet locutiones illas quae unam dicunt filii naturam: neque enim hac super re dubitatur, quae in superiore colloquio nostro jam definita est, ubi magnum Athanasium adversus Arium dicentem exhibuimus, quanam mentis suae notione duas Verbi naturas intelligeret. Sed illud potius demonstra, ubinam scriptum sit unam Christi esse naturam.

Gener. Atqui dictum ab eo est „post unionem autem veluti jam sublata in duo divisione.“ Quid hoc clarius postulas?

Theor. Verba „sublata jam in duo divisione“ significant vel in duos Christos vel in duas personas aut hypostases. Quod si in duas naturas intelligere velis, tum adhuc orthodoxe sic dictionem intelliges, nempe „sublata jam in duas separatim partialiterque naturas divisione; id est in divinam naturam seorsum, itemque seorsum in humanam.“ Ex quo enim unitae fuerunt duae naturae, eae inseparabiles manserunt, semperque manent. Hoc enim apud patres significat illa locutio „indivisibiliter et inseparabiliter sub una persona factam esse unionem.“ Quod autem sanctus Cyrillus unam Christi naturam esse non censuerit ex multis ejusdem scriptis cognoscere licet: saepe enim duas Christi confitetur naturas, sicuti in priori colloquio demonstratum fuit, nam si forte Cyrillus unam Christi naturam esse docuisset, non solum sanctis patribus, verum ipse sibi repugnare videretur. Etenim in epistola de pace ad Johannem Antiochiae episcopum (mitto enim auctoritates quas jam in superiore disputatione laudavimus) sic aperte dixit: „evangelicas de Christo locutiones scimus a theologis partim uni personae communes fieri, partim dividi ac duabus naturis attribui. Et sublimiores quidem ad Christi divinitatem, humiles ad eiusdem humanitatem pertinere putant.“ Qui ergo sic ait et scribit, curnam contraria dogmati suo censuisset? Dicit enim, alias locutiones communes

fieri uni personae, alias divisim duabus naturis attribui. Tum in subsequentibus dicit; „ita et sapientissimus Petrus, Christo inquit pro nobis in carne passo; non autem in ineffabilis divinitatis natura.“ Viden ut haud natura divinitatis passum ait Christum, sed carne, id est humana natura? Insuper in tractatu de Trinitate ait: „duplex de Verbo loquendi genus sapientissimus Paulus, immo et universus sanctorum coetus, agnoscunt atque usurpant, postquam unio cum carne facta est.“ Viden ut duplex dicit loquendi genus postquam carni Verbum copulatum est? Quomodo ergo idem pater carnem ac divinitatem censeret esse unam naturam, qui duas manifeste naturas praedicat? Rursus in sua ad Joannis epistolam responsione sibi ducem proponit magnum Athanasium, sic dicens: „quod autem sanctorum sententiam ubique sequamur, praesertim vero beati et inclyti patris nostri Athanasii, caveamusque ne vel minimum quidem ab iis recedamus“, id tua sanctitas sibi persuadeat, neque alius quispiam dubitet. Audiamus igitur quid hac super re dicat magnus Athanasius, ejus tractatum sanctus Cyrillus appellat. Scilicet ad Epictetum Corinthiorum episcopum ita scribet: „quis haec unquam audivit? quis docuit, vel quis didicit? De Sion enim exibit Dei lex, et verbum Domini de Hierusalem. Haec autem unde prodierunt? quis eructavit avernus, consubstantiale dicere corpus de Maria natum Verbi divinitati?“ Certe enim sicuti consubstantiale Patri Verbum dicimus, quia unam eandemque cum illo naturam obtinet; sic qui ait corpus divinitati Verbi consubstantiale, unam eandemque naturam corpus ac divinitatem esse fatetur. Idcirco Christus Servator noster haereticos appellavit portas inferi; et portae inferi, inquit non praevalebunt adversus eam, id est ecclesiam: quia videlicet per haeresim ceu per portam in inferos, id est in perditionem, multi introëunt. Magnus vero Athanasius haud portas inferi, sed absolute inferos haeresim appellat: immo mihi videtur, siquid inferis pejus magnus Athanasius, aut rem aut nomen scivisset, illa potius appellatione in hujus sententiae hominibus denotandis fore usurum. Sed et reliqua videamus, quae pergit loqui. Ceteroqui, ne si omnino sileam, impudentiae occasionem

malarum illi rerum artifices arripiant, e re fuerit ex divinis scripturis pauca memorare: sic enim fortasse pudore adfecti turpissimas opiniones excogitandi finem facient. Heus vos, quibusnam rationum momentis impulsi corpus dicitis consubstantiale Verbi divinitati? (Hinc enim ordiri operae pretium est, ut quum ejus sententiae foeditas palam fuerit, et reliqua omnia ejusdem esse pretii conspicuum sit.) In divinis certe scripturis nihil apparet hujusmodi: nam ipsae Deum in humano fuisse corpore adfirmant. Item patres qui Nicaeae convenerunt, non corpus sed ipsum filium consubstantialem Patri dixerunt: et hunc quidem ex substantia Patris, corpus autem ex Maria esse, scripturis ducibus, confessi sunt. Vel igitur nicaenam synodum repudiate, et tamquam haeretici haec dogmata obtrudite; aut si vultis patrum illorum filii esse, ne diversam ab illorum scriptis sententiam consectamini. Audin quid magnus Athanasius dixerit? Sed et cactera adtexamus. „Si consubstantiale, inquit, Verbum Patri est, juxta nicaenorum confessionem, ipse quoque Pater corpori ex terra facto consubstantialis erit.“ Cur ergo jam Arianos vituperatis, qui filium creaturam dicunt, quum ipse patrem rebus creatis consubstantialem adfirmetis; et ad aliam impietatem transeuntes dicatis in carnem, ossa capillos, nervos, et in totum corpus Verbum esse conversum, et propriam commutasse naturam? Superest enim ut aperte dicatis ipsum ex terra factum fuisse: ex terra enim ossium totiusque corporis natura est. Quaenam igitur haec tanta dementia, ut vobiscum ipsi pugnetis? Dum enim dicitis Verbum corpori esse consubstantiale, alterum cum altero significatis: cum vero in carnem mutatum esse adfirmatis, ipsi Verbo mutationem affingitis. Ecquis vos ultra ferat haec vel oretenus deblaterantes? Haeresim quidem omnem impietate superastis. Si enim Verbum est corpori substantiale, superflua fuerit Mariae mentio et ministerium, quum corpus ante Mariam ab aeterno esso possit, ut est ipsum Verbum: si certe, ut vos dicitis, consubstantiale corpori est. Curnam igitur opus fuit Verbum coelo descendere, ut illud quod sibi erat consubstantiale indueret? „Rursus inferius.“ Etenim corpus divinitati non

est consubstantiale sed ex Maria genitum; ipsum autem Verbum nequaquam in ossa et carnem conversum est, sed in carne extitit.“ Et paulo post. „Multi errant dum creaturam exequant creatori.“ Cur vero opus est testimonia cuncta recensere, et sermonem ad satietatem protrahere? Profecto ex multis magni Athanasii scriptis cognoscere licet, duas ipsum naturas docere, et eos, qui unam dicunt Christi naturam, vehementer objurgare. Sanctus ergo Cyrillus, qui sanctorum sententiis praecipueque beati Athanasii, obtemperandum valde adseverat, ab iisdemque declinare vetat, sicuti superius demonstratum est, num his contraria unquam sensisset? Apage talem suspicionem necesse est igitur, te hanc ambiguam veluti beati Cyrilli dictionem ad rectum sensum conferre, eamque ad normam caeterorum sanctorum interpretari, qui duas naturas manifeste fatentur Servatoris nostri Jesu Christi: quae res et in priore colloquio, et nunc iterum, et aliis etiam multis ejusdem Sancti Cyrilli locubrationibus palam facta est, ut saepe jam diximus. Quod si tu adhuc repugnas, nos quidem disceptare ulterius hac super re non patimur: sed apostolico monito obsequemur dicenti: haereticum hominem post unam et alteram admonitionem devita.

Gener. Non haud sumus haeretici, sed orthodoxi per Christi gratiam, utpote a Sancto Gregorio illuminati, cujus doctrinas traditionesque retinemus.

Theor. Si traditiones ejus ut dicitis, custodiretis, nequaquam patribus adversaremini. Prorsus enim nuper audisti prolatum a nobis magni Athanasii testimonium, inferos eos appelantis qui Verbum et carnem dicunt unam naturam; eundemque patrem mox dicentem, quamlibet haeresim impietate vos superavisse. Neque vero te pudeat convinci a nobis, quorum mundana fortuna et literatura nulla est, sed illud cogita vatem Balaamum, qui se vel ab asina corrigi passus est.

His disputatis, ait Generali Atmanus: ego arcana fari nescio; unum hoc scio, te imperatori scripsisse, et verbis etiam significavisse per hunc sodalem meum philosophum qui mecum adest. Propterea ceu ad confectum negotium veni, non ad dis-

ceptationem. Rogo te igitur, num ea quae imperatori significasti, rata habeas? sin minus, aperte id dicas, ut revertamur. Haec audientes verba illi episcopi, qui jam antea offensi erant Generali, tumultuari coeperunt, invicemque, ut proximi erant, dicere; ea vera reapse sunt quae antea audivimus. Brevi igitur lapso tempore, et jam decrescente tumultu, manum intendens silentiumque indicens Generalis, ait nobis: hodie quidem satis verborum effluxit: recedite jam ad requiem: rursus enim vos audiemus. Nos ergo recessimus. Exin novem dies decurrerunt, quin aliquid nobis Generalis significaret, qui ob aegritudinem animi prorsus publico abstinebat. Sciens vero Atmanus quod ob proditum secretum ille moereret, et quod homini maxime qui id patefacerat, offensus esset, convento Generali ait: puto sanctitatem tuam mihi irasci, sed immerito: quod enim tu arbitraris arcanum, id per universam Romaniam trita fabula est. Scripsit enim hoc sodalis meus in disputatione, quae lecta fuit coram synodo atque in palatio, ejusque exemplaria plus centum sunt descripta, ita in universa Romania res innotuerit. Sine causa igitur mihi irasceris; quum mihi potius expostulare tecum liceat, quod me gentilem tuum et in fide sodalem rem celaveris quam peregrino homini revelabas. Et quidem si uni mihi confisus fuisses, incolume arcanum esset, neque, ut nunc, in vulgus disseminatum.

Novem igitur preteritis diebus, misit ad nos Generalis episcopum Gregorium consobrinum suum, cognomento Parvum[1]), itemque episcopum Isaacum et doctorem Stephanum, qui mihi (Theoriano) privato in colloquio, praesentibus etiam Atmano et presbytero Michaële, dixerunt: significat tibi dominus noster, se tibi ut honesto viro et christiano secretum concredidisse tamquam Deo: te autem sibi promisisse nemini praeterquam imperatori dicturum. Nunc te fidem arcani fregisse palam est: quod factum ipse vituperat: ecce enim Armeni, ait, mihi offensi sunt, et turbas cient. Quam obrem unionis negotium plane refriguit. Ad haec Theorianus ait: memini a Generali mihi traditas ad imperatorem litteras obsignatas, quas

1) Arm. Տղայ *Degha*, qui Nerseti in patriachatu successit.

mihi privatim praelegerat: nemini, verbis quoque significasse imperatori de unione per me: fateor mihi praeceptum a Generali fuisse, ut nemini quicquam nisi imperatori de his litteris dicerem, et ut verba ipsius secreto ad imperatorem referrem. Ego vero, ut spoponderam ita egi, et promissum feci. Quod ut demonstrem, rei gestae seriem expromam. Litteras imperatori obsignatas tradidi: commissa meae fidei verba secreto conclavi dixi, uno adstante logotheta. Deinceps vero circumscribendi imperatorem facultas mihi non fuit, atque impediendi volentem id dicere ecclesiae, senatui concilioque suo. Quod si forte Generalis aegre sibi persuadet, quomodo arcanum imperator non conservaverit, velim hoc sciatis, cunctos fere apud nos, excepto imperatore, orthodoxiam Generalis negavisse, neque eum ad unionem accessurum existimasse: pervertit enim, ajebant, divinas litteras, falsaque interpretatione ad suum libitum trahit: et oretenus quidem sanctos patres sectari dictitat, re autem vera his adversatur. Quibus imperator criminatoribus litteras Generalis palam opposuit. Hinc ergo patet cur nunc cuncti fere Romani pro Generali tam aperte loquuntur. Atque hanc Theoriani narrationem caeteri socii testimonio suo firmaverunt. Quare Generalis multum de ira remitens, hac tum absolvit criminatione Theorianum. Subsequente autem die nobis ad synodum vocatis ait: de duabus quidem in Christo naturis et olim et nunc dictum satis est: quoniam vero imperatoris epistola, ut de aliis quoque capitulis disputemus monet, siquid vobis dicere placet, libenter audiemus.

Theor. Relatum nobis est, Armenos in divinis mysteriis vinum offerre, aqua non admixta. Scire avemus, unde id traditum acceperint.

Gener. Divus Chrystostomus octogesima quinta in Matthaei evangelium homilia sic ait: „cur a convivio surgens haud aquam sed vinum bibit? Nimirum ut pravam aliam haeresim funditus deleret. Quoniam enim sunt nonnulli qui aqua in mysteriis utuntur, demonstravit in antecessum Dominus, se et quum mysterium hoc institueret, et quum exsurgens, sepositio mysterio, communem mensam exhiberet, vino fuisse usum.“

Viden ut divus pravam haeresim appelat, aquae in divinis mysteriis usum? Rursusque „ex genimine, ait, vitis; vitis autem non aquam, sed vinum gignit.“ Quid adhuc clarius postulas? Sed enim homilia quoque octogesima quinta in Joannis evangelium, super dicto illo, exivit sanguis et aqua, sic ait: „non frustra neque casu aliqua fontes hi prodierunt, sed quia ex his ambobus consurgit ecclesia. Sciunt initiati, ex aqua regenerati, sanguine et carne alimur: hoc est mysteriorum initium, ut cum ad verendum illum calicem accedes tamquam ex ipso latere hausturus accedas.“ Hanc itaque ducem atque magistrum habentes Armeni, aquam in divinis mysteriis, quod vos facitis, non admiscent: vitis enim vinum non aquam gignit, quid hoc manifestius esse potest? Rursusque ex aqua regenerati, sanguine et carne nutriti.“ Viden ut manifeste aquam baptismo attribuit, sanguinem divinae communioni?

Theor. Ain vero, ecclesia divini baptismi mysterium in Jordane accepit, ne an in cruce?

Gener. Quem Christus baptismum in Jordane suscepit, is imperfectum erat; etenim a Praecursore baptizatus est. In sermone autem cujus initium „iterum Jesus meus“ ait Gregorius theologus: „baptizavit etiam Johannes, jam non judaice, non enim in aqua tantumnodo, verum etiam ad poenitentiam: non dum tamen totus erat spiritalis baptismus: quia formulae non adjiciebant in spiritu.“

Theor. Hoc a te dici miror. Non ne enim sanctus Spiritus in columbae specie supervenerat? Non ne caelitus vocem miserat Pater? Non ne qui baptizabatur Filius erat? Ubi Pater, Filius, et Spiritus sanctus, Sanctae Trinitatis apprime genuina ostensio, ibi ne baptismus imperfectus erat? Quandonam ais Christi baptismum evasisse perfectum?

Gener. In passione scilicet, cum exivit sanguis et aqua: tum enim Adami crimen abluit. Quamobrem et in Calvario mortem per crucem pertulit, ut divinus sanguis decurrens Adami culpam lavaret. Ait enim magnus Basilius in comentariis ad Isaiam: „fama hujusmodi per traditionem non scriptam

in ecclesia mansit, primam terrarum Judaeam Adamo habitaculum praestitisse, postquam ille paradiso ejectus fuerat, et hic collocatus, ad bonorum quae amiserat solatium. Eadem igitur et mortuum prima excepit hominem Adamum, qui peccati poenam morte persolvit.

Theor. Qui ait Domini baptismum in Jordane fuisse imperfectum, is mihi valde audax videtur et ab ecclesiae sententia alienus. Etenim divus Chrysostomus in secunda ad capitulum Matthaei primum homilia ait: „namque hoc lavacrum partim vetus quid, partim novum continebat: siquidem baptizari a propheta, vetustatem prae se ferebat; Spiritus autem adventus, novitatem ostendebat. Ac veluti aliquis inter duas medius distantes res collocatus, ambabus utrimque extensis manibus illas capiens connectit, ita Jesus vetus testamentum novo, divinam naturam humanae, sua nostris adnexuit. Praeterea quos theologus Gregorius composuit de baptismo sermones duos, luminum[1]) tempore, non passionis legere ecclesia solet. „Rursus Jesus, et rursus mysterium.“ Et paulo post: „etenim sancta luminum dies, quam hodie Deo favente solemnem agimus, a Christi mei baptismo originem duxi.“ Rursusque: „tempus regenerationis, gignamur coelitus.“ Haeccene tibi regeneratio imperfecta videtur? Denique sub orationis finem haec ait: „baptizat Jesus, sed in spiritu. Haec demum perfectio est. Quid ni Deus?“ Quomodo igitur baptismum Christi imperfectum fuisse contendis?

Gener. Non ait Gregorius baptizatur Christus, sed baptizat. Atque hinc constat, non de baptismo verba fieri, quo ipse fuit baptizatus, sed de illo quo Christus baptizabat, ut ait evangelista: post haec venit Jesus cum discipulis suis in Judeae regionem, ibique cum ipsis diversans baptizabat.

Theor. Tu vero lege paulo inferius, moxque comperies Jesum haud baptizasse. Scribitur enim audisse Pharisaeos quod Christus multos discipulos sibi conciliaret, et quod Joannes baptizaret. Ceteroquin ipse Jesus haud baptizabat, sed discipuli ejus.

[1]) Nempe solemni catechumenorum baptismatis.

Gener. Quid vero, si per discipulos suos baptizabat, ut nunc per nos?

Theor. At quomodo ii baptizarent, nondum ipsi baptizati? Etenim post Christi resurrectionem aiunt divinae litterae baptizatos fuisse apostolos. Ait enim in actibus Lucas: praecepit eis ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent Patris promissionem quam ex me audistis: etenim Joannes quidem aqua baptizavit, vos autem Spiritu sancto haud multis ab hinc diebus baptizabimini.

Gener. Oportuit igitur a theologo Gregorio dici, baptizatus est Jesus, non baptizavit.

Theor. Immo baptizavit dici oportuit, idest Adamum et nos. Ipse enim purgatione non indigebat.

Gener. Age dic mihi: undenam vos consuetudinem admiscendi aquam didicistis?

Theor. In primis causam dicam quamobrem Chrysostomus ait, pravam aliam haeresim funditus delens. Nonnulli erant, qui vinum opus creaturamque diaboli esse adfirmabant: ideoque et multis absurditatibus a vino ansam praeberi. Christum autem ajebant vinum non bibisse, quod est opus Satanae, sed novum quod ipse ex aqua creavit. Hi homines divinis mysteriis aquam tantummodo exhibebant: quare Aquarii a sanctis patribus appelati fuerunt. Hanc pravam haeresim divus Chrysostomus ut everteret, verba dixit, quae superius scripsimus. Nisi enim id ei propositum fuisset, quid opus erat dicere: et surgens post peracta mysteria, communi mensa apposita, vinum bibit? Nobis igitur Christum sistit Chrysostomus a vino non abhorrentem. Nunc jam demonstremus, unde ecclesia morem acceperit vino et aqua divinum mysterium peragendi. Frater Domini Jacobus in composita a se liturgia sic ait: „Similiter postquam coenavit, accipiens calicem, vinumque cum aqua miscens, elevatis in coelum oculis, tibique Deo et Patri ostendens, gratias agens, benedicens, sanctificans, Spiritu sancto implens, tradidit sanctis beatisque suis discipulis et apostolis dicens: bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus, novi testamenti. Et reliqua.

Gener. Undenam constat, liturgiam hanc fratrem Domini Jacobum habere auctorem? Certe in Apostolicorum canonum calce catalogus scribitur librorum, quorum usus in ecclesia est, neque tamen hujus liturgiae fit ibi mentio, sed unius tantummodo sancti Jacobi epistolae.

Theor. Hanc liturgiam oecumenica synodus, quae sexta dicitur, ratam habuit.

Gener. Ego vero hanc synodum ad hanc usque diem non admisi. Aveo tamen intelligere quidnam hac super re synodus narret.

Theor. Constantinopolitana in Trullo regii palatii congregata Synodus sub Justiniano piissimo imperatore, quae sexta dicitur propterea quod sextae synodi complementum est, canones de ecclesiae disciplina edidit. Haec igitur catholica sancta synodus in XXXII canone ait. „Ad notitiam nostram perlatum est, in Armenia vinum tantummodo in sacra mensa exhiberi, aqua non admixta, ab iis qui incruentum sacrificium peragunt, praetextui habentibus Joannem Chrysostomum, qui in interpretatione evangelii secundum Matthaeum ait: cur aquam consurgens non bibit sed vinum? ut aliam scilicet pravam haeresim funditus everteret. Nam quia sunt nonnulli qui aqua mysteria peragunt, demonstravit Jesus, se et cum mysteria traderet, et cum absque mysteriis communem mensam iniret, vino uti: ex vitis, inquit, genimine; vitis autem vinum, non aquam gignit.“ Atque hoc dicto putant Armeni damnari a sancto doctore aquae admixtionem in sacro altari. Ne diutius itaque verae rei insciti laborent, sancti patris sententiam orthodoxo sensu explicamus. Quum enim prava Aquariorum haeresis jamdiu extaret, qui pro vino aquam tantummodo in suis sacrificiis adhibebant, vir divus ob refutandam hujusce haereseos doctrinam, demonstrandumque eos immo ab apostolica traditione aberrare, praedicta verba protulit. Etenim suam quoque ecclesiam, in qua ipse pastoralem gradum tenebat, aquam vino admiscere docuit, quum incruentum fieri sacrificium opus foret: causa addita, quod e latere Liberatoris Servatorisque nostri Christi Dei sanguinis aquaeque mixtura

manaverit. Quin adeo per universam ecclesiam, in qua spiritalia patrum luminaria effulserunt, divinus hic ordo constanter servatur: nam et Jacobus frater Domini, et magnus Basilius, qui mysticas liturgias scripto consignaverunt, sic omnino sacrum calicem in divino mysterio aqua et vino miscere docuerunt. Tum sancti patres Carthagine congregati sic diserte locuti sunt, nempe ut in sacrificio nihil praeter corpus et sanguinem Domini offerretur, ut ipsemet Dominus tradidit, id est panis et vinum aqua admixta. Siquis ergo episcopus aut presbyter, contra traditum ab apostolis ordinem egerit, id est si omissa aquae cum vino mixtione immaculatam hostiam obtulerit, deponatur; utpote qui imperfectum mysterium peragit, et novis rebus contra veterem traditionem studet. En haec quoque magna et oecumenica synodus liturgiam Jacobi agnoscit, quam tu ignoras. Admitte igitur tot tantorumque sanctorum patrum testimonium; neque jam diutius de hoc capitulo verba faciamus.

Gener. Ego hos omnes, instar unius hominis habeo, qui suam privatam sententiam scripto protulerit.

Theor. Ergone legatos beati Papae veteris Romae, Patriarchas Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, Hierosolymitanum, tot sanctos patres, Justinianum imperatorem, omnes inquam hos instar unius hominis habes? temet vero, qui unus es, oecumenica synodo potiorem minusque errori obnoxium esse arbitraris?

Gener. Jam tibi dixi, horum neminem obsequor.

Theor. Ego vero aliis viribus non sum instructus, quam sanctorum patrum doctrinis atque libris: miracula enim patrare, quum sim peccator, nequeo; ut prodigiis scilicet atque signis adversarios expugnem. Nisi tu ergo sanctorum patrum sermonibus adquiescis, ego frustra apud vos laboravi.

Gener. Omittamus hanc de aqua quaestionem, neque enim fides heic violatur.

Theor. Immo res capitalis est, sine qua perfecta liturgia non evadit.

Gener. Affer igitur, siquas habes praeterea in medium auctoritates.

Theor. Quid mihi jam prodest multas auctoritates coacervare, siquidem has non recipis? Nihilominus videamus, si placet, quid hac super re Nyssenus Gregorius elegantissime, sumpto a naturalibus rebus exemplo, doceat. Is igitur in oratione catechetica, cujus initium „catechetica oratio neccessaria est illis, qui religioso mysterio praesunt“ sic ait: „Sicuti enim qui venenum dolo alicujus sumpserunt, alio medicamento mortiferam vim extinguunt (porro oportet sicut exitiale, ita etiam salutare medicamentum admitti intra viscera hominis, ut ex ipsis distribuatur in universum corpus salutaris vis); ita cum id gustaverimus quod nostram dissolvit naturam vicissim accidit ut opus habeamus eo quod colligit ac conciliat id quod erat dissolutum: ut cum intra nos fuerit hoc salutare medicamentum, veneni damnum quod corpori fuerat inditum per contrariam repellat affectionem. Quid ergo hoc est? Nihil aliud quam illud corpus, quod et morte evasit potentius, et nostra vitae fuit initium. Sicut enim modicum fermentum, ut ait apostolus, universam massam sibi similem facit; ita illud corpus a Deo immortalitate donatum, cum fuerit intra nostrum, totum ad se transmutat et transfert. Veluti enim si res exitialis cum sana admisceatur, universa mixtio corrumpitur; ita corpus immortale cum fuerit intra eum qui sumpsit, universum quoque transmutat in suam naturam. Sed fieri non potest ut sit aliquid intra corpus, nisi per esum aut potum visceribas admisceatur; ergo prorsus oportet, per idoneam naturae rationem, vim vivificam intra corpus recipere. Jamvero quum illud tantummodo deiferum corpus hanc gratiam acceperit: quumque exploratum sit, aliter fieri non posse ut nostrum corpus immortalitatem consequatur, nisi propter consortium cum immortali incorruptum evadat, operae pretium est dispicere quomodo fieri possit, ut illud unicum tot fidelium millibus in toto orbe distributum jugiter corpus totum singillatim in unoquoque existat, idemque apud se integrum maneat.

Ut ergo fides id quod nobis usuvenit spectans, de re proposita haud dubitet, oportet nostram orationem paulisper

immorari in naturali corporis consideratiane. Nostri videlicet natura corporis haud ipsa per se vitam habet in quadam propria sua substantia, sed per affluentem extrinsecus sibi virtutem et se sustentat et essentiam retinet, dum motu perpetuo et quod utile est ad se adtrahit, et supervacaneum expellit. Porro illa virtus, nutrimentum est et dicitur. Age vero non idem omnibus quae aluntur corporibus nutrimentum est, sed suum cuique congruens ab eo naturam regit adtributum fuit. Nam alia quidem animalia effossis vescuntur radicibus, alia herbis: canem alunt carnes: praecipuus hominis cibus panis est; tum ob retinendum conservandumque humorem, potio; neque haec aquae tantummodo, sed vini quoque adhibito condimento, ut interno calori opem feramus. Qui ergo haec considerat, is de nostri corporis incremento videlicet cogitat; namque ista alimenta intra nos recepta, sanguis caroque fiunt; dum alimonia propter vim sui commutandi, in corporis figuram transit.

His a nobis ita enucleatis, ad propositum mens nostra revocanda est. Quaerebamus enim quanam ratione unicum illud Christi corpus universam hominum naturam vivificet (modo in iis fides sit) cunctis videlicet distributum et ipsum minime diminutum. Nunc vero haud procul, ut reor, absumus a probabili explicatione. Nam si cujusvis corporis subsistentia nutrimento, id est cibo potuque, constat; si nutrimentum panis est, potus autem aqua vino exhilarata: si Dei Verbum cum humana natura conjunctum est, adsumtoque corpore nostro haud aliam quamlibet conservandae naturae suae excogitavit rationem, sed consuetis congruisque alimentis semet sustentabit, cibo nimirum potuque subsistentiam suam conservans: cibus autem panis erat; profecto qui apud nos, uti jam dictum est, panem videt, is humanum quodammodo corpus videt; quia panis in hominem introductus, corpus humanum fit. Sic ergo et deiferum corpus illud quum panis nutrimentum sumeret, panis quodammodo erat, quia nutrimentum ut diximus in naturam corporis commutabatur. Nam quod est omnium hominum proprium, id in carne pariter Verbi

usuveniebat, nempe ut illud quoque corpus pane conservaretur: corpus autem divini inhabitatione Verbi ad divinam translatum est dignitatem. Recte ergo nunc quoque Dei verbo sanctificatum panem in divini Verbi credimus corpus commutari. Etenim illud quoque corpus vi sua naturali panis erat, quamquam divini verbi inhabitatione, quod in carne hospitatum est, sanctum evasit. Igitur sicuti in illud olim corpus trasmutatus panis, ad divinam transiit dignitatem; ejusdem virtute Verbi nunc idem fit. Nam et tunc gratia Verbi sanctificavit corpus, quod ex panis natura constabat, immo et panis quodammodo erat; et nunc similiter panis, ut ait apostolus, verbo Dei et invocatione sanctificatur; non quod sane panis propter esum in corpus Verbi commutetur, sed quia vi verbi statim corpus efficitur sicuti Verbum ipsum dixit: hoc est corpus meum[1]).

Age vero quum omnis caro humore quoque nutriatur (neque enim sine humoris societate pars nostra terrena vitam retinebit); sicuti per durum ac solidum alimentum soliditatem corporis fulcimus, ita etiam humori ex homogenea natura accessionem curamus; qui sane intra nos receptus per sui commutandi vim sanguis evadit; praesertim siquando a vino transeundi ad substantiam calidam acceperit facultatem. Quoniam igitur hanc quoque nutrimenti partem deifera illa caro ob sui conservationem sumpsit; manifestatus autem orbi Deus propterea se mortali naturae admiscuit, ut communione divinitatis deificaretur simul humanitas, idcirco omnibus qui gratiae dispensationi credunt, inserit se per carnem suam, quae vino aqua et pane constat, credentium corporibus semet administrans; nempe ut propter conjunctionem cum re immortali, particeps fiat incorruptionis homo. Atque hoc beneficium suppeditat, dum virtute benedictionis, apparentium rerum naturam in suam commutat.“

1) Hinc cognoscimus, Nyssenum vim constituisse in Christi verbis *hoc est corpus meum*; qua gravissimi patris auctoritate nonnullorum error refellitur Graecorum et Orientalium, qui per subsequentes preces transmutationem fieri autumant. Notat Card. Mai.

Huius audita interpretatione sermonis, ait Generalis: vero hic sermo sapientis ingenii foetus est, et plane Nysseni videtur, qui solet maxime naturalium rerum exemplis uti. Verumtamen hunc Armeniacum factum nondum nactus sum.

Theor. Olim mihi dixisti habere vos Nysseni commentarios in canticum canticorum: quare si placet, audiamus quid in his dicat de aqua. Namque illa verba explicans „ubi pascas, ubi cubes in meridie“ ait: indica mihi ubinam gregem pascas, ut salutari pabulo invento, aeterno cibo abunde fruar, quem qui non edit, ad vitam pervenire nequit: et ad te currens fontem ebibam divinae potionis; siquidem scatebras sitientibus elicies, fundens e latere aquam ferro scilicet venam hanc aperiente; quam qui gustat, fit aquae fons salientis in vitam aeternam.

Gener. Miror quomodo Dominus nusquam aquae mentionem fecerit „qui manducat, inquit, meam carnem et bibit meum sanguinem“ aquam autem non commemorat. Item in convivio „hic est meus sanguis“ aquam prorsus reticuit. Denique apostolus „qui indigne bibit, inquit, sanguinem Domini“ de aqua nihil adjecit. Cur, inquam, neque Dominus neque apostolus de aqua locuti sunt?

Theor. Cum sanguinem dixit, rem dixit ex vino et aqua conversam: non enim ex vino tantummodo verum etiam ex aqua sanguis Domini conficitur, ut Nyssenus demonstravit Gregorius. Si ergo dixisset Dominus, hoc est vinum meum prorsus oportuisset et aquae mentionem adjicere: nunc quum vinum non appellaverit, necessario et aquam reticuit: sed sanguinem dixit id quod ex utraque substantia conversum est. Quare frustra expetitur aquae etiam nominatim mentio. Praeter quam quod scriptura sic loqui solet cum de veteris testamenti sacrificiis sermo fit. Quare sicut tunc, ita ne postea quidem aquae mentio facta est; etenim illa sacrificia adumbratio nostrorum erant. Scribens itaque beatus Paulus ad Hebraeos ait: sumpto sanguine hircorum ac vituorum, cum aqua et vellere coccineo atque hyssopo, librum ipsum cunctumque populum aspersit dicens: hic est sanguis foederis

quod Dominus vobis imposuit. Tabernaculum quoque et omnia sacri ministerii instrumenta sanguine pariter aspersit. Immo cuncta propemodo sanguine expiari solent ex legis norma, et sine sanguinis effusione non fit remissio. Audisti primo sanguinis et aquae factam mixturam, nullam tamen in aspergendo aquae mentionem; hic, inquit, sanguis foederis. Rursusque vasa ministerii sanguine pariter aspersit, et omnia propemodum sanguine purgantur ex legis praescripto, et sine sanguine non fit remissio. Quater, inquam, memorato sanguine, aquam silentio pressit. Num ergo negabimus, primo quoque aquam commemoratam? atqui dixit, cum aqua et lana coccinea. Ne igitur mirum tibi videatur, domine, quod in evangeliis aquam non appellarit Servator. Quippe jam a Nysseni Gregorii catechetico edocti sumus, Christi corpus ex aqua et vino fuisse conversum. Quum ergo Christus sanguinem dixit, rem utramque, unde ille est effectus, subindicavit.

Gener. Satis de hoc capitulo diximus. Cum autem generalem synodum Deo favente celebrabimus, ea que a te super hac re disputata fuerunt referemus, et siquid praeterea Deus optimus annuet. Nunc age, si forte aliud capitulum in promptu habes, expone.

Theor. Audivi nudiustertius, die decembris sexta supra vigesimam, sancti Stephani protomartyris festum vos celebrantes, quo die Nysseni sermonem legebatis de illo festo, cujus initium „quam pulchra est bonorum successio!“ Mirabar autem qui id faceritis, quamdoquidem in hoc ipso sermone perspicue demonstratur, debere de primo Domini natalia celebrare, deinde sancti protomartyris Stephani festivitatem. Vos autem die decembris XXVI festum Protomartyris agitatis; Domini autem natalia sexta demum Januarii die celebraturi. Qui ergo vobis Nyssenus consonat dicens „quam pulchra est bonorum successio, quam dulcis laetitiae continuatio! En aliud ex alio festum, en gratiam ex gratia excipimus. Heri nos universalis Dominus festo convivio excepit, hodie Domini imitator.“ Audin quid dicat? Tu vero

imitatorem solemnitate celebras, Dominum praetermittis? Crede mihi, pudet me vestri, qui manifeste adeo convicti, corrigi non patimini. Auctor equidem vobis sum ut quandoquidem ea quae lectiones liturgicae docent non observatis, lectiones ipsas omittatis, ne ab his perpetuo redarguti, gravius judicium patiamini.

Gener. Ad haec Generalis arridens ait: habemus orationem Sancti Procli constantinopolitani in Protomartyrem, cujus initium „sensibilis quidem sol". Atque hic sermo haud secius nobis adversatur: ait enim „o novi regis admiranda facta! Heri mater eum peperit, et hodie ipsi gloriosus Stephanus oblatus est." Sed enim ad festa quod attinet, ut olim quoque tibi dixi, vivente adhuc beato illo Generali fratre meo in familiaribus inter nos colloquiis sic dicebamus: cur praeter omnium consuetudinem nos festa peragimus? Franci, Romani, Syri, quaevis gens christiana, conspirant in festis atque consentiunt: soli Armeni a cunctis differimus.

Theor. Jam si forte vos non pudet, quod cum omnis gens Christaniorum laboribus abstinet, sacris laudibus occupatum, et toto orbe terrarum festis concionibus laetatur, vos soli cum Hebraeis ac Saracenis servilia opera facitis (praesertim quia gens vestra divinis scripturis magnopere studet: credo enim mihi, nihil ad gratiam loquor, cum vos in sacris bibliis valde eruditos dico); quid cum ait theologus Gregorius „Christus natus est, laudate:" et paulo post „hoc nobis panegyrim convocat, hoc hodierna Solemnitate recolimus, adventum scilicet Dei ad homines;" deinde in sermone alio „iterum Jesus meus, iterum mysterium;" cum ergo „iterum" auditis, nondum ne intelligitis, quod non eodem die Christi natale ac baptisma celebrandum sit?

Gener. Caput hoc in priore disputatione satis jam tractatum, recte compositum fuit. Ne igitur actum agas.

Theor. Profecto actum non ago; sed quae tunc ob nimiam copiam nos fugerunt, ea nunc complere fert animus. Nam et de sacro unguento tunc locuti, sacra auctoritate non confirmavimus, oportere id scilicet ex oleo olearum fieri;

sed tua tantummodo verba refutare contenti fuimus. Nunc si placet, auctoritatem quoque recitabimus, nequid videamur, ut ait proverbium, ex ventre loqui. In Exodo scriptum est: „Locutus est Dominus Moyse dicens, sume tibi aromata, primae myrhae et electae quingentos siclos, et odori cinnamomi dimidiam portionem, id est ducentos quinquaginta siclos, et odorati calami similiter ducentos quinquaginta, et cassiae siclos quingentos ad sanctuarii pondus exactos, et oleum olearum, conficiesque unctionis oleum, unguentum compositum arte unguentarii. Hoc oleum unctionis sanctum erit.“ Audisti? oleum olearum, non sesami dixit.

Gener. Sacra haec auctoritas, ante etiam quam recitares, nota nobis erat. Sed age, trade nobis scripta, si placet, capitula omnia, quae sanctus imperator et Romanorum sancta ecclesia a nobis probari postulant, ut fiat unio. His enim communiter consideratis nostram de omnibus sententiam dicemus.

Theor. Tum ego haec capitula tradidi: nempe ut Armenii anathema dicerent iis qui unam Christi naturam adfirmant, Euthicheti, Dioscoro, Severo, Thimotheo Aeluro, cunctis adseclis eorum. Ut confiterentur dominum nostrum Jesum Christum, unum Christum, unum Filium, unum Dominum, unam personam, unam hypostasim ex duabus naturis unitis sub una hypostasi, inseparabiliter, indivisibiliter, invariabiliter, inconfuse; neque alium esse Filium Dei, alium Virginis, sed eundem esse filium Dei et filium hominis, duas naturas, unum Deum et hominem: atque in duabus naturis unum eundemque Christum duas expromentem naturales operationes divinam atque humanam, duas naturales voluntates divinam atque humanam, haud invicem adversantes sed ita comparatas ut divinae voluntati obsecundet humana. Insuper ut trisagium recitarent absque verbis „crucifixus pro nobis“ et absque copula „ET“. Ut festos dies eodem ac Romani tempore agitarent, Domini annunciationem die XXV martii; natalia die XXV decembris; circumcisionem die octava post Christi natalia, id est ianuarii die prima; baptismum die VI ianuarii; Virginis purificationem di II febru-

arii; atque omnino cunctas Domini solemnitates, itemque sanctissimae Virginis, Praecursoris, et sanctorum Apostolorum. Ut divinam eucharistiam in pane fermentato et vino cum aqua consecrarent. Ut sanctum chrisma ex oleo olearum conficerent. Ut christiani omnes intra ecclesiam consisterent dum sacra liturgia peragitur, iis exceptis quos sacri canones arcent; pariterque ceteris ecclesiae officiis adessent. Ut septem oecumenicas synodos admitterent. Denique ut electionem solius Generalis ab imperatore Romanorum fieri permitterent. Postquam haec capitula Generali tradidimus, is ita nos sciscitatus est.

Gener. Haeccine omnia necessario fieri a nobis Romani postulant, ita ut siquid horum desit, unio non sit futura; an aliquod ex his est, quo praetermisso, nihilominus ad unionem nos admittent?

Theor. Nempe haec sunt quae schisma faciunt. Ceteroquin ecclesiae et imperatori licebit quaedam exhis fortasse remittere, prudentiae gratia, neque horum nomine unionem praecidere: sicut apud hungaros quoque factitatum est, quo tempore sanctus ipsorum Stephanus eos baptizandos curavit, qui ne res universa pessum daretur, sivit ut eorundem episcopi legitimas uxores haberent, sicuti nunc presbyterorum nostrorum mos est: idque egit impetrato brevi ab eo qui tunc erat Papa: quae adhuc consuetudo apud nonnullos regionis illius episcopos viget. [1])

Gener. Dic perspicue, et quae sint ex his capitulis, quibus depositis, nos tamen ad integram unionem excipient?

Theor. Puto quod tu sicuti tuummet animum exploratum habes, ita voluntates quoque subditorum pervides, probeque nosti quidnam ex his admissuri sint, quidve secus. Quare tu potius, si vis, indica mihi, quaenam Armenis gravia visum iri putes, quaeve numquam sibi persuaderi passuri sint.

1) Card. Mai apposita nota hanc assertionem Theoriani absolute confutat.

Gener. Nescio. Fortasse quaedam mihi videbuntur, de quibus aliter synodus existimabit.

Theor. Si tu, qui caput es, hoc ignoras, quomodo ego qui pes sum, immo ne pes quidem, apud Romanorum Synodum, quod rogas compertum habeam? Nihilominus conjectans dicam. Capitulum illud de Generalis electione, honoris ergo atque utilitatis tuae et succedentium Generalium perscriptum est: namque ad sedis stabilitatem firmitatemque spectat, quia haec defensorem sanctum imperatorem nancisceretur. Romani tamen, ut puto, vim vobis in hoc haud facient: sed ne in questione quidem de azymis vos cogent, si certe de ceteris consenseritis.

Gener. Haec omnia ad synodi cognitionem perferam; et cum legatos meos ad regiam urbem mittam, scripto significabo tum vestrae synodo tum etiam a Deo coronato imperatori quae admissa fuerint capitula et quae secus, simulque causas aperiam propter quas aliqua fortasse repudiata fuerint. Et nisi pravus hominum hostis daemon magnum hoc negotium disturbaverit, ad nos quidem quod attinet (sic Deus adjuvet) non impedietur. Oportet enim neque nos summo jure agere, neque item vos, siquidem unionem exoptatis; sed in quibusdam indulgere, quae fidem non violant; quippe rituum differentia ecclesiasticorum, hominem a christiana religione non submovet. Nunc vero, si placet, reditum parate. Post enim discessum vestrum, ad meos omnes episcopos scribam, ut vel ipsi veniant, vel legatos mittant, quotquot gravis causa ad synodum convenire prohibet. Porro opus est ut ego unionis negotium non sine Albaniae Generali transigam: hic enim sedem Gregorii illius insidet, qui sancti Gregorii nepos fuit, in Armenia magna, quicum mihi spiritalium negotiorum perpetua communio est, ita ut neuter inscio altero quicquam agat. Est enim inter nos intervallum iter mensium, ut reor, trium.

Theor. Quandonam Synodum coacturus es? Tempus enim definite nobis designari oportet, ut imperatori et ecclesiae significemus.

Gener. Ne ego quidem novi, prius quam eos accurate rogavero qui locorum intervalla sciunt.

Theor. Sane tempus a te spatiosum concedendum est, ut singuli viaticorum suorum rationem habeant.

Gener. Sic prorsus agendum est. Verum tamen ego per homines meos familiares imperatori scribam, tempusque synodo praefinitum significabo.

Theor. Ostende nobis, si tibi placet, quam ad imperatorem missurus es epistolam.

Gener. Ita sane. Nunc vero ad requiem secedite; statim ac enim epistolam scripsero, vobis ostendam.

Postero die misit ad nos Generalis litterarum ad imperatorem exemplar, quarum summa haec est. — Existimavimus neminem offensum iri adversus nos, qui unam Christi naturam dicunt, quandoquidem id recta interpretatione explicatum, vitio caret. Sed quia nonnulli scandalum hinc patiuntur, nos quidem unam dicere Christi naturam prorsus jam desinemus. Exin Generalis secretum optavit cum Theoriano colloquium, quem sabbato hora valde serotina ad se vocatum ita allocutus est. Mei mihi episcopi offensi sunt, ideoque opus est ex illorum animis scandalum evellere: quamdiu enim ita se habuerint, nequaquam mihi ut praesuli morem gerent, sed cavillabuntur, utpote genus hominum pervicax et obduratum. Sed enim cras die dominica conventuri ad synaxim sunt multi episcopi, praesulesque mei prope omnes. Tu igitur, si libet, pro ea quam tibi contulit Sapientia Deus concionare apud eos, iisque suade, neque arcanam epistolam neque dictum aliquod ad imperatorem a Generali missum fuisse, nisi hoc tantum, nempe — quam tua majestas optat „fieri unionem“ ego quoque et volo et cupio, atque ut fiat operam do. — Igitur Theoriano excipiente negotio, crastina die Generalis splendida concione coacta, invitavit nos. Tum ibi Theorianus haec verba fecit.

Theoriani Oratio.

Nihil aeque utile hominibus, totque ac tantorum bonorum causa est, ut praeceptorum Dei observantia. Propter hanc enim et Dei servi sumus, et incomprehensibilis regni heredes, et Christi fratres, et Dei filii esse dicique meremur; qua quidem re nihil beatius aut optabilius esse potest. Hanc praeceptorum Dei observantiam rem sane magnam atque difficilem et infinitorum bonorum fontem, praestiturum se spondebat Deo propheta rex et Theopater David, si modo calumniae vim vitare potuisset: „redime me, inquit, a calumniis hominum, et custodiam mandata tua.“ Quid ergo privati facient, si rex calumniam extimescit, atque ut ab ea liberetur, perdifficilem sponsionem facit? Haud sibi postulat longaevam vitam, puta quingentorum vel amplius annorum, vel universi orbis dominationem, neque aliud quiequam optabile aut admirabile, sed adversus calumnias hominum defensionem; quam si impetret, mandata Dei servaturum se promittit. Maximum reapse malorum calumnia est: ideoque mens illa apprime prophetica et regalis hanc expavebat, neque se ab ea tutum totius regni sui viribus credebat, qui ceteroquin victoriis innumeris potitus fuerat. Mater enim scandalorum calumnia infinitis malis orbem obruit: fratres invicem distrahit, parentes a liberis, hos a parentibus, a dilectis uxoribus viros. Quippe hoc validissimum diaboli atque antiquissimum telum est, unde, etiam nomen homicidae ille nactus est: neque enim aliud calumniator significat quam diabolum. Neminem quamlibet reverendum reveretur Satanas, honorabili honorem denegat audax ille et procacissimus. Quamobrem inimicus ne venerabili quidem patri nostro sanctissimo Generali pepercit, quem reverenter angeli tamquam suum aemulatorem, qui ipsorum mores luteo in corpore imitari contendit: sed vetere suo adversum illum telo, calumnia scilicet, usus est: Audivi enim furtivos quorumdam sermunculos dictitantium, quod secreto Generalis imperatori significaverit, se quartam synodum recipere, atque ad romanas

partes accedere, sive Armeni sequantur sive secus. Et has quidem fraudes apud vos contra Generalem draco nexuit. Rursus nobis hanc calumniam imposuit, quod eum ipsum haereticum per universam Romaniam dictitaremus. O Satanae improbitatem! Quis apud nos Generalem haereseos insimularet, quem ego sanctissimum in disputatione scripta appellavi quae in palatio ac synodo lecta fuit, ex qua licet contrariam prorsus calumniantibus sententiam conficere. Sed haec quidem machinatus est pacis et concordiae hostis, qui recte factis semper adversatur. Nos vero Generalem et sanctum judicamus et dicimus: neque quicquam ipse ad imperatorem, praeter hoc scripsit; „quam tua majestas vult unionem, nos quoque volumus et peroptamus; et cum synodum nostram celebrabimus, legatorum majestatis tuae sermones coram sistemus; et quod Deus rectum esse demonstraver et faciemus; idque totum potenti majestati tuae per nostros antistites significabimus.“ Haec per scriptum Generalis significavit. Pax autem Dei quae superat omnem sensum, quam et Dei esse didicimus, et cujus Deus ipse Deus est, quaeque ipsa Deus est, tamquam in pace Dei nostri, suos quidem hostes in aeternum exterminet, amatores autem in Christo Jesu domino ac vero Deo nostro concordes servet.

Gener. His dictis, Generalis ait; neminem frugi ignorare arbitror, quod origo malitiae serpens Christianorum unionem spectare non sustinet: enecatur enim a filiorum Dei concordia; letalem gladium visceribus accipit, si prosperam pacem cernat. Ergo quod nobis hujusmodi fraudes struxerit, unionis causa disturbandae, nil est mirandum: sed tamen nos ejus scandala non latuerunt. Quare dictorum adversus nos nullam rationem habemus, sed quod olim imperatori significavimus, nunc iterum significamus. Vos autem, si placet, jam valete.

APPENDIX VI.

Propositiones Graecorum, quas postulant a nobis (Armenis) ad pacem conciliandum: et juxta illas resolutiones appositae.

Postulant Graeci. I. Ut anathematizetis assertores unius in Christo naturae, Eutychem, Dioscorum, Timotheum Aelurum, aliosque omnes eorum consentaneos.

Responsio. Anathematizamus Eutychem, quem et sancti Patres nostri, antequam nos, detestati fuere, nec non et Severum. Circa Dioscorum autem, nondum nobis innotuit, illum fuisse Eutychis consentaneum; maxime quia habemus epistolam, ad nostras Ecclesias missam a sancto Germano Regiae civitatis Constantinopolitanae Patriarcha, in qua dumtaxat Eutychem hujusmodi haeresi laborantem memorat, et non alium; illumque nobis anatematizandum proponit. Qua propter fas esset vobis, nostras prius mentes hac in re dubia confirmare, producendo scilicet erroneum Eutychis scriptum, scriptumque Dioscori: quodsi in illis Eutyches a Dioscoro susceptus ostenditur, aut si hujus scriptum eandem illius haeresim sapere deprehenditur, expediet tunc utique nobis, una cum Eutyche omnes alios ejus consentaneos execrari.

II. Confiteamini Dominum nostrum Jesum Christum, unum filium, unam personam, unum Christum, unum Dominum, unam hypostasim, indivisibiliter, immutabiliter, inalterabiliter, inconfuse: non alium filium Dei et alium filium sanctae Deiparae; sed eumdem filium Dei et filium hominis; in duabus naturis unum confiteamini Deum et hominem; atque duas naturas unum et eundem Christum habentem,

duas operationes naturales, divinam scilicet, et humanam; atque duas voluntates naturales, divinam et humanam, non ad invicem contrarias, sed humanam divinae subjectam, et concordem.

Resp. Huic confessioni consentientes invenimus omnes sanctos, et magnos doctores in verbis ipsorum, nimirum B. Athanasium et Gregorios, quique *eis similes* exstiterunt, pariter et divum Cyrillum, qui adversus Nestorium strenue decertans, victoriaque potitus ad comprobandam ineffabilem et inconfusam Christi conjunctionem, pessimo divisori contrariam, nonnullis in locis dixit: *Una est natura Verbi incarnati.* Quod recipientes Patres nostri, juxta eandem Beati Cyrilli mentem, id ipsum confessi sunt, nobisque tradiderunt, quod secundum conjunctionem Verbi cum carne dicatur per declamationem una natura Verbi cum carne, et non secundum definitionem simplicis essentiae: hoc enim qui poterat a confitentibus Christum Deum et hominem, asseri? Et quidem licet juxta rectam adhuc confessionem verba declamationis explicemus, neque tamen idcirco expletur voluntas Fraternitatis vestrae; quinimmo in suspicionem, et scandalum etiam apud vos adducimur, quasi Christi naturas confundentes, atque in unam vertentes quod absit vel ad mentem venire; sed ab istiusmodi opinione tum Patres nostri, tum nos ipsi adversi omnino sumus coram Deo. Verumenimvero ad Ecclesiae sanctae pacem conciliandam, ad vestram aedificandam dilectionem, utque a nobis istius infundatae suspicionis offendiculum auferatur operae pretium ducimus, abstinere nos in posterum ab illo declamationis dicto unius naturae Verbi incarnati; sed asserere duas naturas, unde existentia illius ineffabilis unionis Verbi et carnis definiatur. Atque sicuti eamdem confirmaverat S. Cyrillus et Patres nostri, ipsius sectatores, adversus eos qui Christum in duas naturas, duasque dividebant personas: ita modo nos illam dissolvimus contra opinionem eorum, qui naturas ipsas confundunt: ac sanctorum Patrum confessioni concordes, immobiles in veritate persistimus. Quocirca veracem adhuc, et patentibus Patrum testimoniis roboratam, sanctis Patris vestri

Germani epistolam habemus juxta rectam et veram doctrinam. Hinc quoque potentes efficimur ad discendam vestram duplicis voluntatis, atque operationis professionem, in unum Christum Deum referendam; nec respuimus, sed approbamus vos, veritatis sectatores, vestraeque confessioni consentimus.

III. Volumus, ut sacrum Trisagium sine additione illa, *Qui crucifixus es pro nobis;* et absque particula illa, *Et,* concinatis.

Resp. Vix ullius momenti, et minor quidem, quam ut perfectissimae vestrae sapientiae scandalum parere possit, suspicio ista est: quinsi in Christum diceremus, *Sanctus Deus, sanctus et fortis, sanctus et immortalis, miserere nobis.* Scandalum forte sumere potius conveniret, quasi humanationis gratiam, et quam pro nobis ille subiit, passionem erubescentes abjuraremus; verbum cum et hoc confiteamur gloriantes, ut inquit Paulus, *mihi autem absit gloriari, nisi in cruce D. N. Jesu Christi:* cur mendaces existimamur a Fratribus? anne quia Deum crucifixum asserimus, et non Christum? sed quaesumus, ne in hoc offendatis; nam crucem adjecisse sufficit ad illius humanitatem, quam mente concipimus, explicandam, atque ad servandum nos ab omni passionis Divinitatis opinione remotos. Tum particulam, *Et,* superaddimus ad connexionem orationis perficiendam, etenim dictio illa *Sanctus* (սուրբ surp), in nostro idiomate brevissima est; nec proinde cum alia potest dictione se sola annecti, quemadmodum vestrum ἅγιος. Caeterum, quod erga Christum sit a nobis Trisagium decantatum, testes vos ipsos adducimus: extat enim in urbibus Damascena et Mamuestana vestris litteris exaratus hymnus in columnis. *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, qui crucifixus es pro nobis, miserere nostri.* Quare hoc pacto eum esse canendum, haud ipsimet excogitavimus, sed a vobis ita nos didicisse, comperimus, quam autem ob causam deinde hanc Patrum traditionem in minimis posueritis, ignoramus: quippe ineptus ille rumor de voce, quae a puero, sursum in aërem elevato, audita fuerit, seniorumque traditionem immutaverit, nos

offendit, quoniam, *Licet nos*, inquit Apostolus, *aut Angelus de coelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit*, ille porro quid Christanis evangelizavit, nisi quod in cruce D. N. Jesu Christi glorientur? in qua profecto, evangelio ejus consentientes, et nos, et vos gloriamur; scimus, quod vos ob suspicionem de passione divinitatis ab illo verbo abstinetis. Nos autem non ita subtiliter meditamur, non adeo quod ibi Deum nominamus, missam propterea faciamus gratiam carnis: quemadmodum neque cum Christum appellamus agnum, auferentem mundi peccata, gloriam et essentiam divinitatis obliviscimur. At quia exoptamus vel in hoc, summa nostra voluntate Dilectionem Vestram conciliare, justum existimavimus ad medendum et in hac parte isti fratrum nostrorum suspicioni, ita in posterum erga Christum canentes Trisagium: *Sanctus Deus sanctus et fortis, sanctus et immortalis, qui incarnatus, et crucifixus es pro nobis, miserere nostri.* Sicque vestrae charitatis opinio dirigi poterit, ne additio illa, *qui crucifixus es*, in ipsam videatur Trinitatem, aut in Christum, secundum Divinitatem acceptum, a nobis referri.

IV. Quaerimus, ut in festorum celebratione nostrae conformemini Ecclesiae; celebrantes nimirum festivitatem Annuntiationis XXV. Martii; Nativitatis XXV. Decembris; Circumcisionis I. Januarii: Epiphaniae VI. ejusdem mensis: Purificationis II. Februarii: et similiter absque ulla mutatione proprio quoque die caeteras festivitates Domini, Sanctae Dei Genitricis, Joannis Baptistae, et Apostolorum.

Resp. Sciat Vestra Fraternitas, quod quidquid ad orthodoxam Christianae fidei professionem spectabat, jam in praecedentibus capitibus lubenter suscepimus et confessi sumus: idque profecto, tum ad spiritualem, corporalemque communionem cum charitate vestra servandam; cum quoque ne contra scientiam veritatis niteremur; sed non, quod addentes in hac ad regalem amplitudinem ascendamus, neque minuentes in extremam perveniamus mendacitatem: haud enim juxta verbum Apostoli, instantia, neque futura poterunt nos

separare a charitate Christi aut ab ea, quae in ipsum est, recta fidei confessione; sed potius vobiscum in unitatem et communitatem secundum fidem ejusdem consociamur. Porro quod attinet ad festivitatum dominicarum celebrationem, quam a nobis postulatis; illas quidem omnes habemus, ac una vobiscum ad gloriam Christi celebramus, excepto Nativitatis die, et eorum, quae ad ipsam ordinantur, mysteriorum Annunciationis, et Purificationis, quae quidem Nativitas, a Majoribus nostris traditum accipimus, ut ipso Baptismi die concelebretur. Verumtamen nos hic propter concordiam congregati, Christique pacem perficere cupientes, acquiescimus, etiam in hoc magnae vestrae Ecclesiae concordare; et quamvis nihil excessus, aut defectus Christi fides patiatur ex hac de uno die in alium festorum translatione; id tamen complere, Fratribusque concordes inveniri, ex charitate saltem debemus, et volumus lubentissime: tametsi, cum jam olim ab antiquo inveterata sit in medio nostri illa consuetudo, difficilis nobis erit rei istius executio. At vero, cum inferius nostrarum similiter capita postulationum exponenda sint, si quidem vos Deus ad eisdem satisfaciendum roboraverit, easque suscipere vobis libuerit nos etiam obstricti erimus, alter alterius onera invicem portando, legem Christi vel in hac parte adimplere. Porro si vos infirmi ad hoc fueritis, et nostrae quoque infirmitati quaesumus ignoscatis.

V. Volumus, ut sanctum oleum ex arboris fructu conficiatis.

Resp. Ex paupertate quidem derogata est haec traditio; cum in plaga septemtrionali difficillime ea reperiatur materia, quae continet typum gratiae Spiritus sancti. Si tamen deinceps inventu facilis fuerit, haud quaquam propter legem aut propter negligentiam, abrogemus.

VI. Volumus, ut in pane fermentato cum vino et aqua divinam Eucharistiam conficiatis.

Resp. In hac parte, sane justum existimamus ut Reverentiae Vestrae cum Apostolica Petri sede, et cum nostra humilitate concordes efficiamini, atque ita submissi legem

charitatis instauretis, sunt namque illi, non secus ac vos, apostolicae traditionis discipuli, cum quibus et nos azimum panem in Christi sacrificio consecramus. Quod si tantam vobis humilitatem Deus concesserit, ut hac in re nobiscum conveniatis; debitum nobis erit, ne quid obstaculi Ecclesiae unitati opponatur, aquam puro vino miscendi, ad gloriam Dei.

VII. Volumus, ut cum perficitur divinum sacrificium, omnes Christiani, tum ecclesiastici tum seculares intra Ecclesiam commorentur; iis exceptis, quibus hoc poenitentiae gratia a Canonibus prohibetur. Hoc idem similiter in aliis Ecclesiasticis functionibus observetur.

Resp. Hujuscemodi delictum nequaquam ex voluntate, sed ex eo plane processit, quia gens nostra extra patrias regiones et Ecclesias suas expulsa est, ac egena peregrinatur in medio vestri, quare vobis non modo in vestram nos communionem non excipientibus uti par erat, verum et januas Ecclesiarum quoque vestrarum praecludentibus in faciem nostram, nobis impossibile fuit, in hac peregrinatione Ecclesias populis nostris sufficientes aedificare. Hinc abusus ille, processu temporis ex paupertate continuatus, veluti firmam in legem versus est, nam superioris nostrae Regionis incolae, perspicientes, habitatores inferiores hujus Regionis, in quam sedes Patriarchalis translata fuit, ob Ecclesiarum penuriam extra illas orare, et ipsi quoque similiter, aemulatione minime quidem laudabili, eundem extra Ecclesias orandi usum receperunt: quapropter ut magis caveatur ab opinione defectus, religionis id evenit apud vos.

Caeterum si Patriarchali huic sedi dederit Deus Ecclesias populorum capaces, facile iterum poterit in universam Armenorum nationem, extendi haec consuetudo, exemplo, et vi nostri mandati.

VIII. Volumus, ut recipiatis quartum, quintum, sextum et septimum Concilium Oecumenicum.

Resp. Definitio et causa Quarti Concilii reperitur inter nos; quod quidem concors est cum tribus aliis praecedentibus: id circo et a nobis jam receptum est. Cum vero nos de aliarum

etiam Synodorum definitionibus, et causis certiores feceritis; illasque suprascriptae confessioni, et tribus prioribus Conciliis concordes, atque consonas invenerimus, excipiemus cum amore.

IX. Volumus, ut vestri Patriarchae promotionem ex Graecorum dumtaxat Imperatore accipiatis.

Resp. Praesens Caput, etsi postremum in ordine, tamen continet omnes alios praecedentes: quoniam istud, si ita quidem evenerit, hanc quam modo pacem adstruimus, confirmabit, immo magis, magisque augebit: sin vero minus, licet nos jam conseramus in praesentia, nullos tamen horum seminum fructus dehinc collecturos, speramus . . . . .

His praemissis, sequitur responsio satis prolixa et hiulca, ac tandem assensus praestitus postulationi graecorum sub conditione jungendi Sedem Antiochenam Patriarchatui Armeno, idest:

Sequuntur propositiones, quas Armeni postulant a Graecis.

I. Quaerimus, ut omnes, qui crimen aliquod admiserint de singulis ipsorum delictis, juxta Canonum decreta, judicentur: nec ordines in Ecclesia Dei suscipiant, nisi post accuratum examen.

II. Quotquot vero ex iis, qui ad ordines promoti sunt, deliquerint, judicio publico deponantur; et post condignam poenitentiam, locum sui ordinis inter collegas obtineant.

III. Membris mutili, mancique, quacumque licet causa ad honores Cleri ne admittantur.

IV. Ut sacrosanctum sacrificium azymo pane perficiatur, juxta veram magnae Romanorum Ecclesiae, atque nostrae traditionem.

V. Ut penitus opinio illa tollatur reliquias sancti sacrificii sub terra asservandi; neque post consecrationem, misceatur aqua calida.

VI. Jejunia, a canonibus injuncta nec a Regularibus, nec a Sacerdotibus esu piscium aut vini potu solvatur.

VII. Patriarcha Armenorum Antiochenae sedis potiatur omniumque Ecclesiarum et confinium, quae ejusdem sedis dictioni in orientali atque occidentali parte subduntur, et successio ejus in Patriarchatu Armenorum fiat ex mandato Imperatoris in posterum.

APPENDIX VII.

Epistola Canonica Constantini I. Patriarchae, Canones Synodi Sisensis (1243).

Constantinus Servus Jesu Christi, et per gratiam Ejus Patriarcha Armenorum benedictionem et salutem, et amorem Dei omnibus adprecatur.

Notum facio omni Ecclesiae Armenorum, manentium sub pastorali jurisdictione SS. Apostolorum Thaddaei et Bartholomaei, et benemeriti Confessoris Christique Athletae Gregorii Illuminatoris, ac nostrae licet inferioris auctoritatis, hoc esse praeceptum Apostolicum, ter in anno ut Praelati Ecclesiae Synodice investigent, quomodo observentur constitutiones aeternae, a Spiritu Sancto profectae, ut si qui defectus irrepserint corrigantur, et expleantur quae desunt et zizania quae inimicus homo forte superseminaverit evellatur. Hujus praecepti jamdiu absolevit observantia, partim ob gentis nostrae dispersionem, partim vero ob longinquitatem locorum, ac pericula itineris. Etenim justitia Dei, quae mundi sceleribus, et iniquitatibus vindex imminebat, post multam longanimitatem, et patientiam, gladium evaginavit, deditque bibere de vino irae suae, quod mixtum est mero in calice irae ipsius populis, et nationibus, et biberunt omnes peccatores terrae, atque inter eos nos ipsi computati sumus, et promeritas poenas luere coacti sumus tam nos, quam parentes, et consanguinei, filii filiaeque nostrae spirituales. Nam regio nostra, in qua peccatum abundabat, et nequitia, sanguine, et lacrymis perfundi visa est, habitatores ense necati vel a bestiarum dentibus laniati, eorumque cadavera, et ossa in aggerem congesta: quique caedem

effugerunt, miserabiliter venumdati, atque in dissitas orbis plagas captivi abducti sunt. Filii Sion inclyti, et amicti auro primo, agni Christi gemmis praetiosiores, reputati sunt in vasa testea, proculcati ut stercus, et oblivioni traditi. Adorabilia, ac veneranda signa redemptionis nostrae, sacra vasa sanctuarii, ab insanis, abjectisque hominibus directa, et in prophanos, et indignos usus conversa. Urbes, et provinciae funditus eversae, ac in tantam vastitatem adductae, quae neque verbis aequari, neque lacrymis defleri satis queat. Attamen Dei misericordia, que superabundavit in nobis, reliquit nobis aliquod semen vitae speique germen insevit isti telluri, que sita est ad orientem, in memoriam beneficiorum Dei, per intercessionem SS. nostrorum Patrum, et ad solatium nostrum. Vos enim post tantum, quas tolerastis passionum pondus vos adhuc habetis doctores, populos, monasteria, civitates, provincias, in vobis benedictio diffusa conspicitur, omnisque spes prosperitatis, et instaurationis in vobis residet. Vos peculiaris Christi, nostraque haereditas: vos filii gloria, et corona nostra, spirituali nostrae curae concrediti. Qui propter post tot effusas lacrymarum imbres ob ruinas, clades, et excidia, quae nostris temporibus contigerunt, libeat vobiscum gratulari, Deoque gratias agere: sed heu! alia impendentia mala et calamitates pertimescimus: nam eaedem causae divinam ultionem provocantes adhuc supersunt in multis, vita nempe, et mores eorum voluntati Dei, et praeceptis Ecclesiae repugnantes.

Tribus abhinc annis, nos, universa curia, et Episcopis proximarum provinciarum comitantibus in Ciliciam perreximus, Regem nostrum a Jesu Christo coronatum Haitonem adituri: ac de nostro mandato ejusque auxilio in coetum convocavimus Episcopos, Doctores, Monachos, Praepositos Monasteriorum, principes eorumque aulicos, viros undique conspicuos, simulque recognovimus leges, et mandata Dei, eorumque qui sunt apud ipsum, Apostolorum, et Patriarcharum, nosque ipsos invenimus in multis deficientes, reprehensibiles, reos poenae obnoxios, et inexcusabiles, et ex toto corde vehementer hujus nostri errati poenituimus; et previo maturo examine de unanimi consensu

huic Constitutioni, et regulae abviae, facili, ad prudentiae moderamen expensae, et Spiritui Sanctarum Scripturarum apprime consonae subscripsimus: et ex pleno animi voto polliciti sumus coram Deo, et Angelis, et hominibus adimpletionem ejusdem constitutionis pro viribus nostris divino adjutorio robaratis.

Expectavimus si quo modo tandem aliquando prosperum iter haberem in voluntate Dei veniendi ad vos: desidero enim videre vos, ut a vobis, nostro proposito exemplo, subscriptionem praesenti constitutioni obtineremus: sed prohibiti sumus usque adhuc. Quapropter praedictas sancitas constitutiones convenienti scripto exaratas ad vos mittimus, et a vobis petimus, testem invocantes Deum, et freti auctoritate et gratia hujus nostrae Sedis Apostolico praesidio munitae, per sacra, divinaque omnia obtestantes vos ante conspectum SS. Apostolorum, ac S. Patris nostri Illuminatoris, ut eas in toto, et ad ungeum executioni mandetis.

Est autem Constitutio, quae sequitur:

I. Sacra ordinatio, Spiritus Sancti donum, quod ab Ecclesia illis, qui digni sunt conceditur, absque pecunia administretur ad Canonum praescriptum: esset enim Judae, et Simonis magi peccatum, qui reprobati sunt, et gratiae participes non fuerunt; attamen in multis locis iste canon contemnitur ob paupertatem, et ignorantiam.

II. In posterum ii tantum qui digni et doctrina praediti existimantur ad gradum Episcopatus assumantur, praevio districto examine, et testimonio, et cum dioecesis consensu omni lucro secluso, quique in aetate non minori XXX annis sint constituti.

III. Praecipuum Episcopi opus est, ut ipsemet magna sollicitudine designet Magistros, et studiis deditos sacrarum disciplinarum: eruditi vero puerorum Magistri sint.

IV. Quapropter qui maturae aetatis sunt, nempe si presbyteri esse velint XXV annorum, si diaconi annorum XX, qui scientia, et sanctitate vitae, praesertim Institutorum testimonio commendantur, ad sacros ordines gratis promoveantur.

V. Sacerdotes Sacramentum Baptismatis, Eucharistiae et Matrimonii jejuni in Ecclesia administrent: si autem periculum mortis catechumenis immineat, tum quandocumque baptizare valeat absque pecunia.

VI. Sacramentum Baptismatis, Matrimonii non blaterando, et sidendo, administrentur, sed cum magna fiducia, et precibus adstantium id etiam servetur in exequiis defunctorum.

VII. Fons baptismatis solidus et immobilis construatur, et conopaeo sit instructus: mysterium enim magnum est.

VIII. Matrimonium consulto ab iis contrahatur, qui sex gradibus consanguinitatis inter se distant: sponsus in anno XIV, et sponsa in XII saltem sint constituti.

IX. Episcopus, Magister, Presbyter, aut Plebanus in aliena dioecesi non vagent, nec aedificent absque Ordinarii licentia, et eo permittente congrua honestate se gerant, nec sese opponant dioecesanis indigenis: quod si quis hoc audeat, anathema erit.

X. Magistri instituantur multorum adhibito testimonio, ut peritiores, et exercitatiores viri seligantur: item qui scientiarum studio incumbunt ab ipso Episcopo eligantur praevio experimento, et perfectiorum testimonio.

XI. Mandet Episcopus Ecclesiasticis dignioribus, eruditis, ac doctis Catholicis ut Sacram Scripturam Ecclesiae transcribant.

XII. Episcopus bis [1]) in anno dioecesim suam lustrabit, ut gregem suum cognoscet: doctos, ac sanctos viros Chorepiscopos instituat, ut in causis Ecclesiasticis judicium ferant, ad praescriptum Canonum, et citra avaritiam.

XIII. Deputentur Confessarii maturae aetatis, et docti, qui dominica quoque die poenitentes de peccatis in hebdomada commissis gratis audiant. Sacerdotes vero item gratis S. Eucharistiam administrent iis de populo quibus a confessariis commissum fuerit, quod pariter cum infirmis fiat. Sacrosancta Communio non deferatur infirmis, nisi cum thuribulo et candelis.

1) Al. Cod. Ter.

XIV. Populo non permittitur in paroeciam propria auctoritate se constituere, sed de Episcopi mandato.

XV. Etiam Chorepiscopi studeant omni cura, ut fornicarios, adulteras, prestigiatores omnesque peccatores ad conversionem reducant timorem gehennae ignis minitando, incorregibiles vero poenis corporalibus et spiritualibus, nec non multationibus arguant, eos praesertim, qui se conjugibus intermiscent, aut meretrices ducunt uxeres, vel relictis legitimis uxoribus ad meretrices ingrediuntur, vel propter odium uxorem propriam deserunt sine causa adulterii, in hujusmodi castigationibus absque misericordia animadvertatur. Si vero vir spectabilis sit, qui Ecclesiae ejusque legibus pertinaciter contradicit, a Rege de publico peccato et de blasphemia moneatur ne alii in idem labantur. Quod si mulier ita impudens sit, ut hominem conjugatum, vel liberum alliciat, coram corripiatur.

XVI. Omnia jejunia canonice mandata, abstinendo a pisce, oleo, et vino observentur, excepto casu infirmitatis, praesertim in quadragesima in quarta, et sexta feria, qui dies Christi passioni dicati sunt. Violatores multa punientur: pecuniam pauperibus tribuent, et jejuniis Deo satisfaciant.

XVII. Praecipua nobis cura fuit, et antequam vos omnes quidquam cogitaveritis a Rege Haitone, ejusque patre Constantino, et a Principibus omnibus obtinendi, ut impii excommunicati, qui blasphemantes fidem, creatorem, baptismum, angelos, sacerdotes, os, faciem, sepulchrum, et similia contemnunt — vitium recenter serpens — istorum lingua amputetur, vel perforetur, et per foramen funiculus immitetur, et sic per diem fustim circumferatur atque pro viribus favore pauperum multentur.

XVIII. Quod si Sacerdos in similes culpas inciderit, dupliciter punietur, ordine suo non obstante.

XIX. Sacerdos qui praeter Ecclesiae negotia, implicat se aliis negotiis, piscatione, et officio notarii [1]) a populo expellatur. Similiter expellatur presbyter illiteratus, ut melius instruatur; et sic fiat de sacerdotibus indignis.

[1]) Al. Cod. — Implicat se negotiis corporalibus, piscatione excepta, et scriptione.

XX. Sacerdos viros, et mulieres, virgines, puellas, et pueros inter annum seorsim congreget, omnesque per classes convenienter moneat, obsecret, et arguat, uniuscujusque mores scrutetur, semperque invigilet: quod si ipse minime idoneus sit, per aliam personam idoneam faciat, sicuti S. Athanasius in suis Canonibus docet.

XXI. Populus libenter, et supplex tributa solvat Sacerdotibus de fructibus agrorum, et praescriptam partem oblationum animalium (մսուաղ madagh), et nuptiarum: sic etiam vestimenta exequiarum, et stipendia pro Missa; non tamen tamquam pretium sacrificii: ita quoque vestimenta, et alimenta Sacerdotis, qui orationi, Missae, et Ecclesiae se mancipavit.

XXII. Presbyteri servitium praestent, prout populo congruit[1]) et ipsi Episcopo uti decet statutas oblationes tribuant.

XXIII. Episcopi praestationes, et oblationes juxta Canones Sedi Patriarchali rite offerant. Scripsit enim S. Gregorius Illuminator, quod Sacerdotes decimas a populo recipiant: Episcopus a Sacerdotibus, et Patriarcha ab Episcopis. Quare si id non facitis, offerte saltem quod honestum, et necessarium est, uti mandavimus. Tribuite autem alacri animo tamquam oblationem benedictionis, et non avaritiae, ut Sedes stabiles subsistant, non indigentes, Ecclesiae decenter serventur, et benedictio Dei descendat in fruges vestras, vestrasque justitias, quoniam quod datis non homini, sed Deo datis, nec merces vestra apud hominem erit.

XXIV. Binas illas orationes, quas ante Trisagium recitamus, nolite cum Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto concludere, ne Crux Trinitati decantata credatur. In fine orationis, *Gratias agimus tibi,* dicatur tantum, *ut simus templum, et habitaculum gratiae tuae, et cum gratiarum actione glorificemus te nunc et in aeternum; Amen.* Et post orationem *Audi nostras voces,* dicatur, *gratiam et misericordiam a Te invenire et cum gratiarum actione glorificemus Te nunc . . . . .* et post *Dominus vobiscum* in fine orationis *Adoramus Te* semper dicatur *in excelsis*

1) Al. Cod. Oblationes a populo recipiant, et ipsi . . .

glorificemus omnipotentem dominationem tuam nunc, et semper, et in saecula Amen.

XXV. Gens Francorum scripsit nobis, quare non adimpletis praeceptum Fratris Domini, et non ungitis oleo benedicto infirmum morti proximum. Quod si obierit, unctio sepulturae erit ei, si autem vixerit alleviabitur et peccata remittentur ei. Et scitis quoniam Ozniensis Joannes (Patriarcha), qui nos a caeteris nationibus segregavit, scripsit, istam unctionem esse faciendam, sacerdotem tantum animadvertere, ut parum olei benedicat, ne quid superflui remaneat, et maledictionem Dei et nostram incurrat, atque scandali occasionem non praebeat. Haec necesse putavimus scribere vobis. Salutamus Vos in Domino. Qui scribit observat et docet et moderate haec nostra verba operibus adimplet; Dominus Deus det illi gratiam, et misericordiam qui autem dispergit, et contemnit reus erit apud nos, et apud Regem, et rationem reddet in conspectu Altissimi.

APPENDIX VIII.

Constitutio Concilii generalis Sisensis Armenorum jussu Domini Gregorii Patriarchae, et Leonis Armeniae Regis ad uniendam Armenam Ecclesiam cum Romana, coacti anno Domini MCCCVII, et Armenorum DCCLVI.

Studiosissime et sapienter, Leo in Christo potens et victoriosus Armenorum Rex, ex sacrosancto Armeniae Patriarcha Domino Gregorio jam contenderat rem spiritualem ac divinam, ut totus nimirum in sanctae Christi Ecclesiae unionem in disciplina et traditionibus procurandam eousque incumbere, nihil praeterea, deberet: quo Armenam Ecclesiam cum magna Romana Ecclesia, aliorum Catholicorum Ecclesiis, in festis celebrandis, aliisque traditionibus suscipiendis ad unionem et communionem perduceret, ut immaculata et sancta Ecclesia fiat unum corpus, conjunctum in unum verum caput Dominum nostrum et Deum Christum. Quod sane ubi accepit Beatissimus Pater noster Dominus Gregorius, cognito, quod ejusmodi postulatio fuerat in animo et corde piissimi Regis a Sancto Spiritu insita, nimium inde voluptatis, ac laetitiae hausit: quapropter summa ipsius voluntate, et libentissime facinus hoc divinum aggrediens, rem totam diligentissime ratione atque animo lustrare coepit. At quia praecipue compererat, aquae commixtionem fore in sacro sacrificio apprime necessariam, in Ecclesiam quoque nostram nobis introducendam esse, adjudicavit; quemadmodum ea nunc pariter sancta et magna Ecclesia Romana aliaeque caeterorum Catholicorum: idque testimoniis sacrorum librorum, sanctorumque Patrum doctrinis nobis

probatum reliquit: immo et firmo statuerat, opportuno tempore in Armenis Ecclesiis pleno etiam concilio stabilire.

Justum quoque arbitravit esse nobis recipiendas omnes septem Synodos, et quidquid in illis a sanctis Patribus decretum fuit, praesertim circa duas naturas, voluntates et operationes, quae in uno Domino nostro Jesu Christo, secundum divinitatem et humanitatem perfecto, verificantur: sicuti nunc tenent universales et magnae Ecclesiae, sancta et magna Ecclesia Romana, Constantinopolitana, Alexandrina, Antiochena, et Hierosolymitana, ut et nos Armeni veneratione et honore recipiemus septimum concilium veluti sanctum et divinum, sicut et primum et alia omnia, et quidquid in illis confirmata sunt. Tum etiam demandavit, ut festivitates dominicas uniformiter cum praefatis sanctis Ecclesiis Catholicis solemni ritu celebraremus; nempe festum Annuntiationis, XXV. Martii, quacumque die contigerit, similiter festum Nativitatis Domini, XXV. Decembris; ac festum Purificationis, II. Februarii; caeteras autem sanctorum festivitates juxta Menologium (Haismavurk) ageremus, sicuti alii Christiani omnes agunt. Porro illae quas peculiari nostra traditione, Armena celebrare solet Ecclesia, eodem prorsus modo in posterum, sicuti nunc observarentur. Item Trisagium cum additione *qui crucifixus es* opportunum duxit sic in Filium esse decantandum: *Sanctus Deus, sanctus et fortis, sanctus et immortalis, Christe, qui crucifixus es pro nobis, miserere nostri.* Denique in vigiliis Dominicae Nativitatis, Baptismi et Resurrectionis, praecepit nobis piscibus tantum et oleo uti sicut Romana solet Ecclesia.

Haec itaque in sua epistola recollecta et sacrorum Scripturarum oraculis, Sanctorumque Patrum traditionibus confirmata misit ad piissimum Regem Leonem, ut illa tempore congruenti, ad tollendos Ecclesiae Armenae defectus, atque ad omnem aemulationis, et odii extinguendum fomitem, qui in eam, occasione mali, obrepserat, pleno indicto Concilio stabiliret. At vero cum ipsemet sanctus Pater noster Dominus Gregorius nequivisset, ad hoc praeclarum facinus, uti animo

deliberaverat, concilii ope complendum, tantumque Ecclesiae suae beneficium conferendum pervenire; quippe ex hac mortali vita ad Dominum nostrum Jesum Christum, cui devotus maximopere vixerat, demigravit; propter ea Leo, magnus et Christi amator Rex, sanctissimi Patriarchae mandatis obtemperare desiderans, Concilium quamcito convocandum, existimavit, in quo ad praefatas traditiones decernendas interfuissent omnes Episcopi, Magistri, et abbates: idque mox praestitit Generalem hanc Synodum congregans in Metropolitana Civitate Sisensi in festo Palmarum, in Ecclesia magna Sanctae Sophiae, ubi plenissimo coetu adfuerunt Episcopi, magistri, et Patres coenobitarum et sacri populi, inter quos erat et ipse Leo, pius Rex Armenorum, et magnus Rex Pater Haiton cum multitudine principum et militum.

Episcopi autem fuerunt:

Constantinus, magnus Archiepiscopus Caesareensis.
Joannes, Archiepiscopus Tarsensis.
Stephanus, Archiepiscopus Sebastenus.
Constantinus, Archiepiscopus Sisis civitatis Metroplitanae.
Stephanus, Episcopus a Deo conservatae civitatis Tarsi.
Nerses, Episcopus Tyani.
Joannes, Episcopus Anazarbi.
Joannes, Episcopus Aiasi.
Stephanus, Episcopus Parzerperti.
Basilius, Episcopus Provinciae Cabanae.
Gregorius, Episcopus Marascersis.
Theodorus (Thoros), Episcopus (Monasterii) Masgevorani.
Jacobus, Episcopus, nepos Domini Gregorii Patriarchae.
Hesychius, Episcopus Stimbolensis[1]) (Constantinopolitanus).
Vartanus, Episcopus Dociensis.
Andreas, Episcopus Harcanensis.
Simeon, Episcopus Copitarensis.
Leo, Episcopus Zamentavensis.

1) *Εἰο την Πόλιν — Πόλις* nomen vulgare Capitalis apud Graecos.

Joannis, Episcopus Marantuniensis.
Stephanus, Episcopus Palatinus Patriarchalis.
Gregorius, Episcopus.
Hairabed, Episcopus Roranensis.
Nicolaus, Episcopus Cyprensis.
Garabed, Episcopus Mezyhertensis.
Vartanus, Episcopus Anensis.
Philippus, Episcopus Korzenensis.

Magistri **(Vartabed)** *et Patres* **(Coenobiorum)** *fuerunt.*

Joannes tabularius Mezkarensis (monasterii).
Marcus Vartabed Schevrensis.
Cyriacus Vartabed eremita.
Grigoris Vartabed.
Vartanus Vartabed Anarzabi.
Martiros Vartabed Palatii patriarchalis.
Gregorius Vartabed Kermasnerae.
Gregorius Vartabed Mezkarensis.
Gregorius Vartabed Graghizensis.
Vartanus Vartabed Agneranus.
Sergius Abbas Monasterii Agnerani.
Gregorius Abbas Monasterii Turcteni.
Basilius Abbas Monasterii Koreni.
Theodorus (Thoros) Abbas Monasterii Mezkarani.
Garabed Abbas Monasterii Movsesnozani.
Josephus Abbas Monasterii Keleghagnensis.
Theodorus (Thoros) Philosophus et Abbas Zorovanensis.

Principes, qui una cum ipso Rege Leone, et Haitone Patre Regis Synodo adfuerunt.

Principis consanguinei Regis Armenorum, Baro Oscinus Dominus Cabanae, et Baro Alinach Dominus Lampronis Tarsi.
Baro Oscinus Dux Generalis Armenorum Dominus Ganciae.

Baro Sembat Marascalcus Dominus Asgurae.
Baro Raymundus Senescalcus Dominus de Michaëlgu.
Baro Vasac Dominus Perticae.
Baro Sembat Dominus Sembataglajac.
Baro Oscinus Dominus Gobitarae.
Baro Ligos Dominus Ghistramae.
Baro Theodorus Prefectus Palatinus.
Baro Theodorus Prachsimus, et Dominus Giofelgajae.
Baro Ligos Gherascinenz, aliique Principes et Barones Armenor.
Adfuit etiam Constantinus Archipresbyter Regius, et plures alii sacerdotes et Religiosi.

Coram omnibus igitur nobis Rex epistolam Patriarchalem examinandam proposuit, quam cum diligenter legissemus, veracem omnino comperimus, non secus ac si apostolica constitutio et lex fuisset. In ea namque Beatissimus Pater noster demandabat nobis, ut duas naturas, voluntates, et operationes in unam Filii Dei hypostasim referremus: ut in celebratione Dominicarum festivitatum, hoc est Annunciationis, Nativitatis, Baptismi, et Purificationis, inveniremur caeteris Christianis conformes; ut juxta menologii dispositionem, festos sanctorum Martyrum dies ageremus, et Assumptionis sanctissimae Deiparae XV. Augusti, et Exaltationis Sanctae Crucis XIV. Septembris: ut in Ecclesia propriis juxta unius cujusque Ordinis diversitatem sacris vestibus uteremur: atque inter alia Altaris operimenta non defuissent Corporalia: ut jejunium Nativitatis Domini XIX. Decembris inchoaretur, et in vigiliis piscibus duntaxat, et oleo contenti essemus: utque demum in augustissimo Eucharistiae Sacramento conficiendo, aquam vino misceremus; quod pluribus quidem Sacrae Scripturae testimoniis comprobans nobis summopere necessarium esse, ostendit.

Et primo ex illo Joannis (Joan. Ep. I. c. 5.): *Tres sunt, qui testimonium dant in coelo, Pater, Verbum et Spiritus Sanctus: et hi tres unum sunt; et tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, et sanguis, et hi tres unum sunt.* Tum Apostolus Paulus, scri-

bens ad Corinthios (I. ad Cor. 12.) ait: *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis;* sicut et ipse Dominus accepto calice gratias agens dixit *hoc facite in meam commemorationem.* Praeter ea calix non significat vinum purum, sed potius poculum, in quo aqua vino miscetur; ut divinus etiam Salomon (Prov. 9. ex Sept.) testatur dicens: *Miscuit in cratera vinum suum:* et iterum, *bibite vinum, quod miscui vobis:* his patefaciens, calicem seu crateram esse poculum, in quo vinum, et aqua miscentur. Tum quod illud: *Calix aureus Babylon in manu Domini*, id est poculum aureum. Caeterum, quod talis in Calice mixtio necessaria sit, ostendit itidem ex sanctorum Patrum doctrina et praeceptis, hoc pacto: Magnus Chrysostomus in sua liturgia ait: *Accedens unus militum, lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis; haec dicens, infundat vinum et subdens et atqua, infundat aquam:* Sic manifesto declarans, aquae mixtionem in sacris esse Mysteriis neccessariam. Idem indicat Divus Basilius in sua quoque liturgia: *Accipiens*, inquit, *calicem, miscens, benedicens*, etc. Similiter et sanctus Athanasius, in tractatu de Baptismo, circa finem ait: *Vides hanc mensam, in medio Altaris appositam, et ad Ecclesiae decorem afferendam institutam?* et post alia subdit: *Haec est coenaculum, in quo cum Redemptore recumbis; ubi comedientibus illis, accipiens Jesus panem, fregit deditque discipulis, dicens: accipite et comedite, hoc est corpus meum; et accipiens calicem vini mixtum, gratias egit, et dedit eis dicens: accipite et bibite ex eo, hic est sanguis meus; et biberunt.* Et iterum post alia sequitur: *Proponimus enim panem, et vinum super hanc divinam mensam, in qua Sapientia mactavit victimas suas, et miscuit in cratera vinum suum.* Et Gregorius Nyssenus in Cantica Canticorum, *Pande os*, ait, *et bibe aquam ex latere, de quo lancea tibi scaturiginem aperuit.* Tum Chrysostomus in explanatione Evangelii expendens verba illa.

„*Non bibam a modo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in Regno Patris mei*“ inquit: hoc dictum esse, *ut perniciosissima eorum haeresis, qui aqua in mysteriis utuntur, radicitus extirpetur.* Haeresim dicit, quia illi in Sacro mysterio aqua utuntur, et mysterium mortis Christi aqua sola conficiunt absque vino. Hoc idem praeterea injunxere Sancti Patres, qui in sexta Synodo convenerunt tempore Justiniani Imperatoris, ubi multa nobis de aquae hujus necessitate tradiderunt. Et hoc itidem ipsum decretum fuit a Sanctis Patribus in magna synodo Carthaginensi tempore piissimi Honorii celebrata; quae si quis videre desiderat legat sextum Concilium, can. XXXII; et Concilium Carthaginense, canone XXXVII.

Praeterea quoque Sanctus Alexander, septimus post Petrum Apostolum in Cathedra Romana Pontifex, de hoc sacro mysterio scribens, admonuit, id nobis quocumque Pontifice postulandum, ut nimirum sacramentalia Ecclesiae ministeria alios recte edoceat, praesertim Baptismi, Matrimonii, et Sacrificii, quod in memoriam Dominicae passionis peragitur, nam sicut ipse Dominus fuit in Cruce immolatus secundum carnem, et sanguis et aqua ex ejus latere profluxerunt; ita nos pariter debemus in ejusdem mysterii commemorationem corpus, sanguinem et aquam offerre super altare. Haec quidem tradidit magnus et gloriosus martyr Alexander, qui omnes Ecclesiae Constitutiones et Canones plene ab ipso hauserat Petro; et ostendit nos debere *nec vino solo, nec aqua sola sacrificium perficere, sed pane et vino et aqua*, quia etiam didicimus ex Evangelio: cum enim Domini latus aperuerunt, non aqua sola effluxit, nec solus sanguis, sed sanguis et aqua. Et Julius Papa haec similiter de tali mysterio fassus est, dicens: *Non potest calix Domini esse aqua sola, aut vinum solum, nisi misceatur utrumque,* hoc est, vinum et aqua; ac demum conclusit, quod si quis sacrificium altero solo sine altero perfecerit, *tamdiu cessare debeat a sacrificando, quamdiu legitima poenitentiae satisfactione,* juxta sacros Ecclesiae Canones, *correctus*

sit. Cyprianus item, martyr eximius, et Episcopus Carthaginensis in occidente, de calice Domini nostri Jesu Christi sic habet: *Sapientia, inquit, aedificavit sibi domum, et subdidit columnas septem, mactavit suas hostias, miscuit in cratera vinum suum, et paravit mensam suam, et misit servos suos, convocans cum excelsa praedicatione ad crateram, dicens: qui est insipiens, declinet ad me; et egentibus sensu dixit; venite edite de meis panibus, et bibite vinum, quod miscui vobis. Verum prophetia Salomonis praenunciat Salutare mysterium Domini nostri Jesu Christi, quod miscuit ipse in cruce, et dedit, fidelibus suis.* His igitur, docet Beatus Cyprianus, haudquaquam licere aqua sola, aut puro vino in mysteriis uti, sed utroque simul.

Praeter ea magnus Episcopus Mediolanensis, Sanctus Ambrosius, in suis scriptis commendatum reliquit, debere quemlibet sanctae, et Apostolicae Ecclesiae Romanae praestare obedientiam, quippe quae ab Apostolo Petro orthodoxa fide firmata est: nam sicuti corporis est obedire capiti, ita debet similiter universalis Ecclesia, quae corpus est Christi, ei obtemperare, qui totius Ecclesiae caput a Christo Domino fuit constitutus. Tum etiam idem Ambrosius, aquae commixtionem Sacrificio necessariam esse, ostendit; eo quod actione illa mistionem Verbi Dei, quae nobiscum facta est, significamus; cum vere et proprie illa divinitatis, effecta sit mixtio cum humanitate, secundum quam vera membra veri capitis nostri Christi vocati sumus, idcirco enim dum esset ille in Cruce, sanguinem emisit, et aquam; quod perfecte in sacrificio Missae completur, ut nostra cum Deo ostendatur communicatio.

Eodem quoque intellectu Sanctus Gregorius Nazianzenus in Oratione de Paschate, mentionem faciens sanguinis et aquae, quae de Domini nostri Jesu Christi latere profluxerunt, cum supra crucem pro redemptione mundi immolaretur, affirmat, egressum esse sanguinem, ut indicaretur, quod Dominus noster vivus secundum divinitatem remanserat; et pariter aquam, quia secundum humanitatem, quam de nostro assumpserat, vere pro

nobis mortuus erat, quibus profecto videtur innuere, in sancto reconciliationis Sacrificio Missae, quod est exemplum dominicae passionis, aquae, vinique mistionem necessariam esse: quandoquidem si, quod immolatum fuit, et in altari immolatur, est Christus, idemque perfectus Deus, et perfectus homo, opus est consequenter, in hoc semper sacrificio, in signum divinitatis, et humanitatis ejus, aquam vino miscere. Quamobrem quicumque hujus rei significationem in altare plene consummant, Jesum Christum Dominum nostrum, perfecte Deum, et hominem confitentur: quicumque vero aut solum vinum aut solum aquam apponunt, ii procul dubio in confessione humanitatis, aut divinitatis ejus deficientes inveniuntur; immo ipsorum quoque sacrificium nullum fortassis erit propter imperfectionem; quare taliter offerentes, poenis a Sanctis, ac magnis conciliis praescriptis, merito subjacebunt. Praefata autem sanctorum Patrum, et martyrum Jesu Christi, in idem coincidentia testimonia, videlicet magni Alexandri et Julii sanctorum Romanorum Pontificum atque sanctorum Cypriani et Ambrosii Episcoporum, in suis ipsorum operibus invenies; quod si in promptu, et ad manum ea velis, reperies in epistola, quam Eugenius Romae Papa misit ad Dominum Gregorium Patriarcham, Magni Nersetis Glajensis, perillustris, ac celeberrimi Doctoris, fratrem.

Hanc etiam aquae in sacris mysteriis permiscendae necessitatem commentat ultro Apostolorum successor Irenaeus in Lib. IV suarum lucubrationum adversus haereses: ubi Calicis memorat mixtionem, quem Dominus, cum suis discipulis in Regno se bibiturum promisit. Hoc ipsum denique Beda, venerabilis Praesbyter, aliique Patres tradiderunt; quorum multi referuntur in memorata admirabilis Patris nostri Gregorii epistola; quae quidem cumulata admodum erat sacrae Scriptuare testimoniis, sanctorumque Patrum, ac Doctorum sententiis mirifice exornata; nec non consentanea Canonibus, et decretis sanctorum Conciliorum, nimirum sextae in magna urbe Constantinopoli coactae Synodi, et Concilii Carthaginensis; atque conformis consuetudini, rituique sanctarum, et

Orthodoxarum Christi Ecclesiarum, Romanae, Constantinopolitanae, et aliarum, quae hactenus a sanctis usque Apostolis eandem jugiter servaverunt, atque servant consuetudinem et traditionem.

Quapropter nos omnes, hic pleno Concilio congregati, Episcopi, Magistri et Abbates adstantibus piissimo Rege nostro Leone, ac Barone Baronum Magno Haitone Patre regis, cum fratribus suis caeterisque Armeniae Principibus, et sacro populo, una simul consentientes, reverenter suscipimus ejusdem nostri Sancti Patris mandata epistolamque illius, tamquam veracem, et Apostolicum Canonem, atque Constitutionem in omnibus Ecclesiis Armenorum confirmavimus observari. Et quamvis hae sacrae traditiones dominicarum festivitatum, quae priscis antea temporibus, a sancto usque Illuminatore nostro Gregorio, in Ecclesiis Armenis extiterant, earumque observatio complures perduraverat annos, in postea exoleverint ex culpa, eas nihilominus in praesentia misericordia et gratia Dei, atque opera Patriarchae Gregorii, piissimique Domini nostri Leonis, denuo recipimus, et in pristinum restituimus: et sumus nunc concordes, cum in festorum celebratione, tum in omnibus aliis rectis constitutionibus, omnino cum Sancta et Catholica Ecclesia magna Romana aliisque verum profitentibus et orthodoxis Ecclesiis Jesu Christi.

Praesenti autem hujus sanctae Synodi decreto, atque mandato nemo audeat in posterum adversari, aut contrarius apparere ne condemnationem incurrat, partemque cum haereticis sortiatur, iis maxime, qui pro frumentaceo pane, quo ad Christi corpus conficiendum sancta utitur Ecclesia, panem hordeaceum, aut pro vino ad conficiendum sanguinem Christi, aquam solam in mysteriis sacris usurpant. Utque magnum sacrae hujus sanctionis Decretum, firmum semper, atque immutabile perseveret, fuit a cunctis, qui in hac sancta Synodo convenimus, Episcopis, Magistris, et Abbatibus propria manu subscriptum, praesertim a magno rege nostro Leone, atque a Principe principum Haitone et fratribus suis, caeterisque Armeniae Magnatibus. Editum vero fuit anno Armeno-

rum DCCLVI die XIX. mensis Martii, in festo die Palmarum in Civitate Sisis Metropolitana, in magna Ecclesia sanctae Sophiae:

Constantinus, Episcopus Caesareensis volui et subscripsi.
Constantinus, Episcopus Sisis urbis Metropolitanae.
Joannes, Episcopus Tarsensis.
Stephanus, Episcopus Sebastensis.
Stephanus, Episcopus Parzerpertensis.
Sergius, Episcopus Eznecensis.
Joannes, Episcopus Anarzabensis.
Stephanus, Episcopus Adanensis.
Nerses, Episcopus, Tyanensis.
Basilius, Episcopus Capanensis.
Nerses, Episcopus Neocaesarensis.
Vartanus, Episcopus Amasiae et Tochiae.
Gregorius, Episcopus Marassensis.
Georgius, Episcopus.
Stephanus, Episcopus Palatinus Patriarchalis.
Joannes, Episcopus Beriensis.
Andreas, Episcopus Harchanensis.
Theodorus, Episcopus Masgevorensis.
Jacobus, Episcopus nepos Domini Gregorii Patriarchae.
Isaac, Episcopus Papertensis.
Diradur, (Deodatus) Episcopus Pasenensis.
Nerses, Episcopus Provinciae Camakii.
Avedich, Episcopus Nephercertensis.
Vartanus, Episcopus Sasunensis.
Seraphinus, Episcopus Giabaghciurensis.
Philippus, Episcopus Gheliensis.
Garabed, Episcopus Myzcertensis.
Gregorius, Episcopus Vahanascenensis.
Hesychius, Episcopus Armenorum Constantinopoli.
Esaias, Episcopus Tessalonicensis.
Hairapet, Episcopus Cemescazacensis.
Cyriacus, Episcopus Vallis Mazcerdae.
Vartanus, Episcopus Masciardae.

Simeon, Episcopus Copitarensis.
Martiros, Episcopus Urthelensis.
Simeon, Episcopus Ozopae provinciae Sahapuniensis.
Joannes, Tabuarius Mezcarae (Monasterii).
Marcus, Vartabed Schevrensis.
Cyriacus, Vartabed eremita.
Gregorius, Vartabed.
Vartanus, Vartabed Ecclesiae Anazarbensis.
Martiros, Vartabed Palatinus Patriarchalis.
Gregorius, Vartabed Kermaspbrae.
Gregorius, Vartabed Mezcarae.
Theodorus, Vartabed Graghizensis.
Vartanus, Vartabed Agneranus.
Sergius, Abbas Monast. Agnerani.
Gregorius, Abbas Monast. Thurcteni.
Basilius, Abbas Monast. Koronensis.
Theodorus, Abbas Monast. Mezcarensis.
Garabed, Abbas Monast. Movsisnozani.
Josephus, Abbas Monast. Cheleghagnensis.
Theodorus, Philosophus et Abbas Zorovanensis.

APPENDIX IX.

Constitutio Concilii Adanensis Armenorum, jussu Constantini Patriarchae, et Osini Regis Armenae propter unionem Armenorum cum Ecclesia Romana.

Ecclesiae Sanctae Caput et Pax Dominus noster Jesus Christus, qui, ut Patrem cum suis creaturis conciliaret, pacem attulit per Crucem in Sanguine suo; quare discipulis ait; *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis;* quique, sicut charitatis mandatum dedit nobis, ut diligamus invicem, sec et signum, quo sui agnoscemur discipuli, indicavit dicens: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis: si dilectionem habueritis ad invicem.* Item igitur ipse, jam auferre volens ab Ecclesia sua sancta, quem diabolus interposuerat, parietem contradictionis; atque in unum corpus sua ubique dispersa, ac separata membra iterum reunire, ut omnes, caritatis vinculo colligati, sub ipsomet uno, eodemque Capite, Christo Domino, et Deo nostro omnes consociaremur; in corde et animo sancti Patriarchae Domini Gregorii, atque piissimi et potentissimi Regis nostri Leonis haec itidem omnia immisit: animamque, quae jam Christum induta fuerat, religiosissimi Fratris Joannis, patris nostri Regis et Armenorum (quantum ad honorem attinet Principatus) Domini, ad unionem et concordiam Ecclesiae Suae sanctae procurandam, dissensionesque ab eo auferendas, excitavit.

Quamobrem, ubi primum res in istorum mentem pervenit, ejusdem unionis amore, et desiderio intime accensi, illico tamquam strenui operarii, ad laborem, et divini praecepti

obtemperationem parati, seipsos in hujusce opus ministerii, et coelestis nutus executionem animo lubentissimo commiserunt; prospicere satagentes nostrae, quae a magna Romana, aliisque Christi Ecclesiis erat, differentiae, tum in dominici Calicis gratiarum actione, in quo nos aquae mistionem non admittimus cum illis; tum in celebratione festorum, praesertim, Nativitatis, et Epiphaniae Domini, in qua ab aliis Christianis dissentiebamus: tum denique in confessione duarum naturarum, voluntatum et operationum, quas in una Domini nostri Jesu Christi persona indivise et inconfuse unitas Ecclesia Sancta vera et recta confessione recognoscit; et nos aliter sentiendo, *duas denegantes*, unam asserebamus Christi naturam, propter ineffabilem unionem, duas denegantes naturas resultantes in Christo ex indivisibili et inconfusa unione. Huic igitur nostrae ab Universali Ecclesia discrepantiae illi consulere festinarunt, in unum Christi corpus, et unam sanctam Ecclesiam Catholicam nos iterum inferendo.

Verum enimvero perditissimi quidam, in malum a diabolo concitati, ut perturbationes, contentionesque, maxime vero schismata, in sancta Christi Ecclesia molirentur, alios in iniquis conciliabulis suis canones et constitutiones sanciiverunt: docentes non esse nobis in tribus hisce cum reliquis Christianis communicandum: hoc est in mistione Calicis gratiarum actionis, in celebratione dominicae Nativitatis, et Epiphaniae; atque in duabus naturis, quas in una Christi persona propter inconfusam, ac indivisam unionem Ecclesia sancta confitetur. Dicebant enim, nefas esse, in Calicem aquam injicere; quod aqua corruptibilis sit; in Christo autem nulla fuerit corruptio; quibus plane videntur innuere, vinum incorruptibile esse. Praeterea in illo gratiarum Calice, quem Dominus in mystica mensa Coenaculi biberat vinum solummodo fuisse, et non aquam. Similiter etiam, quando Dominus ad suam resurrectionem et incarnationem suadendam, cum suis iterum discipulis comedit, ac bibit; in ea quoque mensa purum vinum bibisse nugabatur, eo quod ab ipso Domino antea dictum fuerat: *Non bibam a modo de hoc genimine vitis usque in*

diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in Regno Patris mei: pro se divum attestantes Chrysostomum, qui verba illa expendens ait. *Vide, ex hoc fructu vitis, dicit, vitis autem vinum, non aquam profert, ut perniciossimam quamdam haeresim in Ecclesia radicitus evelleret; quia sunt quidam, qui aqua in mysteriis utuntur.* Quibus sane verbis Chrysostomum eos qui mistum offerunt calicem, haereticos appellasse opinantur.

Cum insuper de latere Christi sanguis, et aqua profluxerunt: solum ajunt, sanguinem in potum, aquam vero in purgationem duntaxat efluxisse; quamobrem minime licere, inferunt, vino aquam misceri in sacris mysteriis. Haec itaque jactabant vestis dominicae Partitores, et sacrarum Ecclesiae Christi constitutionum, ac traditionum adversarii, ignorantes quidem, non modo aquam verum et vinum quoque, quod ipsi incorruptibile autumant, esse ultro corruptioni obnoxium; neque haec solummodo, sed omnia fere sensibilia, quae sub visus, tactusque sensibus cadunt, esse corruptibilia et caduca: cum sola incorporea naturam corruptibilitatis expertem habere, noscantur. Et si, duo ista in se corruptibilia sunt, in dominicae tamen incarnationis et mortis sacramento mystice sumpta purissima et incorruptibilia sunt, eamdemque cum Spiritu sancto purificantem vim et operationem sibi vindicant; quocirca magnus Apostolus ille Joannes in Catholicis epistolis ait: *Tres sunt, qui testimonium dant in Coelo, Pater, Verbum et Spiritus, et hi tres unum sunt: et tres sunt, qui testimonium dant in terra, sanguis, aqua et spiritus, et hi tres unum sunt.* Vide, ut tria haec, unam, eamdemque vim retinent; nam licet diversa secundum se, virtute tamen et operatione, unum quid sunt divinum et purificans: et tria haec baptismi nomen habent et vicissim perficiunt et purificant; aqua quidem, juxta illud, *Ego baptizo vos aqua:* sanguis vero, secundum id; *Calicem quem ego bibo, bibetis; et baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini,* sanguinem hic intelligens; Spiritus denique, juxta illud, *Ipse vos baptizabit in Spi-*

ritu Sancto et igni. Ac, ad invicem simul sumpta, perficiunt et purificant, nam aqua cum sanguine et spiritu, quod sanctum est, perfecit et sanctificat; similiter et sanguis cum spiritu sancto et aqua purificat et salvat; ad demum Spiritus sanctus per aquam et sanguinem purificat, regenerat, et omnes in filiationem Patris coelestis adoptat.

In eo autem, quod subdunt, nempe Calicem Domini non fuisse mystice et salutifere mistum aqua, mendacii arguunt prophetica illa Magni Salomonis verba de gratiarum Calice. *Sapientia aedivicafit sibi domum, et subdidit columnas septem, mactavit hostias suas, miscuit in cratera vinum suum.* Et paulo post iterum ait: *Venite, edite de meis panibus, et bibite vinum, quod miscui vobis.* Magnus item Irenaeus, Apostolorum successor, in scriptis adversus Marcionitas haec profert: *Quomodo autem juste Dominus, si alterius Patris existit, hujus conditionis, quae est secundum nos, accipiens panem, suum corpus esse confitebatur; et temperamentum calicis, suum sanguinem confirmavit? et quare se filium hominis confitebatur, etc.* Et rursus in sua, adversus omnes alias haereses, doctrina, inquit: *Vani autem omnino, qui universam dispositionem Dei contemnunt, et carnis salutem negant, et regenerationem ejus spernunt.* Et post pauca subdit: *Ejus calicem, qui est ex hoc mundo. suum sanguinem, confirmavit, ex quo augetur sanguis noster; quando ergo et mistus calix, et fractus panis percipit Verbum Dei, fit substantia sanguinis et corporis Christi, ex quibus augetur et consistit carnis nostrae substantia.*

Hujus quoque testimonium perhibet sanctus Athanasius, qui in exhortatione de Baptismo ad Illuminatos sic habet: *Vides hanc mensam, in medio altaris appositam?* et inferius: *Haec et Coenaculum, in quo cum Redemptore recumbis; ubi, coenantibus illis, accipiens Jesus panem, fregit deditque discipulis, dicens; accipite et comedite, hoc est corpus meum; et accipiens calicem vini mistum,*

gratias egit, deditque eis, dicens; accipite et bibite ex eo, hic est sanguis meus; et biberunt. Et S. Basilius in sua liturgia, *Accipiens*, inquit, *calicem, miscens, benedicens*, etc. Similiter et lumen illud Orbis, Joannes Chrysostomus in sua quoque liturgia, *unus militum*, ait, *lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis; haec dicens, infundat vinum; et subdens, et aqua, infundat aquam.* Magnus enim Gregorius Nazianzenus, in secunda contra Julianum invectiva oratione, flagitiosa illius sacrilegia, in Ecclesias olim perpetrata, deplorans, sic fatur: *Quis pro dignitate narrare, atque exaggerare possit, quaecumque, vel ob flagitia circa sacras aedes admissa, vel ob sacras mensas contumeliis affectas, vel ob mysticos mistarios furiose contaminatos, ipsis acciderint?* Hic mysticum mistarium dicens, mysticum signat, et missarium sacrum Calicem appellat, in quo vinum aqua miscetur.

Quod etiam nostrae cum Deo Verbo unionis mysterium in purgationem, et redemptionem permistio denotet illa, ostendit Beat. Hieronymus, qui in Evangelium Marci super illa verba, accepit Jesus panem, etc. *Formavit*, inquit, *Dominus noster sanguinem suum in calicem, vino et aqua mistum; ut alio purgemur a culpis, alio redimamur a poenis. sanguine namque agni servantur domus a percussione angeli, et aqua maris rubri extinguuntur inimici; quae sunt mysteria Ecclesiae Christi.* Idem consimiliter asserit Venerabilis Beda Presbyter his verbis: *Quia panis corpus confirmat, vinum vero sanguinem operatur in carne: hic ad corpus Christi mystice, illud refertur ad sanguinem, verum, quia et nos in Christo, et in nobis Christum manere oportet, vino dominici calicis aqua miscetur; attestante enim Joanne, aquae populi sunt: et neque aquam solam neque solum vinum, sicut nec granum frumenti solum sine aquae admistione, et confectione in panem, cuipiam licet offerre; ne talis videlicet oblatio, quasi caput a membris secernendum esse significet; et vel Christum sine nostrae*

redemptionis amore pati potuisse, vel nos sine illius passione salvari, ac Patri offerri posse, confingat.

Praeterea Sanctus Alexander Papa septimus a Divo Petro Pontifex Romanus, haec in sua Epistola scripta reliquit: *In sacramentorum oblationibus, qui inter missarum solemnia Domino offeruntur, passio Domini miscenda est; ut ejus, cujus corpus, et sanguis conficitur, passio celebretur; ita ut repulsis opinionibus superstitionum, panis tantum, et vinum aqua permistum in sacrificio offerantur, non debet enim ut a Patribus accepimus, in calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri; sed utrumque permistum; quia utrumque ex latere ejus in passione sua profluxisse legitur.* Haec quidem magnus, ac gloriosus Christi martyr, Sanctus Alexander praecepit, quia omnes Ecclesiae constitutiones, et canones perfecti ab ipso Beato Petro acceperat. Et hoc ipsum affirmat S. Julius Papa: *Non potest*, inquit, *Calix Domini esse aqua sola*, aut vinum solum, *nisi misceatur utrumque*, id est vinum et aqua. Tum quoque injunxit, ut, si quis altero solo sine altero sacrificium perfecerit, *tamdiu* cessare debeat a sacrificando, quamdiu *legitima poenitentia satisfactione juxta*, sacros Ecclesiae canones, *correctus* sit.

Magnus itidem Christi Martyr Cyprianus Episcopus Carthagiensis in Occidente, de dominico Calice sic facit mentionem: *Spiritus Sanctus loquutus est per Salomonem, et dixit, Sapientia aedificavit sibi domum, et subdidit columnas septem, mactavit suas hostias, miscuit in cratera vinum suum, et paravit mensam suam, et misit servos suos, convocans cum excelsa praedicatione ad crateram, dicens: qui est insipiens, declinet ad me; et egentibus sensu dixit: venite, edite de meis panibus et bibite vinum, quod miscui vobis. Vinum mixtum declarat, idest, calicem Domini, aqua et vino mistum, prophetica voce praenunciat, ut appareat in passione dominica id esse gestum, quod fuerat ante praedictum.* Hoc idem paulo superius etiam memoraverat,

his verbis. *In Calice offerendo Dominica traditio servetur; neque aliud fiat a nobis, quam quod pro nobis prior fecit ut Calix, qui in commemorationem ejus offertur, mistus vino offeratur.* Et Beatus Ambrosius Episcopus Mediolanensis similiter im Occidente: *Calicis permistio*, inquit, *unionem Dei Verbi, quae nobiscum est, significat: hoc enim fecit, et conjunctio facta est Divinitatis nobiscum, qui Christi sumus membra; ipse vero nobis est caput.* Et iterum; *per mistionem, quae fit in sacro altari, mysterium crucis perfectum accipimus nos fideles, et cum Christo conjungimur.* Quin et noster Sanctus Patriarcha Nerses in Cantico LXXII. super Proverb. sic fatur: *Misit servos suos, sanctos nimirum Apostolos, ut vocarent ad potum laetitiae misti Calicis, et ad aquam, et sanguinem, quae de latere Christi, in signum duarum ejus proprietatum egressa sunt: quorum mistura ineffabilem Verbi cum carne unionem designat.*

Hanc denique Calicis gratiarum commistionem ipsa quoque Evangelii praecepti verba significant. Non enim dicit: Accepit de cellaria vel de dolio guttulum, aut ejusmodi aliud vas, in quo merum asservari solet: sed *comedentibus illis, accepit Jesus calicem;* unde manifestum est, quod de mensa, in qua erat juxta morem appositus, calicem ipsum desumpsit, hoc est, craterem, aut quod simile vas, in quo poculenta miscuntur. Neque dictum est: hoc purum vinum, aut haec phiala, in qua illud purum de more servatur; sed, *hic calix.* Calicem ergo nominans, in quo potus misceri solet; ipsius utique potus admistionem patefecit. Tum additur: *hoc facite in meam commemorationem:* in passionis videlicet, et mortis meae memoriam, ut Apostolus exposuit, dicens; *quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Cum igitur Missa memoriam mortis et passionis Christi indicat, et aqua signum mortis Domini nostri secundum carnem est; quemadmodum et vinum vitam ejusdem denotat secundum

Divinitatem; cumque in morte ejus exierit sanguis, et aqua: optimo quidem jure calix, et aqua et vino mistus, in sacris mysteriis offerri debet.

In eo deinde, quod ulterius praedicant, Christum scilicet in nuda mensa post resurrectionem puro vino usum fuisse hoc colligentes ex illis verbis: *Non bibam a modo de hoc genimine vitis, usque ad diem illum, etc.,* atque ex testimonio Chrysostomi, dicentis: *De fructu vitis, ait; vitis autem vinum, non aquam profert: ut profecto perniciosissimam quandam haeresim radicitus exstirparet; quia sunt quidam, qui aqua in mysteriis utuntur.* Sciant Sacrum illum Doctorem propter hydroparastatas aut aquarios id fuisse loquutum, non enim ait: sunt quidam, qui vino aquam miscent; sed, *qui aqua in mysteriis utuntur:* in mysteriis, dicens non panem neque vinum indigitavit; haec namque non mysteria, sed mysterii signa sunt, hoc est, incarnationis, et mortis Christi. Quod si, sunt quidam, dixisset, qui miscent aquam: justum forsitan esset, quod opinantur, sed ait: *qui aqua utuntur;* id est, qui incarnationis, et mortis Christi mysterium aqua sola conficiunt: in morte autem Christi non modo aqua, sed sanguis etiam ex latere emanavit; sic et incarnatio non solum hominem quem significat aqua, verum, et Deum quoque continebat, quem sanguis figurat. Quamobrem, quia Ebionitae Christum, hominem solum existimabant, sola idcirco aqua in sacris utebantur mysteriis: quos Beatus Irenaeus irridens ait: *nolunt coelestis vini permistionem, sed sola illum recolunt aqua;* hoc est unionem divinitatis cum humanitate non fatentur in Christo, sed purum hominem, illum asserunt; et non Deum; eapropter vinum, quod rei coelestis, nempe divinitatis, indicium est, nolunt aqua miscere, in mysterium unionis Dei cum homine in uno Christo: sed solam offerentes aquam, signum rei terrestris, tantum hominem ipsum confitentur. Hanc praeterea veritatem confirmarunt Patres magnae Synodi Carthaginensis, tempore Honorii, et Arcadii, Theodosii magni filiorum coactae: nec non Patres sextae Synodi, Constantinopoli in

Trullo Imperialis Palatii celebratae, in qua praefata Chrysostomi verba propter Aquarios, dicta fuisse, declaratum est.

Quod insuper de sanguine loquuntur, et aqua, quae de Christi latere sunt egressa: sanguinem scilicet in potum sollummodo profluxisse, aquam vero duntaxat in purgationem, falsum adhuc esse, liquet: nam sanguinem nedum potum significare, verum etiam purgationem, clare ostendit Evangelista Joannes in epistolis suis catholicis, dicens: *Sanguis Jesu Christi filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Et David propheta aquam in potum et educationem quoque fuisse commemorat, dum ait: *In loco pascuae ibi me collocavit, super aquam refectionis educavit me.* Deinde verumque hoc, in potum simul, et purgationem esse magni Ecclesiae Doctores affirmant, Ephrem, Gregorius Nyssenus, et alii. Divus enim Ephrem in expositione epistolae ad Corinthios super illa verba: „*Patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari; et omnes eandem escam spiritalem manducaverunt, et omnes eundem potum spiritalem biberunt; bibebant autem de spiritali, consequente eos petra; petra autem erat Christus:*“ Mare in exemplum affert baptismi, et nubem, quae super capita Hebraeorum extensa, illos protegebat, in exemplum manus sacerdotalis: *Et quemadmodum*, ait, *homo per baptismum ad Christi corpus, et sanguinem ducitur; ita et populus ille, in mari prius baptizatus est, manna deinde spiritale comedit, et potum spiritale bibit, aquam, quae de petra recens scaturivit. Petra autem Christus appellatus est; quia domini nostri latus, ad petrae similitudinem apertum, in omnium gentium expiationem, et potum, aquam protulit, et sanguinem.* Et Origenes in Cantica canticorum, expendens illa verba, *Botrus Cypri fratruelis meus mihi in vineis Engaddi*, sic habet: *Elevatus est Dominus noster super crucem in loco, qui dicitur Golgota, et acuta cuspide vulneratus, multisque pressus tormentis, suae donatus est sponsae: sicut enim*

percussa petra aquam Hebraeis effudit murmurantibus; sic et de latere Christi sanguis, et aqua in potum gentibus effluxit gratantibus. Item similiter confirmat S. Gregorius Nyssenus in expositione ejusdem libri: *Pande os,* inquit, *et bibe aquam ex latere, de quo lancea tibi scaturiginem aperuit.* Si quaelibet ergo communis aqua emundat, educat, ac omnibus potum ministrat; quanto etiam magis aqua vivifica de nostri latere Redemptoris egressa, hoc in Ecclesia plene, perfecteque operabitur?

Circa vero Dominicae Nativitatis, et Baptismi festivitates, quas una simul die, nempe VI. Januarii, praeter aliorum Christianorum consuetudinem, celebrandas, contendebant, asserentes: Jacobum Fratrem Domini, qui fecit scripturam lectionis in ea constituisse, ut utraque festivitas VI. Januarii perageretur: quod cum olim aliquot jugiter annos in die VI. Januarii simul contigisset, eapropter et nunc utrasque festivitates in eodem die observamus. Ad hoc quoque respondendum est, satis compertum haberi, Sanctam Romanam Ecclesiam ab antiquis temporibus, per traditionem, a Divo usque Petro Apostolorum Principe exortam, festum Nativitatis XXV. Decembris, et Epiphaniae seu Baptismi, VI. Januarii semper fuisse solitam celebrare.

Et quamvis nonnullae Asiaticae Regionis Ecclesiae, praesertim Hierosolymitana, utramque festivitatem uno, eodemque die VI. Januarii die antea peregissent; postea tamen, a Sanctis Patribus utraque festivitas translata est, et divisim juxta morem Ecclesiae Romanae celebrare coeperunt, videlicet Nativitatis festum, XXV. Decembris, et Baptismi VI. Januarii. Quemadmodum et Paschatis festum, quamvis antea in Asiatica parte feria quinta veteris Hebraeorum Paschatis ageretur, et hoc usque ad Constantini magni, et sanctorum Patrum Nicaenae Synodi tempora: ex iisdem tamen sanctis Patribus postea permutatum, in primi Sabbati diem translatum fuit, in quo dominicam Resurrectionem, ut Romana semper solita fuerat celebrandam decreverunt. Sicut igitur in Paschatis festo contigit, ita similiter in festo

Nativitatis, quod divisim ante Baptismum XXV. Decembris peragere statuerunt, ipsum verum Baptismum die VI. Januarii, juxta Sacrosanctae Ecclesiae Romanae consuetudinem.

Ratio autem, cur in hujusmodi festivitatibus celebrandis tanta prius diversitas praeterfluxisset, ea est: quia nimirum Apostoli, ministerio verbi, ac praedicationis evangelicae pro viribus instantes, intenti erant potissimum, ut homines ab errore polytheismi ad unius veri Dei cultum converterent, cumque in hanc rem omnem curam, ac laborem adhiberent, festorum ordinem, amussitatumque unius cujusque traditionis examen haud sane multum curaverunt; eo praesertim tempore, quo apostolicae praedicationi, perniciosae Scribarum ac Pharisaeorum, aliorumque Judaeorum haereses maxime adversabantur; cum insurgebant falsae Simonitarum ac Marcionitarum doctrinae, acriter vexantes Ecclesiam; exundabantque tempestuosae ex Gentilium vi ac furore persecutionum procellae, quae Sapientiae Domum arietabant; quamobrem Ecclesiae tunc ordines firmam ubique methodum retinere nequibant; adde, quod Apostoli in primaevo illo surgentis Ecclesiae statu ad infirmam hominum fidem descendentes, facile permiserunt, ut eas festivitates quaevis Ecclesia juxta placitum sibi ordinem celebrasset; sicuti eamdem ob rem, ut Gentes ab idolorum cultu facilius retraherentur, ipsa adhuc evangelica praecepta, atque doctrinas permissione interdum, et licentia, prout opus erat, attemperabant: non enim omnibus et singulis simul rebus poterant perfecte prospicere, quare a quatuor illis dumtaxat tunc abstinendum praeceperunt, ab immolatis Simulacrorum, a fornicatione, sanguine, et suffocato; et hoc quidem usquequo Ecclesia firmiorem sumeret in vera fide stabilitatem.

Posteris vero temporibus ab Apostolorum successoribus omnia singillatim accomodatius, perfectiorique ordine disposita atque praecepta sunt: quemadmodum et contigit, ut dictum est, in illa festivitatum Nativitatis, et Baptismi disiunctione, quae ab iisdem Sanctis Patribus postea in Ecclesia instituta fuit. Cujus rei necessitatem, et causam ostendit

Beatus Cyrillus Hierosolymorum Patriarcha in Epistola ad magnum Julium Romae Papam. Hic autem Cyrillus non est ille, qui Epistolam ad Constantium Imperatorem, magni Constantini filium, destinavit; sed quidam alius, illius Cyrilli in eadem Hierosolymitana Sede Successor. Is igitur haec ad Julium scripsit: „*Multus quidem labor a ministris insumitur, et adhuc defectus occurrit in celebratione gloriosarum festivitatum Nativitatis et Baptismatis Domini nostri, dum utraque uno simul die peragitur, omnes enim preces, lectiones et cantica, quae in honorem tantarum solemnitatum debentur, defectu temporis absolvi minime possunt, quomodo namque valeat quis festivitates illas cum suis mysteriis una die perficere, in urbe Bethlehem Nativitatem, ac deinde in Jordanem perveniens, ibi Baptismum ut fas est celebrare? nam cum Bethlehem in australi plaga Hierosolymae constituta sit, et ab illa tribus distans milliariis, quinam fieri potest, ut celebrans eodem die, tantam viae longitudinem pertransire, earumque festivitatum mysteria valeat explere? Ipse porro ex Hebraeorum libris, de festo Nunciationis prolis Zachariae, ab illis die Expiationum celebrato audivi: quod inde sex mensibus enumeratis usque ad Annunciationem Beatae Virginis, atque hinc rursus novem aliis usque ad Christi Nativitatem, ejusdem Nativitatis festum non incidat ipsa die, qua nos illud una cum Baptismate concelebramus. Quapropter vestram deprecor Sanctitatem, quatenus diligenter illum Hebraeorum codicem istic inquirat, atque in eo rei suprascriptae veritatem exploret; si qua forte festivitatum harum ab invicem separatio librorum quoque testimoniis effici possit: ut videlicet unamquamque seorsim proprio suo die honore debito peragamus.*“

Haec itaque cum audisset Beatus Julius, accuratissimam rei istius inquisitionem faciens, omnes Hebraeorum libros, qui jussu Titi et Vespasiani Romanorum Imperatorum Hierosolymis Romam delati fuerunt, congregavit: atque in

Annalibus Josephi offendit, quod mense septimo in festo expiationum hora ministerii apparuerat Angelus Domini Zachariae sacerdoti in Templo, eique nuncium prolis retulerat, qui tamen cum Archangeli verbis fuisset incredulus, mutus in poenam evaserat usque ad partum Elisabeth sterilis in sua senectute. Hoc autem advento, reliqua omnia ex eodem ordinate deducens Beatus Julius, veritatem antedictam comprobavit, nam primus Hebraeorum mensis est Nisan, dictus a Romanis Aprilis; septimus vero, e Nisan enumeratus, est Thesrin Hebraeorum, quo mense in festo Expiationum, quod eo anno contingerat secundum Romanos XXIV. Septembris, facta est angeli annunciatio Zachariae. Hinc sex aliis mensibus enumeratis, devenitur ad Annunciationem Deiparae Virginis, juxta illud Archangeli ad eandem: *Et hic mensis est sextus illi, quae vocatur sterilis*, quod plane accidit die IV. Nisan, et XXV. Martii. Ex hoc rursus die novem elapsis mensibus, occurrebat Christi Nativitas IX. Tebet, et XXV. Decembris.

Sic igitur Julius Papa, comparatis Hebraeorum mensibus cum mensibus Romanorum, manifeste ostendit, Christi Nativitatem vere ipso die XXV. Decembris contigisse; tum VI. Januarii Baptismum. Et quamvis sacrosancta Romana Ecclesia ita similiter antea, a Divo usque Petro veteri traditione edocta, celebrasset; dein tamen sacrorum librorum testimoniis magis confirmata, coepit in posterum utrumque festivitatem illam praedictis diebus una cum aliis, ipsam imitantibus, Ecclesiis, solemnius celebrare. Hinc sanctus Basilius, Archiepiscopus Caesareensis in suis quoque scriptis posuit Christi Nativitatem die XXV. Decembris; monuitque Gregorium Nazianzenum ut illam Byzantii eodem die perageret. Quin Nazianzenus ipse prius illam, ac postea Baptismum se celebrasse significat in Oratione de Christi Nativitate his verbis: „*Ac quidem paulo post et Jesum impuritatem meam in Jordane purgare videbis.*“ Post haec vero ait: „*Nunc autem partum accipe ac praesulta*“ et iterum: „*Nunc autem Teophaniae, celebritas.*“ Et in Oratione

de Baptismo ait: „*Rursus Jesus meus, et rursus mysterium,*“ ac tandem inferius: „*Etenim sanctus luminum dies, ad quem pervenimus, quemque hodie divino beneficio celebravimus, Baptismum habet*“. His quidem patefaciens, uno die Nativitatis, alio vero Baptismi festum esse peragendum.

Porro autem quamvis ritus hic, ex Julii Papae temporibus exorsus, ab aliquibus observaretur Ecclesiis, ab aliquibus vero rejiceretur, et hoc usque ad magni Chrysostomi, piorumque Imperatorum Honorii et Archadii Theodosii Magni filiorum tempora; tunc tamen in universam Ecclesiam magis dilatatus, et canone firmatus fuit, hoc modo: Veniens enim Honorius Imperator Roma Byzantium, matri ac fratri retulit, quanta canticorum, precum et lectionum solemnitate a Romanis Domini nostri Nativitas suo proprio die celebraretur, similiter et ejusdem Baptismus alio statuto die aequali celebritate, ac splendore, quod cum istis magnopere arrisisset, accersentes magnum Joannem Chrysostomum, Constantinopolis tum Patriarcham, rem ei totam communicaverunt, de qua et ipse plurimum hausit jucunditatis ac laetitiae. Jampridem enim exoptabat Beatus, quemadmodum ipsemet in homilia de Christi Nativitate non obscure insinuat, idem Nativitatis festum ita solenniter lectionum, hymnorumque cantionibus juxta mysterii congruentiam celebrare, uti jam illi ex instituto solebant. Hac itaque de causa indixit multorum Episcoporum Concilium, ad quod praesertim magnus Epiphanius Cyprius, utpote Hebraeus genere, maximeque in Judeorum libris versatus, accessit: ubi Patres post exquisitum explorandae studio veritatis examen, incipiendo ex nuncio prolis Zachariae, ad exitum tandem dominicae Nativitatis negotium perduxere.

Primum quippe ex Divo noverunt Paulo, quod semel tantum in anno Pontifex in sancta sanctorum ingrediebatur; quandoquidem idem Apostolus ad Hebraeos scribens, ait: *In priori quidem tabernaculo semper introibant sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes; in secundo autem semel in anno solus Pontifex, non sine sanguine,*

quem offert pro sua et populi ignorantia. Porro mensis ac dies, quando Pontifex ingrederetur, ab ipso Moyse praescripti fuerant his verbis: *Mense septimo decima die mensis affligetis animas vestras,* etc., usque ad id, quod subditur: *Eritque vobis hoc legitimum sempiternum, ut oretis pro filiis Israel, et pro cunctis peccatis eorum semel in anno.* Hinc cognitum habuerunt, quod mense Thesrin, qui erat Hebraeorum septimus, a Nisan primo enumeratus, die decimo ejusdem mensis, in jejunio Scenopegiae, quando Pontifex propitiationem pro populo celebrabat, ingressus fuerat Zacharias in Sancta Sanctorum, eique Angelus apparuerat, et futuram prolis nativitatem nunciaverat: hoc autem accidit die XXIV. Septembris. Inde sex insuper enumeratis mensibus, deprehenderunt, annuntiationem, ab Archangelo factam Beatae Virgini die IV. Nisan, et XXV. Martii contigisse; quo quidem die, exactis a conceptione Elisabeth sex mensibus illis, sanctissima Virgo Maria concepit. Hinc tandem ulterius subducentibus hoc est ex IV. Nisan, et XXV. Martii, Nativitas Domini nostri Jesu Christi IX. Tebet, et XXV. Decembris illis comperta fuit.

Postquam autem dominicae tempus Nativitatis cunctis isto examine innotuerat, directum fuit hac de re universale mandatum ex alma Urbe Roma in Ecclesiam Constantinopolitanam, et ad Joannem Patriarcham Hierosolymorum, et ad Flavianum Antiochiae Patriarcham; omnesque, Sanctae Romanae Ecclesiae adhaerentes, unanimiter decreverunt, ut ejusdem Nativitatis festivitas XXV. Decembris solenniter in universa celebraretur Ecclesia, festumque Baptismatis VI. Januarii; eratque tunc temporis Ecclesiae Romanorum Pontifex, Anastasius. Scripserunt autem, sicut ad alias Ecclesias, sic et ad magnum Isaac Epistolam, ut vel ipse cum tota Ecclesia conveniret. Hic interim, cum noluisset in perniciem Armeni Regis Ardasciri una cum Armenorum Primatibus conspirare, eumque apud Regem Persarum falsis impetere calumniis, fuerat ab iisdem Magnatibus ac praesertim ab ambitioso quodam calumniatore, pseudo sacerdote, Surmac

nuncupato, apud ipsum Persarum Regem falso hoc crimine accusatus: Rex noster Ardascir, inquiunt, et Isaac Patriarcha, cum Graecorum imperatore foederati, rebellionem a tuo coeptare dominio machinantur. Quibus fidem adhibens Persa, et Regem et Patriarcham ex eorum throno dejecerat: ipsumque Surmac, tamquam in mercedem proditionis, patriarchali remuneraverat dignitate; ea propter, dum in adventu supradicti decreti Rex Ardascir et Isaac Patriarca in Ardavasensi provincia exularent, nullum ex eodem Beato Isaac responsum ad Archadium Imperatorem, ac Divum Joannem Chrysostomum Constantinopolis Patriarcham redire potuit: unde et illa consequenter Ecclesiae Armeniae cum magna Romanorum, aliorumque Christianorum Ecclesiis conformatio in festis dominicis celebrandis ad exitum tunc perduci nequivit. Quocirca sciendum insuper est, non modo omnes Orthodoxorum Ecclesias, verum etiam et Haereticorum, quae a recta fide, aliisque sacris ordinibus Ecclesiae postea declinarunt, in horum tamen celebratione festorum cum eadem Romanorum Ecclesia concordasse; cujusmodi sunt Nestoriani, Euthichiani, aliique complures Heterodoxi, qui licet in fidei professione, aliisque traditionibus ab Ecclesia sancta dissentiant, in hac tamen re omnes ei concordes inveniuntur.

Praeterea, quod dies Nativitatis praescriptus, verus sit, ipsa quoque solstitia nobis indicant: nam tempore quo Christi nativitas incidit, sol incipit retrocedere, dies crescere, nox vero decrescere, in nativitate autem Joannis, quae Christi Nativitatem sex mensium spatio praecedit, dies decrescere, nox vero incipit crescere, quemadmodum Joannes ipse populo praedicabat, dicens: *Illum oportet crescere, me autem minui;* quod et Chrysostomus, verba faciens de conceptione Elisabeth, matris Joannis, his innuit verbis: *Inventum est*, ait, *ipso die, octavo Kalendarum octobris esse aequinoctium, in quo est inchoatio noctis major, quam lucis; illum enim oportet crescere, inquit, me autem minui.* Tot igitur, ac talibus nos inducti firme credidimus, diem XXV. Decembris vere illum esse, cui

dominicae festum Nativitatis occurrit: quod et definivimus, ut ex vigesimo die ejusdem mensis Armeni jejunium dictae Nativitatis observent quinque diebus, post quos festivitatem illam solenniter celebrabunt.

Hanc autem de festis celebrandis aliisque suscipiendis traditionibus veram Ecclesiae Catholicae Definitionem nonnulli, aberrantes a veritate contemnunt, deque nobis obloquuntur dicentes, idcirca unam festivitatem in duas separarunt, ut unum quoque Christum in duas personas, et duos filios divisum confiteantur; quod absit omnino; sed ipsi potius negant duas illas naturas, quas in una Christi persona inconfuse unitas Ecclesia sancta confitetur, cum dicunt unam esse naturam, et quod post ineffabilem unionem ablatam fuisse differentiam naturarum, Sanctum Cyrillum testem facientes; eo quod ob ineffabilem unionem dixit: *Una est natura Verbi incarnati,* ignorantes, quod sicut ibi propter unitatem Verbi, dixit, unam Verbi incarnatam naturam; ita et alibi saepius in scriptis suis, duas dicit, naturas, et disserte asserit de proprietatibus, idemque unanimiter de inconfuse remanentibus proprietatibus clare loquuntur Sancti Patres Athanasius et Joannes, et alii; qui duas naturas in una Christi persona dixerunt, cum quibus et Magnus Gregorius Theologus idem demonstrat in Epistola ad Cledonium dicens: *Naturae duae, nam Deus et homo.* Et iterum in orationibus de Theologia ait: *Contra quam in Trinitate res se habet; illic enim in tribus personis una natura; hic autem in duabus naturis una cernitur persona.* Rejiciunt illi praeterea, ut supra dicebamus, Calicis admistionem; neque duas operationes, dicunt, in Christo, divinam scilicet et humanam, ut sancta Ecclesia Catholica credit et confitetur: et ita errantes seduxerunt, et a magnae Ecclesiae Romanae traditionibus, et decretis, quibus reliquae omnes Ecclesiae obtemperant, nostram Armenam Ecclesiam averterunt.

Quamobrem felicissimus Patriarcha noster Gregorius, ut nos in unum Ecclesiae sanctae corpus, sub uno capite

Christo constitutum, iterum revocaret; utque hanc *radicem amaritudinis, sursum germinantem, per quam multi inquinabantur,* penitus exstirparet; omnes divinos codices, sanctorum Patrum doctrinas, ac definitiones, eas praecipue, quae e sacrarum scripturarum oraculis ab iisdem erutae fuerunt, accuratissime perscrutatus, comperit praedictas Ecclesiae Romanae traditiones, quas illa tum de sacra Calicis commistione, tum de Dominicae Nativitatis, et Baptismi festivitatibus, tum de duabus in una Christi persona unitis naturis, ab initio servaverat, rectas omnino ac veraces fuisse. Quapropter ipsemet manu propria Canones Ecclesiae nostrae praescribens, mandavit nobis, ut aquam in Calice, juxta aliorum Christianorum consuetudinem, misceremus, ut festum Annuntiationis celebraremus die XXV. Martii, et Nativitatis XXV. Decembris, et Baptismatis VI. Januarii, et Purificationis Deiparae Virginis II. Februarii, et ejusdem Assumptionis XV. Augusti, et Exaltationis sanctae Crucis XIV. Septembris; reliquas vero Sanctorum festivitates juxta Maenologii*) dispositionem ageremus: illaeque, quas sua peculiari traditione Armenorum Ecclesia antea celebrabat, eodem modo in posterum observarentur.

Decrevit insuper, ut, quemadmodum Orthodoxorum Ecclesia credit, duas naturas in una Christi persona propter inconfusam unionem confiteremur; ut Missae sacrificium supra corporale conficeremus; ut in Ecclesia starent Clerici, juxta uniuscujusque ordinis gradum initiati; ut in vigiliis Paschatis, Nativitatis, et Baptismatis, piscibus tantum, et oleo, secundum magnae Ecclesiae Romanae ritum, contenti essemus; ac denique ut Trisagium in humanitatem Christi dicemus. Abstulit etiam a nobis excommunicationem, quam conciliabulum illud iniquum inmiscentes aquam, et festa modo superius tradito celebrantes, injuste pronunciaverat. Tum deinde pontificium Epistolae illius diploma, in quo relati canones scripti fuerant, proprio sigillo consignans, misit ad piissimum Regem nostrum Leonem, ut eos magna

*) Հայսմավուրք Haismavurk Armenorum.

Episcoporum, Magistrorum et Abbatum coenobiorum Synodo in Armena Ecclesia confirmandos curaret.

Porro cum interim remunerator animarum, vitaeque largitor, Pastor noster, et Dominus Jesus Christus eundem servum suum, et Antistitem nostrum Gregorium e molestis laboribus, in suo grege regendo strenue exantlatis, ad aeternam requiem transtulisset; quare ad opus istud perficiendum pervenire nequivit; piissimus Rex noster Leo et Christi Amator Baro Haiton, ne hoc charitatis, concordiaeque incoeptum optato fine frustraretur, per universam suae ditionis Regionem edictum promulgarunt, ut nimirum Episcopi, Magistri et Abbates in unum undique locum, pro concordia in celebratione festorum dominicorum et unione cum sancta Romana Ecclesia ineunda, congregarentur. Quamobrem illi statim in regiam civitatem Sisim, in Templum Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, in Sancta Sophia, in die festo Palmarum, plenissimo coetu simul omnes convenerunt: ubi quoque praeerat Rex ipse Leo, Regisque pater Dominus Haiton, nec non Dominus noster Oscinus, nunc Dei gratia Rex Armenorum, et Dominus Alinach frater Regis, adstantibus Oscino Armenorum Duce Generali, Domino Sembat Marescalcho, et Domino Raymundo seneschalco, aliisque Armenis Principibus et Patriciis.

Quod ibi factum est, e vestigio memoratam Gregorii Patriarchae nostri Epistolam, atque ab eodem de festis celebrandis, aliisque traditionibus suscipiendis definitos canones coram universo concilio produxerunt. Tunc sapientissimus Leo Rex Patribus cunctis injunxit ut Canones illos singilatim diligentissimo examine perpenderent; ac, si quidem veraces fuissent, reciperent, et in Armena Ecclesia confirmarent; sin aliter remitterent uti invalidos. Et quidem post longam accuratamque scrutationem compertum illis fuit, decreta, sanctorum Apostolorum vestigiis et canonibus consentanea, sacraeque scripturae testimoniis corroborata omnino esse: quare visum est omnibus, ibi congregatis Episcopis, Magistris et Abbatibus, illa tamquam veraces et apostolicas constitu-

tiones, reverenter amplecti; quin et in membranis transcripta, in Aerario Ecclesiae in augmentum Dominici thesauri asservare. Deinde juxta decretorum illorum statuta communi omnium consensu sancitum fuit, ut dominicae festum Nativitatis die XXV. Decembris in posterum ageretur, ut calix Domini vino et aqua mistus offeretur; ut duas naturas in una Christi persona, propter inconfusam unionem, confitetur; utque demum septem generalia Concilia, et quidquid in eis a Patribus definitum fuerat susciperent. Hanc autem Constitutionem, ut perpetuo firma persisteret, singuli propriis nominibus subscripsere, suoque munierunt sigillo, ad gloriam Christi Domini et spei nostrae.

Verum enimvero diabolus, qui veritatis et pacis adversarius est, ac perpetuus inimicus, unionemque corporis Ecclesiae Christi odio habet, sicuti olim tempestuosis Gentilium agitationibus, et incursibus Sapientiae domum evertere satagebat, crebrisque haeresum procellis Ecclesiam perturbare, ita nunc similiter viros quosdam insipientes, ac veritatis oppugnatores iterum pullulare fecit: quibus profecto maximae curae fuit, Constitutionis hujus veritatem subvertere, atque nostram, quae cum aliis orthodoxorum Ecclesiis erat, concordiam dissolvere, et demoliri; immo quid quid a sanctis Patribus de dominicis festivitatibus, aliisque traditionibus decretum fuerat, vanum reddere ridiculumque. Quapropter hic illuc discurrentes, veros illos canones, qui in metropolitana civitate Sisensi in templo sanctae Sophiae, Ecclesiae nostrae traditi, et confirmati fuerant, abolere conati sunt; asserentes, eos Constitutionibus Apostolicis, et sancti Illuminatoris nostri Gregorii traditionibus esse contrarios. His autem nugatoriis, et adversantibus verbis complures ex incauto populo decipientes, a veritate hujus Constitutionis averterant, conciliabula convocantes contra traditiones Ecclesiae Catholicae et Apostolicae.

Quae quidem omnia cum ad aures Oscini sapientissimi Regis nostri pervenissent, Rex incunctanter, missis ad sacrosanctum Patriarcham Constantinum nunciis, haec omnia illi

significavit, iterum generale Concilium per omnem suae ditionis locum indixit, mandans cunctis Episcopis, Magistris et Abbatibus, ut in unum simul convenientes, rem totam accuratius pertractarent, veritatem patefacerent, atque malum de medio tollerent, sicut inquit Apostolus: *Auferte malum ex vobis ipsis: nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* Et alibi: *Ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, et per illam inquinentur multi.* Quamobrem in celebrem et regiam civitatem Adanam in templum Divi Minasi, quod Regio Palatio adjunctum est, in magna Transfigurationis Domini nostri Jesu Christi solemnitate, una simul nos omnes convenimus:

Constantinus, Armenorum omnium Patriarcha.
Joannes, Archiepiscopus Tarsensis.
Constantinus, Archiepiscopus Sisensis.
Joannes, Archiepiscopus Taronensis.
Stephanus, Episcopus Adanansis.
Joannes, Episcopus Anazarbensis.
Joannes, Episcopus Mamuestensis.
Nerses, Episcopus Molevonensis.
Stephanus, Episcopus Parzerpertensis.
Jacobus, Episcopus Cabanensis.
Gregorius, Episcopus Marasensis.
Avedik, Episcopus Nephercertensis.
Constantinus, Episopus Ancyranus.
Marcus, Episcopus Carinensis.
Stephanus, Episcopus Colonensis.
Jacobus, Episcopus Salmastensis.
Constantinus, Episcopus Marantunensis.
Stephanus, Episcopus Palatii Patriarchalis.
Joannes, Vartabed.
Cyriacus, Vartabed eremita.
Gregorius, Vartabed Cermakpiurensis.
Gregorius, Vartabed.
Martiros, Vartabed.
Hairabet, Abbas Tiurcteni.

Basilius, Abbas Korinis.
Oscinus, piissimus Rex Armenorum.
Alinach, frater Regis, Dominus Tarsi et Lambroni.
Baro Sembat, Marescalcus Dominus Asgurae.
Baro Hayton, Magnus Dux generalis Armenorum.
Baro Raymundus Seneschalcus, Dominus Michaelqui.
Baro Oscinus Dominus Kuorkiusi.
Baro Sembat Dominus Sembataceae.
Baro Oscinus Dominus Cupitarae.
Baro Licos Dominus Kenzorovtae.
Baro Toros Praximos Dominus Cisfreglae.
Aliique Principes et Patricii Armenorum.

Aderat etiam Archipresbyter Regis, Toros una cum multis sacerdotibus et religiosis viris.

Nos igitur omnes, sacrae scripturae testimoniis, traditionibus Sanctorum Patrum, atque orthodoxorum Conciliorum definitionibus, diutius adversus homines illos disceptantes, perspicue demonstravimus, falsam, vanam, commentitiamque eorum esse doctrinam; memoriam vero sanctorum Patrum Conciliorum, et Patriarchae nostri Gregorii traditionem omnino justam, veram, rectamque comperimus; neque ut ipsi inaniter effutiebant, sed potius Illuminatoris nostri sancti Gregorii consonam, et Canonibus Apostolicis valde consentaneam eam esse, perspeximus. Quapropter, in confirmationem antedicti decreti magni Concilii Sisensis, et nos hic una congregati Episcopi, Magistri, Abbates definiendo praecipimus, ut ejusdem praecedentis concilii mandata, atque decreta ab omnibus summo in honore, et reverentia, non secus ac Evangelicae et Apostolicae constitutiones habeantur; omnesque in eo rescriptae traditiones, atque ordo festivitatum celebrandarum, indefectibiliter in Armenorum Ecclesiis observentur. Eos autem, qui vel huic nostro, vel praecedentis Concilii traditionibus et ordinationibus quomodolibet adversentur, sive Ecclesiastici illi sint, sive Seculares, per divinum Spiritus Sancti mandatum a Catholica et Apostolica Romana Ecclesia separamus, atque rejicimus; quin et a nostro Sancto

grege, et ovili repellimus, quousque ad poenitentiam revertantur. Quare nemo in posterum audeat, hujusce nostrae definitionis veritati contrariis apparere; ne Domini et Dei nostri Jesu Christi damnationem ac punitionem in hoc, et futuro seculo incurrat. Porro autem, ut hoc nostrum Decretum, firmum semper, ac stabile permaneat, Nos omnes hic congregati Patres, tradito supra signum sanctae Crucis, et Sacra Evangelia juramento, nomina nostra in fine illius propria manu subscripsimus; idemque proprio uniuscujusque sigillo consignavimus.

Constantinus Armenorum omnium Patriarcha volui et subscripsi.

Joannes Archiepiscopus Tarsensis, et reliqui omnes, uti supra. Similiter quoque facere piissimus et in Christo fortissimus Armenorum Rex Dominus noster Oscinus; et sapientissimus ac religiosissimus Baro Dominus Alinach, frater Regis. Et magnus Dux Generalis Baro Haiton, aliique Optimates et Principi Armenorum ad gloriam Christi Dei, et spei nostrae; qui cum Patre et Spiritu Sancto est benedictus in secula seculorum, Amen.

APPENDIX X.

Mandatum Oratorum Armenorum.

In nomine Domini amen. Reverendus in Christo Pater Dominus Malachus Eps Armenorum, Papa Stephanus de Sancta Trinitate, primus inter Armenos, Papa Avedech de Sancto Nicoogos, Nigridihi Papa de Supagop, Papa Mosses de Subarachel, Papa de Waltam de Sancto Georgio, Papa Gazar de Sancto Gregorio calorerius, Calorerius Avedich de Subassent, Papa Assazador de Subsarchis, Papas Simeon de Subsarchis, Papa Simeon de Sancto Stephano, Papas Ovanes de Ecclesia Sancti Simeonis, Papas Agop de Ecclesia Subgarabet, Papa Thomas de Sancto Nicolao, Papa Ovannes de Sancta Mt., Papa Agop de Sanctis Quadraginta, Papa Tatios de Ecclesia Ambarson, Papa Zorbar de Surcat, Papa Melchiser de Sancto Stephano, Papa Simeon de Sancta Maria, Papa Abraam de Sancta Maria, Papa Sarchis de Subaccenti, Papa Affazador de Sancta Maria, Olobei de Sansa Coia Tavalcal de Semiso, Amirbei de Sancta Catherina, Avacparon Batifolium Paroncoich de Toragal; Aranton Caxas, Borsonus Candelerius, Coia Isuf mercator, Amirbei de Sancto Francisco, Andreas de Carabet, Cotelbei de Saribei, Togalbei de Sansa, Enmibei de Agopsa, et Agopsa Peliparius pervenerunt ad infrascriptam compositionem cum spectabili, ac nobile Domino Paolo Imperiali, honorabili Consule Caffae, necnon egregio Domino Luchino de Fatio, et nobili et Domino Galeoto de Grimaldis provisori, et massariis Caffae, videlicet, quod scientes jamdiu promisisse eisdem trasmittere Januam, sive ad sanctissimum Dominum, Dominum nostrum Papam, sive ad Concilium, unum Legatum in Ambassa-

dorem eorum, bonum omnium Christianorum; requirunt, quod ipse spectabilis Dominus Consul det eisdem inducias trium mensium, ut possint mittere unum Legatum ad Sanctum eorum Patriarcham ad impetrandam licentiam ejus. Qui praefatus spectabilis Dominus Consul contentus fuit, et contentatur dare eisdem dictis indutias ita tamen, quod praesupposito, quod si ipse Sanctus Patriarcha recusaret eisdem ipsam licentiam transmittere, vel dare, aut quod infra tres menses proxime venturos dictus Legatus non rediret ab ipso Sancto Patriarcha quod tunc teneantur, et debeant, et contenti sint, hoc non obstante, transmittere ad sanctissimum Dominum nostrum Papam, sive Januani, sive ad Concilium in discretione dicti Domini Consulis Valtabet cum potestate ampla, larga et generali promissione, quod solvant eidem, et consociis omnes expensas, quas faciet, et omne interesse in quod contigeret incurrere cum eorum societate, pro eundo, et redeundo, et ex nunc eligunt, et pro electo haberi volunt ipsum Valtabet, cum potestate elapsis tribus mensibus, in legatum, et Ambassatorem eorum, ad praemissa, cum ampla, et generali bailia, ut supra, acto tamen, quod vigore praesentis instrumenti non intelligatur Legatus, vel obligatus aliquis ad aliquam compositionem accipiendam, nisi in discretione dicti Valtabet, ad hanc per ipsos mittendi [1]).

† MCCCCXXXVIII die XVI. Novembris. Extractum est ut supra, de Actis publicis Bartholomei Grepi Notarii, et tunc Cancellarii praefati spectabilis Domini Paoli Imperialis, Consulis, per me Gregorium de Benegassio, Notarium, et praefati spectabilis Domini Paoli Imperialis, Consulis, Cancellarium, et hoc de mandato ipsius praefati spectabilis Domini Consulis.

Gregorius de Benegassio Notarius, et Cancellarius.

† MCCCCIIIVIII die Martis XIII. Maii circa vesperos in Logieta.

1) „Actum Caffedin camera magna ipsius Domini Consulis MCCCCIIIVIII, Indictione quintadecima secundum cursum Jan. die Lunae in Vesperis, duodecima Maii. Testes Tinetus de Coronato, Lafrancus de Lorto, Christoforus de Odino, vocati et rogati.“

Infrascripti qui erant absentes affirmarunt omnia, ut supradicti dixerunt.

Ego Dirim Bacal.

Ego Ovanes, filius Bacal.

Ego Cotolbei de Marchar Carcanaihi.

Ego Paronvarth candelerius.

Ego Paronvarth Bacal.

Ego Saachbaz de Churmiso.

Ego Axixbei Cafaf.

Ego Stephanus, filius Zachariae Papas.

Ego Caihares Puigo.

Ego Andel de Sancta Trinitate Carcanaihi.

Ego Simeon Carcanaihi de San Stefan.

Papa Caihic de Ecclesia Armenorum.

Testes. Baptista de Mardiros, et Anths de Niela de Conradengus, vocati et rogati ad hanc.

† MCCCCXXXVIII die XVI. Novembris praedicta. Extractum est, ut supra, de dictis Actis publicis dicti Bartholomet Notarii per me suprascriptum Gregorium notarium, e cancellarium infrascriptum, et hoc de mandato praefati spectabilis Domini Consulis.

Gregorius de Benegassio Notarius et Cancellarius.

APPENDIX XI.

Professio[1]) fidei Azariae Patriarchae (1585).

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Ego Azarias Vartabed obsequens et humilis Servus Dei, Ordinis S. Antonii Eremitae, ac Divina miseratione electus Catholicos Armenorum Armeniae Minoris in civitate Sis, ad gloriam Altissimi, omnipotentis Dei, in honorem Bmae semper Virginis Mariae, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Beatique Patris nostri Gregorii Illuminatoris, necnon S. Sophiae Patriarchalis Ecclesiae Patronae, hanc fidei professionem facimus, quam noster Vicarius secum deferet, nomine nostro legendam si opus fuerit coram SS. Domino Nostro Gregorio Dei miseratione Papa XIII. et coram S. Apostolica Sede Romana, sub auspiciis Illmi Domini D. Julj Antonii Card. titulo S. Severinae, Armenae nationis Protectoris, ad antiquam nostram cum S. Romana Ecclesia unionem solidandam, et confirmandam, ad Apostolicam Benedictionem, nostrique Patriarchatus confirmationem suscipiendam, obtinendamque investituram juxta veterem institutionem per Patronum nostrum, ac Dominum Dom. Leonardum Episcopum Sidonensem, nuntium Apostolicae Sedis de consensu, et consilio Fratrum Nostrorum Episcoporum, et Archiepiscoporum, et nationis nostrae Primorum. Hodie legimus, ac deponimus prout sequitur.

Professio fidei Francorum christianorum. — Toto corde credo, et ore profiteor, unum esse verum Deum omnipotentem, incommutabilem, immensum, incomprehensibilem, et aeternum, qui est Pater et Filius, et Spiritus Sanctus, essentia unus, Trinus in Personis: Pater ingenitus, Filius ex Patre solo genitus,

1) Ex Bibl. Vaticana Cod. Arm. II.

Spiritus Sanctus, qui ab aeterno procedit a Patre et Filio, non tamquam ex duplici principio seu duplici spiratione, sed tamquam ex unico principio, et unica spiratione: Pater non est Filius, neque Spiritus Sanctus: Filius non est Pater, neque Spiritus Sanctus: Spiritus Sanctus non est Pater, neque Filius. . . Praeterea credo et confiteor Filium Dei unigenitum aequalem Patri in natura, semperque cum Patre et Spiritu Sancto manentem, in plenitudine temporum secundum consilium pietatis, et incomprehensibilem misericordiam, ut nos lavaret ab Adami sorde, et ab inquinamento peccatorum nostrorum, et a morte, et damnatione redimeret incarnatum esse de Spiritu Sancto in utero Beatissimae semper Virginis Mariae, ex eaque suscepisse veram perfectamque naturam humanam, idest corpus, et animam rationalem in unitate Personae Divinae; vi cujus unitatis, idem Christus Deus est, et homo, Filius Dei, et Filius hominis: neque una natura cum alia confunditur, neque in aliam convertitur: neque vicissim premuntur: sed in una hypostasi duae sunt perfectae naturae divina, nempe, et humana, cum suis naturalibus proprietatibus, duabus voluntatibus, et operationibus, et ita Deus, et homo unus est Christus. Et quemadmodum forma Dei non destruit formam servi, ita forma servi non imminuit formam Dei, quapropter qui verus Deus est, idem ipse verus est homo. Deus est, quia in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum: homo est, quia Verbum caro factum est, et habitavit in nobis . . . . . Similiter firmiter credo, et profiteor Christum Filium Dei vere carnem assumpsisse, et vere natum esse ex Beata semperque Virgine Maria: et ideo confiteor ipsam Virginem veram esse Matrem Dei, idest Theotocon: Praeterea firmiter credo, quaecumque in veteri testamento continentur, in lege Moysis etc. = (Hic incipit professio fidei Catholicae circa septem Sacramenta, qua transmissa, utpote paraphrasi decreti Eugeniani pro Armenis in Concilio Florentino edita, ad reliquam pergimus ejus partem qui talis est.) Credo insuper, eorum animas qui in charitate et gratia Dei decesserunt non exhibita divinae justitiae plena pro suis culpis satisfactione, in purgatorio post mortem corporis expiari,

ibique fidelium vivorum suffragiis juvari, ut a poenis exsolventur, prout Ecclesia definivit: et eorum animas qui post baptismum nullam peccati maculam contraxerunt, vel pro peccatis dignos poenitentiae fructus fecerunt, mox in coelum recipi, ibique Deum Altissimum unum, et trinum facie ad faciem inaequaliter tamen pro diversitate meritorum intueri: tandem eorum animas, qui lethali culpa sive originali sive propria actu commissa detenti moriuntur, statim in infernum descendere disparibus tamen poenis puniendos. Recipio etiam, et firmiter credo symbolum fidei in Concilio Nicaeno a trecentis decem et octo Patribus, et in Concilio Constantinopolitano a centumquinquaginta Episcopis conditum fuit, prout in Ecclesia hucusque integrum servatur; et est ejusmodi (sequitur symboli expositio) Credo, retineo, et profiteor unum, et eumdem Deum esse auctorem utriusque testamenti, legem, prophetas, evangelia complectentis: et Spiritu Sancto inspiratos locutos esse sanctos Dei homines in veteri, et novo foedere: quapropter admitto omnes libros canonicos, prout a Sancta Romana Ecclesia Catholica admittuntur, et sunt: Veteris testamenti libri; quinque Mosis, nempe Genesis, Exodi, Levitici, Numerorum, Deuteronomii; Josuae, Judicum, Ruth: I. II. III. IV. Regum: I. II. Euhremin.[1]) Esdrae, qui dicitur Nehemias, Tobiae, Judith, Esther, Job, Psalmorum, David 160 (?), Proverbiorum Salomonis, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Liber Sapientiae, Jesu Filii Sirach (Ecclesiasticus), Isaia, Jeremia, Baruch, Ezechiel, (liber Danielis videtur ex inadvertentia omissus) et XII Prophetae minores, idest Osee, Joel, Amos, Abdias, Jona, Micheas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias, primus, et secundus Machabaeorum. Libri novi testamenti sunt quatuor Evangelia secundum Matthaeum, Marcum, Lucam, Joannem, Actus Apostolorum a S. Luca conscripti. Libri XIV S. Pauli Apostoli nempe ad Romanos, ad Corinthios duo: ad Galatas unus: ad Ephesios unus, ad Colosenses unus: ad Thessalonicenses II., ad Timotheum II., ad Titum I., ad Philemonem I., ad Hebraeos I. Libri duos S. Petri

[1]) In Antiqua versione Armena legitur Menazortaz, quod idem sonat ac Paralipomenon.

Apostoli. Libri III S. Joannis Apostoli. S. Jacobi Apostoli I. S. Thaddaei Apostoli I. Apocalipsis S. Joannis Apostoli. Praeterea recipio ex ordine, et interno assensu retineo, et confirmo S. Nicaenam primam Synodum 318 Episcoporum, credo et confiteor omnia in ea definita ejusque praescriptionibus pareo: anathematizo quae illa Synodus anathematizavit, praesertim schisma execrabilium Arianorum cum eorum duce Ario, qui impudenter asseruit Dei Filium non ab essentia Patris ab aeterno genitum, sed ex nihilo in tempore factum. Similiter amplector, accipio, et confirmo S. Constantinopolitanam I. Synodum 150 Episcoporum, et credo omnia ab ea constituta, et quaecumque illa anathematizavit anathematizo, praesertim schisma execrandi Macedonii, qui impudenter dixit, Spiritum Sanctum non aeque aeternum esse, Patri Filioque consubstantialem: unde nec Deum esse, sed creaturam. Praeterea, accipio, et amplector, et confirmo Sanctam Ephesinam Synodum I. 200 Episcoporum, et ejus decretis adhaereo, et anathematizo quaecumque illa anathematizavit, maxime schisma execrandi Nestorii, qui duas in Christo personas admisit. et ajebat Verbum non fuisse Incarnatum in unitate personae, sed humanitatem veluti templum ab eo sanctificatam inhabitavisse, neque Christum Deum hominem factum, sed deiferum esse appellandum, neque Sanctam Virginem Mariam ejus Matrem Theotocon, sed Christotocon esse nominandam. Amplector, suscipio, et confirmo etiam sanctam Synodum Chalcedonensem 130 Episcoporum, nempe quartam oecumenicam Synodum, omnibus in ea constitutis fidem, et obedientiam praebeo, ac signanter anathematizo schisma Eutichetis et Dioscori Alexandrini, eorumque haeresim qua impudenter dixerunt post unionem Verbi cum humanitate non perstitisse duas naturas integras, et perfectas inconfusas, et inpermixtas in unitate Personae: et anathematizo secundam latrocinalem Synodum Ephesinam malitia et tyrannide Dioscori coactam, in execrandum Eutychetis schisma sancitam. B. Flavianus Episcopus Constantinopolitanus interemptus, expulsus Legatus Magni Pont. Romani, et ipse Dioscorus terrore gladii coegit Episcopos ejus

placita approbare. Ulterius amplector, suscipio, et confirmo Synodum Constantinopolitanam II. 165 Episcoporum, idest oecumenicam V. et credo quae in ea definita, et anathematizo quae illa anathematizavit, praecipue execrabile schisma Petri Antimi, et Severi, eosque qui commenti sunt, ipsam Trinae Deitatis naturam pro nobis crucifixam esse. Amplector aliam, et recipio, et confirmo Sanctam Constantinopolitanam Synodum III. 289 Episcoporum, oecumenicam sextam et credo ejus dogmata, et anathematizo quaecumque illa anathematizavit, praesertim execrandum schisma Sergii, Pirri, Pauli, Petri, Cyri, Macarii, et Teodosii, qui admiserunt in Christo unam voluntatem, et unicam naturam. Amplector, suscipio, et confirmo Sanctam Nicaenam Synodum II. 380 Episcoporum, idest in numero generalium Synodorum septimam, credo omnia, quae illa sancivit, et anathematizo schisma iconoclastarum, dicentium Imagines Christi, et Sanctorum auferendas esse ab Ecclesia, et ut idololatricas comburendas. Amplector, suscipio, et confirmo Sanctam Synodum Florentinam plusquam 140 Episcoporum, et credo omnia quae illa definivit, et docuit circa Processionem Spiritus Sancti a Patre, et Filio: de comparatione in azymo pane vel fermentato: de Purgatorio, de Beatitudine animarum: de Primatu Magni Pontificis Romani, de septem Sacramentis, de libris Canonicis. Ad haec amplector, suscipio et confirmo omnes alias Synodos, quae suscipit et approbat Sancta Catholica, et Apostolica Romana Ecclesia, praesertim oecumenicam Synodum Tridentinam serius convocatam, et anathematizo schisma, et schismaticos, quos anathematizat Sancta Catholica, Apostolica, Romana Ecclesia, et cum humilitate, et veneratione amplector, et recipio quidquid haec Ecclesia docet. Insuper humiliter suscipio doctores, et Sanctos Patres, quos eadem Romana admittit Ecclesia. Credo, et profiteor Sanctam Apostolicam Sedem, et Magnum Pontificem Romanum totius Orbis Primatum gerere, et hunc Romanum Pontificem successorem esse Beati Petri, Principis Apostolorum, et verum Jesu Christi Vicarium, Caput omnium Ecclesiarum, omnium christianorum Patrem, et Magistrum, cui in Beato Petro collata est a Domino

Nostro Jesu Christo plena potestas pascendi, et gubernandi universalem catholicam Ecclesiam, ac de hujus Ecclesiae unitate, ita sentio, et profiteor, neminem vitae aeternae participem fore, qui extra hanc Ecclesiam catholicam fuerit. Id vero potissimum firmiterque promitto, me ut obedientiae filium, semper omnimoda fidelitate obtemperaturum jussionibus, praeceptis, censuris, regulis Sanctissimi Domini nostri Gregorii divina Miseratione Papae XIII, aliorumque Magnorum Romanorum Pontificum, ei in Apostolica Sede legitime succedentium. Hanc veram catholicam fidem, quam ego sincera voluntate profiteor, et illibatam retineo, hanc Deo adjuvante perpetuo, constanterque custodiam usque ad extremum vitae spiritum, et omni ope perficiam, ut qui mihi subjecti sunt, mea auctoritate regendi, ea observent, et doceant, et praedicent, quae superius conscripta sunt: Amen.

Ego Azarias Patriarcha Sisensis inferioris Armeniae, haec profiteor, et jurejurando confirmo: sic me Deus adjuvet et haec Sancta Dei Evangelia. (Deinde litteris currenti calamo exaratis).

Ego Azarias Vartabed Vicarius electus Patriarcha Armeniae Minoris, approbo, suscipio, et apposita mea subscriptione confirmo.

Ego Lazarus Episcopus Aleppensis testificor, D. Azariam Patriarcham nostrum, antequam veniret Aleppo his postremis temporibus iturum Sis, suscepisse praefatam professionem, et propria subscriptione id declaravisse, cui declarationi nos, multique Sacerdotes et Episcopi adfuimus, eamque recepimus, et porro recipimus, testamur etiam seorsim, et quovis meliori modo, sigillum, et subscriptionem esse veram ejusdem Patriarchae.

In quorum fidem propria manu scripsi, et proprio sigillo obsignavi.

Mense Majo I. Sabbato.

D. Azarias
Archi J. C. epi
scop. Serv.

Ego Gregorius Diaconus Armenorum Aleppensium testor, et fidem facio, me de mandato D. Azariae nostri Patriarchae in Armenia Minori hanc Sanctam fidei professionem ex latino et Arabico sermone pro meis viribus, et facultate fideliter in Armenam linguam transtulisse, et Armenicis litteris exarasse, et testificor ex certa scientia praedictum Patriarcham nostrum Azariam, praevia matura deliberatione crebrisque colloquiis cum optimate D. Episcopo Sidonensi circa praefatam professionem, eam legisse, ac integram de verbo ad verbum recitasse adstante majori parte suorum Episcoporum, et presbyterorum Ecclesiae Alleppensis, ac deinde eam in patriarchali domo civitatis Sis, explicite accepisse, professum esse, ac propria manu subscripsisse, ejusque singulas paginas sigillo Patriarchali obsignavisse: et quoniam ego eram domesticus, praesens, et intepres, pro certa cognitione veritatis scripsi haec in Urbe Sis.

Aerae Armenae anno MXXXIV primo Sabbato Maj, et loco mei sigilli apposui signum sanctae Crucis. ✝

Sequitur subscriptio, et sigillum Patriarchae.

Deinde sequuntur testificationes Fr. Pacifici Orhidani Ord. Min. Commissarii.

Ego Azarias Vartabed electus Patriarcha Armeniae Minoris accipio, et credo omnia supradicta hac mea apposita subscriptione et Illumi D. EpiscopiSidonensis Nuntii Apostolici.

Ego Frater Pacificus Orhidanus Ord. Min. reg. observ. S. Francisci Dei verbi concionator claris. Cons. magnae nationis Gallorum, ac in Civitate Aleppi Commissarius Apostolicus Delegatus et C. fidem facio, et attestor me vocatum

a Rmo Epo, Sidoniensi Nuntio Apostolico pluries intervenisse in sermonibus, et colloquiis factis, Gregorio Diacono Armeno communi interprete, inter praefatum D. Episcopum Sidoniensem, et Rmm Azariam Patriarcham Armeniae Minoris super aliquas propositiones professionis fidei, et attestor, ipsum D. Azariam Patriarcham supradictum, fidei professionem, eodem interprete referenti, post multas auctoritatum S. Scripturae inductiones, declarationes, approbasse, et acceptasse, non solum in aedibus habitationis ipsius Rmi Dni, sed etiam in aedibus Patriarchalibus Ecclesiae Armenorum Aleppi, pluribus ibidem praesentibus Episcopis, Praedicatoribus, Sacerdotibus, et aliis Armenis, et hujus rei testimonium has manu propria et sigillo signavi. Aleppi die 18 Maj 1585.

Idem Fr. Pacificus qui supra. (L. S.)

Leonardus Abel Dei, et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Sidoniensis et Apostolicus Nuncius in Oriente, fidem facimus, et attestamur praefatum Rev. Azariam S. Antonii Religiosum, Divini Verbi Praedicatorem et Armeniae Minoris Patriarcham sive Primatem supradictam fidei professionem coram nobis, ac aliis testibus in aedibus nostrae habitationis, ac etiam in aedibus Patriarchalibus Armenorum Ecclesiae Aleppi, pluries legisse, approbasse, et publice acceptam habuisse, ac deinde in Patriarchali Ecclesia seu monasterio civitatis Sis, prout fide digno supradicti Diaconi Gregorii nostri, et ejusdem Patriarchae comunis interpretis nobis constitit testimonio, iterum eamdem publice legisse, manu propria subscripsisse, et Patriarchali sigillo signasse, ac eidem interpreti una cum introclusis litteris, et scripturis ipsius Patriarchae subscriptione, et sigillo signatis ad nos dedisse, per Episcopum Joannem ejusdem Patriarchae legitimum Procuratorem Sedi Apostolicae ac SSmo. Dno Nro Gregorio Divina Providentia Papae XIII. praesentandam et in ejusdem Sanctitatis manibus emittendam.

In quorum omnium fidem, et testimonium praesentes nostra subscriptione et sigillo munitas dedimus Aleppi in Syria die XX. Maj 1585. Pontificatus vero praelibati SSmi Dni nostri anno XIIII.

Idem Leonardus Episcopus, et Nuntius qui supra. (L. S.)

SSmo Domino nostro Gregorio Papae XIII.

SSmo, ac Bmo Patri Patriarcharum, eorumque qui Catholicos nominantur Principi, Domino Nostro Gregorio, Divina miseratione Romano Pontifici, et summo omnium Christianorum Urbis Capiti.

Tibi, gloriosissime, et venerande sancte Papa Gregori, sublime fidei caput, omne laude dignissime, fortis, ac vigilantissime, Pastor in Apostolica Sede Petri, cujus personam refers, et potestatem in ordinandis canonicis legibus, dispensator, et minister infiniti thesauri . . . . ego Azarias infimus, immeritus, ac nomine tantum Patriarcha Sisensis, salutem dico, et sacris pedibus osculum mitto.

(Postea effusissimo cordis affectu, ac verbis luculentissimis exponit sensus admirationis, ac devotionis erga Romanum Pontificem, atque ita prosequitur.)

Notum sit S. V. jam elapsum esse annum, ex quo appulit in hanc Urbem Sis dilectus noster D. Leonardus Episcopus Sidoniensis, Nuntius Sanctitatis Vestrae, epistolam ferens Beatitudinis Vestrae ad Patriarcham Chaciadur piae memoriae, praesulem meum, cujus ego Vicarii generalis, et coadjutoris munere fungebar. Mihi jam erat in votis veniendi Romam, veneraturus SS. Apostolos Petrum et Paulum, et nomine hujus nostri Patriarchatus exhibiturus R. P. debitam obedientiam Apostolicae Sedi, et Sanctitati Vestrae, prout hactenus debuimus. Sed cum praelaudatus Patriarcha morte praeventus fuerit, et in varias calamitates, et tribulationes inciderimus, mihique invito patriarchale onus subeundum fuerit, non potui fidem liberare, quia a sede deserenda, gravium periculorum metus absterruit. Quapropter

in hanc veni coactus deliberationem ut mea vice, meisque testimonialibus literis mitterem fratrem meum Joannem Vartabedum sapientem Episcopum, et Praedicatorem, ab juvenili aetate moderato atque austero vitae genere utentem, per quem ante conspectum B. V. me provolverem subjiceremque per ejus manus sacris vestris pedibus, atque excelso vestro throno hanc meam scriptionem: simulque omnium episcoporum, sacerdotum, populorumque mihi subditorum obsequium omni submissione, et humilitate sanctae catholicae, et apostolicae Ecclesiae Romanae impendens, Vestram Apostolicam Benedictionem implorarem, necnon confirmationem nostri Patriarchatus, investituram patriarchalem, aliasque praerogativas juxta eum morem, quo nostris antecessoribus, aliisque Patriarchis concedi consueverunt. Ne miretur Sanctitas Vestra, si multi ex nostris decessoribus non observarunt sanctam illam, eximiamque regulam, venerandi Romanam Cathedram, Ecclesiamque omnium Matrem, et Magistram ut alii pluries fecerunt: id bellis tribuendum est, ac longinquitati nostrae regionis, ubi exterorum ditioni subjecti sumus, instar vineae absque septis, et custodia, et veluti oves inter lupos, et agni in medio leonum hac illac dispersi sumus. . .

Invenimus in libris a nostris majoribus relatum nostros Patriarchas, et Catholicòs, Romanis, Pontificibus obsequentissimos fuisse, ut S. Gregorius Illuminator B. Papae Silvestro, nostrosque Reges fraterna dilectione prosecutos esse Romanos Imperatores, ut Magnum Constantinum Rex Armenorum Tiridates, qui a S. Gregorio Illuminatore baptizatus Joannis nomen recepit. Solemne, fuit nostris Regibus eam sibi coronam imponere, quam legati summi Pontificis Roma detulissent, nostrisque Patriarchis ea religio fuit, ut a Romani Praesulis benedictione per Apostolicum legatum impartita regimen auspicarentur. Sed varia regnorum, ac principatuum fortuna, rerum omnium conversionem sane perniciosissimam nobis attulit. Fidem hujus rei amplissimam faciunt tria sanctorum brachia, quae in vase argenteo, gemmis decorato reposita totius, urbis Sisiensis cultum, ac venerationem Deo favente

recipiunt, brachia, inquam Sanctorum Silvestri, Gregorii Illuminatoris, et Nicolai: complures praeterea mitras, Pallium, thronumque ferreum, vetus, et integrum diligenter a nobis custodiuntur, quod haec, ut a majoribus accepimus, Apostolica Romana Sedes, nostris Patriarchis munera largita fuerint: satis haec, superque fuissent argumenta, cur erga Sanctam Romanam Ecclesiam omnibus impigre fungeremur officiis: sed praeterea videmus S. V. talibus nos dignatam esse honoribus, ut praefatum nuntium fratrem nostrum Episcopum Sidoniensem ad nos mitteret, et jam antea cum Sis moraremur, et cum Aleppi consistentes, animadvertimus, et compertam habuimus clementiam, curam, ac specialem solicitudinem qua S. V. erga filios Armenos usa, prae aliis generatim christianis, Ecclesiam, et hospitium, multaque alia beneficia genti nostrae attribuit, deinde etiam Collegium pro institutione juvenum Armenorum atque ulterius Armenicae linguae characteres pulcherrima forma incidi jussit. Sanctitas Vestra, ea est erga nos humanitate ut nobis velit suppetias ferre, nosque a spirituali, et corporali inopia erigere, atque haud secus ac bonus Pastor relictis 99 ovibus in deserto vadit ad illam quae perierat donec inveniat eam, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, ut pia mater natis suis blanditur, ut Pater filium prodigum amplexus est, ita S. V. cum Armenis agit, ut eos dispersos colligat in sinum S. Ecclesiae Romanae. Quapropter tanto dilectionis igne corda nostra incalescunt, ut praeterita tempora doleamus, laetemur de praesentibus vehementius ut spes affulget imposterum laetaturi. Deoque nostro gratias indesinenter agentes, Beati Apostoli verba usurpamus: „Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum ut possitis sustinere. Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, pater misericordiarum, et Deus totius consolationis. Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.“ Et nos instar terrae arentis sumus, pluviam de coelo exspectantis, et sicut cervus desiderat fontes aquarum, et veluti concha rorem inhians: Ita excepimus dilectum fratrem nostrum D. Leonardum Episcopum Nuntium

S. V. qui et Apostolicam benedictionem nobis attulit, et gratissimis litteris S. V. recreavit, et suis verbis erexit, et narratione beneficiorum, et gratiarum, quibus S. V. nostram nationem auxit, summa nos affecit laetitia. Quapropter et in sacrosancto Missae sacrificio, et in nostris ad Deum orationibus jugiter supplicamus pro diuturna S. V. sospitate, pro exaltatione S. Apostolicae Sedis, Romanaeque Ecclesiae, et pro unione Christianorum. Sanctitati Vestrae probe innotescunt necessitates quibus premimur. Dum Aleppi postremum moraremur, magna erat in nostra natione contentio: sed ecce praelaudatus frater noster Episcopus Sidonensis, nobis exhibuit professionem Sanctae fidei Armenicis litteris donatam a dilecto filio Gregorio Diacono, juxta exemplar praefati Domini optimatis, et quoniam praedicta fidei professio a S. V. et Sancta Catholica Apostolica Romana Ecclesia, quae Spiritus Sancti suffulta praesidio errare non potest, ad nos transmissa est, eam religiose accepimus, eamque oculis, et capiti applicavimus, et coram nostris Episcopis, Sacerdotibus, et populo tum Aleppi, tum Sis perlegimus; eamdemque rite subscriptam, et Patriarchali sigillo obsignatam, una cum praesenti, epistola mittimus per Joannem Vartabedum, et Episcopum nostros vices gerentem, comitibus praedicto Gregorio Diacono, et nonnullis adolescentulis pro conficiendo studiorum cursu inter collegii alumnos aggregandis, admittendis. Mittimus etiam exemplar Bibliorum Armenorum. In tota natione Armena vix viginti ejusmodi exemplaria inveniuntur, et eorum quodque biscentis, aut tercentis florenis aegre admodum, aut etiam nullimodo comparare potest: cum tamen Episcopi, Doctores, et presbyteri sacris hisce Voluminibus carere nequeunt. Haud nos latet, Bme Pater, pro nova Bibliorum editione magnos sumptus requiri: sed in magnanimitate Beatitudinis vestrae confisi, opus, quod aggredimus non modo ad spiritualem profectum nationis nostrae conducit, sed etiam litterarum, et linguae Armenae studium provehit, eique ordinando praeficimus praelaudatum Episcopum Joannem, et Marcum Antonium Abgari filium, sed praecipue Gregorium

Diaconum, quos Sanctitati Tuae vehementer commendo, Episcopus, et Dynastis Sidonensis nos pariter datis rationibus monuit de necessitate emendandi supputationem temporum, deque Kalendarii reformatione: sed antequam caeterae nationes huic consilio accesserint, nobis cavenda omnis est mutatio, nisi adversariorum calumnias, et odium provocare velimus, perinde foedus cum gallis pepigerimus. Et quoniam nulli nobis praesto sunt libri, quibus de hujusmodi Kalendarii emendatione disseratur, Vicario nostro Episcopo Joanni Vartabed partes adscripsimus, de hac re debitas inquisitiones instituendi. Caeterum S. V. non pigeat Kalendarium ad nos mittere juxta novam emendationem, et nos, ubi alios consentientes viderimus, in usum nationis nostrae inter primos recipere non detrectabimus: quemadmodum declaravimus praefato Domino Leonardo Episcopo Sidonensis, cui etiam timores, et necessitates nostras patefecimus, quapropter vel ipse de omnibus certiorem faciet Beatitudinem Vestram, vel Rmum D. Julium Antonium Cardinalem Sanctae Severinae, Protectorem nostrum percontabitur, qui et Sanctitati Vestrae accurate omnia referet. Sanctitatem Vestram humillime obsecramus, ut nos suis praecibus adjuvare non praetermittat.

Scripta fuit haec Epistola civitate Sisensi anno Aerae Armenae MXXXIV (1585 a. v.) die Sabbati X. Aprilis.

In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Nos infrascripti Archiepiscopi, Episcopi, Presbyteri, Monachi, populusque Armeniae Patriarchali Sedi urbis Sisensis, in Armenia Minori jurisdictioni subjecti, in hac Ecclesia Patriarchali S. Sophiae fidem facimus, et declaramus veritati inhaerentes D. Vartabedum Azariam dicti Patriarchatus Servituti multos annos addictum fuisse tamquam Vicarium generalem, et Coadjutorem dum in vivis esset Patriarcha Chaciadur fel. recordationis, qui ut erat senex octuagenarius, et Patriarchatui Administrando impar esset patriarchalem illi contulit potestatem, eumque in cathedrali Ecclesia S. Sophiae, majori parte Episcoporum, Presbyterorum, populorumque Patriar-

chatus nostri suffragante, et consentiente Episcopum consecravit, resignato in ejus manibus Patriarchali sigillo, et quibuscumque negotiis ei commendatis, et quidquid ab eo gestum est, recta factum putabatur.

Post obitum memorati Patriarchae nostri Chaciadur fel. rec. Azarias Vartabed Episcopus renunciatus est Patriarcha, et coram multis Episcopis, Sacerdotibus, populique multitudine, in defuncto locum ad Patriarchale solium assumptus in civitate Sisensi, quae intra territorium nostrum continetur: hodieque ut verus Patriarcha noster in toto Patriarchatus ambitu agnoscitur, nobisque onus incumbit illius mandati obtemperandi: non secus ac caeteris Patriarchis, qui eum praecesserunt. Quapropter incunctanter, instanterque obsecramus Sanctitatem Domini Nostri Gregorii Papae, Sanctamque Apostolicam Romanam Sedem, ut confirmare dignetur Patriarchalem electionem praelaudati Azariae Vartabed, eique concedat omnes facultates, et gratias, aliis Patriarchis committi solitas; atque interim provoluti ad osculum Pedum Sanctitatis Vestrae, Beatissimi Papae Gregorii XIII. Jesu Christi Vicarii, et Successoris Beati Petri Apostolorum Principis, sanctam ejus Benedictionem, et gratiam imploramus, suarumque precum subsidio nos inopes, et abjectos ne destituere velit exoramus.

In praedictorum fidem scripsimus hanc Epistolam Sis, eamque subscriptione, et sigillo nostro munivimus Aerae Armenae anno MXXXIV die Sabbati X. Aprilis.

Mardiros Episcopus Asciotensis
(L. S.)
Omnia supra scripta confirmo.

Ego Joannes Episcopus Zeidunensis
(L. S.)
Omnia supra scripta confirmo.

Ego Lazarus Episcopus Aleppensis
(L. S.)
Omnia supra scripta confirmo.

(L. S.)
Meser Sciah Princeps
assessor Sisensis omnia praefata confirmo.

(L. S.)
Liparitus Princeps
assessor Sisensis omnia praefata confirmo.

✠
Hanusci Princeps
assessor Sisensis omnia praefata confirmo.

✠
Meghtesi Budakkaribi junior
princeps Sisensis
omnia praefata confirmo.

✠
Ego D. Joannes Aleppensis
omnia praefata confirmo.

APPENDIX XII.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Reversurus ex hoc mundo ad Patrem Unigenitus Dei Filius Ecclesiae Suae divinam ordinationem ita constituit, ut, quemadmodum B. Leo PP. I. Decessor Noster monuit[1]), cum inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris quaedam fuerit discretio potestatis, omniumque par esset electio, uni tamen scilicet Bmo Petro datum fuerit, ut cacteris praemineret. Huic enim soli a Christo Domino suprema potestas fuit attributa pascendi nedum agnos verum et oves, hoc est regendi et gubernandi universam Ecclesiam, ut iam in grege Christi non sit, qui Petrum Pastorem non agnoscat. „De qua forma, ut ait idem B. Leo, Episcoporum quoque est orta distinctio et magna dispositione provisum est, ne omnes omnia sibi vindicarent; sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia; et rursus quidam in maioribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiae cura confluceret, et nihil umquam a suo Capite dissideret.“ Quibus sane verbis Metropolitarum ac Patriarcharum ecclesiastica institutio aperte designatur.

Hinc factum est, ut in iis tantum amplioribus urbibus patriarchalis dignitas antiquitus constiterit, quarum Ecclesias B. Petrus fundaverat. Hinc factum est ut Patriarchis ipsis vix electis nil magis cordi fuerit, quam confirmationis literas ab hac B. Petri Sede obtinere, per quam sciebant, largiente

(1) Epist. ad Anastasium Thessalonicen.

Domino, omnium solidari dignitatem sacerdotum et ab eadem ipsam patriarchalem auctoritatem promanare: hinc factum est, ut graviores ac difficiliores causae tam fidei quam disciplinae ad eamdem Sedem deferrentur, quae sola cunctas haereses etiam ante conciliorum Generalium definitiones auctoritate Sua interemit, et universalis Ecclesiae disciplinae cum opus fuit, latis etiam legibus providissime consuluit. Atque hanc constitutionem semper in Ecclesia fuisse religiosissime custoditam, universalium Conciliorum acta, SS. Patrum institutiones, atque universae Ecclesiasticae historiae monumenta tam perspicue demonstrant, ut nemo ante funestissimum Orientis schisma praesumpserit hanc supremam Romanorum Pontificum auctoritatem in dubium revocare.

Etsi autem schisma illud omnes ferme Orientales Ecclesias ab unitatis centro divulserit, haud tamen potuit hanc veritatem Catholicam in Ecclesia obscurare, vel saltem ex Orientalium animis penitus eradicare. Etenim praeterquamquod innumerabiles gentes in agnitionem veritatis ex idololatriae vel haereseos tenebris vocatae ad hanc Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem undique convenerunt, aliaeque in dies conveniunt, ipsae etiam Orientalium Ecclesiae, quoties ad bonam frugem divina aspirante gratia reversae sunt, primatum nedum honoris verum et iurisdictionis B. Petro Eiusque in Romana Cathedra successoribus a Iesu Christo Domino Nostro attributum solemniter professae sunt. Quem primatum, licet a vetustioribus etiam Conciliis et ab universa Ecclesia semper agnitum et summo in honore habitum, oecumenica Synodus Florentina, in qua Graeci sacrorum Antistites cum Latinis convenere, solemni dogmatico decreto asseruit, ut magis magisque inexcusabiles fierent qui tam perspicuam veritatem vellent inficiari.

Atque utinam hoc fidei Christianae dogma Orientales Antistites constanter tenuissent! Neque enim eorumdem Ecclesiae in miserrimam illam conditionem cecidissent, in qua post conflatum vel instauratum schisma versantur. Siquidem praeter asperrimas calamitates quae earumdem

defectionem ab hac Apostolica Sede consequutae sunt, etiam vigor canonum, et ecclesiasticae disciplinae honestas, et sacrae hierarchiae ordo et maiestas apud eas miserrime defecerunt. Et inscrutabili Dei iudicio factum est, ut Antistites earumdem Ecclesiarum, qui Supremi Ecclesiae Pastoris divinitus institutam auctoritatem contempserunt, laicorum quin et infidelium iugo premantur, ut neque ordinaria atque immediata Episcoporum iurisdictio in suas dioeceses, neque Patriarcharum in suos Episcopos canonica auctoritas sarta tecta manserit: quos contra monitum Apostoli suis cleris praeter canonum statuta dominantes, clerus ipse ac populus contra eorumdem canonum statuta vel a sua dignitate dejiciunt vel eidem renunciare nunquam satis lugendo exemplo audacter compellunt.

Tantam infelicitatem Orientalium Ecclesiarum miserati Romani Pontifices praedecessores Nostri nihil intentatum reliquerunt, ut aberrantes oves in unicum Christi ovile reducerent. Quod assequi conati sunt plurimis datis ad Orientales literis etiam encyclicis, conciliis etiam generalibus celebratis, ac potissimum missis ad Orientales plagas Apostolicis viris, quorum sudore, laboribus, atque aerumnis vineae illae olim florentissimae, tandem aliquando reflorescerent. Quod si curis atque laboribus cumulate non respondit fructus, haud tamen res in irritum cessit: siquidem multi agnito errore, schismate eiurato ad Ecclesiae unitatem reverti festinaverunt, quos inter, ut caeteros hic praetereamus, Armenii recensendi sunt. Etsi autem propter humanam infirmitatem, hominum nequitiam ac temporum acerbitatem haud semel eorum antistites in errorem reversi fuere, ex ipsis tamen Armenis non defuerunt praeclarissimi viri, qui divina ope suffulti catholicam veritatem et unitatem restituendam curarent. Talis fuit Abrahamus Petrus primus, quem multis aerumnis pro catholica fide probatum Benedictus PP. XIV Decessor Noster Patriarcham Ciliciae renunciavit; quem deinde non interrupta Patriarcharum series huic Apostolicae Sedi firmiter adhaerentium subsequuta est. Praeclarum quoque fidei

specimen exhibuerunt Armeni Constantinopolim finitimasque provincias incolentes, qui licet persequutionibus exagitati, adduci tamen numquam potuere ut a catholica fide recederent, pro qua asperrima quaeque perpeti non dubitaverunt.

Placuit tandem Omnipotenti Deo hisce malis finem imponere: qui dans vocem virtutis inclytis Christianorum Principum Legatis, eam mentem Summo Turcarum Imperatori iniecit, ut catholicos Armenios a schismaticis omnino separaret, eosque ab omni, qua antea tenebantur erga schismaticum Patriarcham subiectione, obedientia, parendique obligatione, vel sacris, vel civilibus in rebus perpetuo eximeret.

Tunc reddita Catholicis Armeniis ecclesiastica libertate, placuit sa. mem. Pio Papae Octavo Decessori Nostro Primatialem atque Archiepiscopalem Armeniorum Sedem Constantinopoli erigere Apostolicis litteris „Quod iamdiu," die sexta Julii anno Domini millesimo octingentesimo trigesimo sub annulo Piscatoris expeditis, eamque huic Beatissimi Petri Cathedrae arctius coniungere, ut quo magis illi adhaereret, eo firmius et fructuosius in catholicae veritatis professione permaneret atque proficeret. „In Petro enim, uti iam memoratus Sanctus Leo[1]) docuit, omnium fortitudo solidatur, et divinae gratiae ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quae per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis caeteris conferatur."

Re autem catholica per memoratae Sedis Primatialis institutionem sic opportune constituta, potuimus Nos post aliquot annos episcopales quoque Sedes erigere[2]) quarum Antistites Constantinopolitano Armenorum Archiepiscopo Primati suffragarentur. Quin etiam Hispahanensem Armenium Episcopatum, extra fines Constantinopolitanae ecclesiasticae provinciae in Perside a Nobis erectum, ejusdem Primatis suffraganeum provisoria ratione decrevimus,[3]) donec catholi-

[1]) Serm. 3 in Annivers. Assumpt. Suae.

[2]) Litt. Apostol. *Universi* 30 April 1850. — *Assidua* 9 Maii 1865.

[3]) Litt. Apostol. *Ad Supremum* 30 April 1850.

corum numero, Deo iuvante adaucto, opportuniori ratione providere liceret.

Etsi vero tam feliciter Armenis Constantinopolitanae provinciae consultum fuisset, iisdem tamen satius esse videbatur, Primatialem Constantinopoleos et Patriarchalem Ciliciae Sedes in unum coniungi, quam unionem a fel. rec. Gregorio Papa Sextodecimo etiam Praedecessore nostro et a Nobis praefati Armeni non semel efflagitaverunt. Sed graves justaeque causae obstiterunt, quominus haec eorum vota possent expleri. Novissime autem post obitum bo. me. Gregorii Petri Octavi postremi Ciliciae Patriarchae, Episcopi ejusdem Patriarchatus synodaliter convenientes ad Successoris electionem peragendam in eamdem sententiam devenerunt, atque huic fini assequendo Venerabilem Fratrem Nostrum Antonium Hassun hactenus Archiepiscopum Primatem Armenorum Constantinopoleos in Patriarcham Ciliciae elegerunt seu postulaverunt, Nos humillime obsecrantes, ut nedum hanc electionem confirmare, verum et memoratam coniunctionem earumdem Armeniarum Sedium indulgere dignaremur, et hac ratione Catholicis Armeniis decus atque ordinem unitatis tam quoad jurisdictionem quam circa disciplinam tribueremus.

Re itaque per Venerabiles Fratres Nostros Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales Congregationis christianae Fidei propagandae pro Orientalium Ecclesiarum negotiis praepositae accurato examine perpensa, Nos Armeniorum votis annuendum esse censuimus.

Quapropter, exorato ad tanti momenti negotium definiendum divinae gratiae praesidio, ad laudem et honorem Omnipotentis Dei et SSmae Genitricis Dei Mariae sine labe conceptae ac Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, nec non in Catholicae fidei exaltationem, Apostolica qua pollemus in universam Ecclesiam auctoritate, tenore praesentium extinguimus et abolemus titulum Primatialem atque Archiepiscopalem, quo memoratus Pius Praedecessor Noster supra-

dictis Apostolicis litteris Armeniam Constantinopolitanam Ecclesiam decoravit. Deinde pari auctoritate Constantinopolitanam Ecclesiasticam Armenorum Provinciam Patriarchatui Ciliciae perpetuo unimus; mandantes, ut novus Patriarcha, eiusque Successores titulo fruantur Patriarcharum Ciliciae Armenorum: ut iidem in Urbe Constantinopolitana resideant, eamdemque Constantinopolitanam Ecclesiam Ordinaria iurisdictione gubernent. Volumus autem ut praedictus Patriarchatus iisdem limitibus coerceatur, quibus Ciliciae Patriarchatus et Primatiatus Constantinopolitanus in praesentiarum continentur.

Quo vero haec ferme nova Patriarchatus Armenii constitutio in bonum cedat animarum, atque ut gravissima damna quae ex incerta vel minus apte constituta ecclesiastica disciplina solent derivari, propulsentur atque arceantur, motu proprio, certâ scientia ac de Apostolicae potestatis plenitudine praecipua quaedam eiusdem disciplinae capita (salvis tamen ritibus Orientalium a Sanctis Patribus institutis et ab hac Apostolica Sede probatis) in memorato Patriarchatu perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observanda tenore quoque praesentium constituimus atque sancimus.

Ac primo quidem praetensum quoddam Capitulum, quod ante triennium a nonnullis Armeniis presbiteris primo expetitum defunctus Patriarcha Gregorius Petrus Octavus anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo primo, uti accepimus, illegitime erexerat, cui etiam quaedam praetensa iura seu privilegia attributa fuerant episcopali quin et patriarchali dignitati iniuriosa, itemque alia praetensa capitula, si quae fortasse intra fines eiusdem Patriarchatus uti supra instituta sint, praedicta Nostra Apostolica auctoritate abolemus; prohibentes, ne in posterum similia capitula in Armenio Patriarchatu umquam instituantur.

Vacante Sede Patriarchali, nemini umquam, qui episcopali charactere non fulgeat, fas sit suffragium ferre in electione Vicarii, qui vacantem Patriarchatum gubernet atque administret.

In electione autem Patriarchae solis Episcopis ius erit suffragii ferendi, exclusis omnino Clericis et Sacerdotibus, qui episcopali charactere non polleant. Nemo vero laicorum in eadem electione semet inserere, ullamque partem possit habere quovis quaesito colore vel praetextu.

Porro electum Patriarcham neque, uti ajunt inthronizari, neque ullum ius aut jurisdictionem, ne procuratorio quidem aut vicario nomine vel titulo, in Patriarchatum habere volumus, nisi prius ejusdem electio seu postulatio a Nobis vel a Romano Pontifice pro tempore existente fuerit admissa et de more confirmata, atque Apostolicae litterae confirmationis ejusdem fuerint expeditae, sublata qualibet contraria consuetudine.

Eidem Patriarchae, quamvis ab Apostolica Sede uti supra confirmato, non licebit episcopos consecrare nec convocare concilium, nec chrisma conficere, neque ecclesias dedicare, nec clericos ordinare antequam ab Apostolica Sede sacrum Pallium obtinuerit.

Praedicto autem Pallio Patriarcha uti tantum poterit in Missarum solemniis intra fines et in ecclesiis sui Patriarchatus sequentibus dumtaxat diebus; videlicet in Nativitate Domini Nostri Jesu Christi, in festis Sancti Stephani Protomartyris, Sancti Joannis Apostoli et Evangelistae, Circumcisionis Domini, Epiphaniae ejusdem, Dominicae in palmis, Feriae quintae in Coena Domini, Sabbathi Sancti, Dominicae Resurrectionis cum duobus sequentibus diebus, Dominicae in Albis, Ascensionis Domini, Dominicae Pentecostes, Sacratissimi Corporis Christi, nec non in quatuor festivitatibus Beatae Mariae semper Virginis, videlicet Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis et Nativitatis ejusdem; quibus id humillime postulante praefato Venerabili Fratre Nostro Antonio Hassun electo seu postulato Patriarcha Armenorum Ciliciae, addimus festum Immaculatae Conceptionis ejusdem Dei Genitricis Mariae: item in festis Nativitatis Sancti Joannis Baptistae et Omnium Sanctorum, nec non in festivitatibus omnium Apostolorum, in dedicatione Ecclesiarum, in

praecipuis Ecclesiae suae festivitatibus, in Ordinationibus clericorum, in consecrationibus Episcoporum et Virginum, atque in diebus anniversariis tam consecrationis suae quam dedicationis ecclesiae.

Sacra limina Beatissimorum Apostolorum Petri et Pauli singulis quinqueniis Patriarcha personaliter et per se ipsum visitabit, Romanoque Pontifici pro tempore existenti rationem reddet de toto suo pastorali officio, ac de rebus omnibus ad patriarchatus sui statum pertinentibus; ejusdemque monita et mandata humiliter excipiet ac diligentissime exequetur. Possessiones vero pertinentes ad Ecclesiam vel mensam suam, sive ad alias quascumque Ecclesias, vel loca pia sui Patriarchatus non poterit idem Patriarcha vendere, aut donare, vel oppignerare, aut de novo infeudare, vel alio quocumque modo alienare, neque assentiri, ut a quovis alienentur inconsulto Romano Pontifice secundum formam iuramenti, quod electi Patriarchae Orientalis ritus in sua promotione emittere tenentur.

Verum nihil magis animum Nostrum sollicitat atque angit, quam provida Episcoporum electio, a qua praecipue pendent, felicitas populorum, ordo ecclesiasticae disciplinae, atque aeterna animarum salus. Animo igitur assidue recolentes, quod sanguinem ovium Christi, quae peribunt ex malo regimine pastorum negligentium, et sui officii immemorum, de manibus Nostris sit requisiturus Dominus Noster Jesus Christus, qui humilitati Nostrae universae Ecclesiae, quanta illa est, regimen et sollicitudinem demandavit, ea quae sequuntur, circa electionem Episcoporum Armenii Patriarchatus, pro Apostolici Nostri ministerii officio ac de Nostrae potestatis plenitudine, tenore praesentium statuimus atque decernimus.

Quoties aliquam dioecesim memorati Patriarchatus vacare continget, Patriarcha quamprimum synodum indicat universorum Episcoporum ejusdem Patriarchatus; quo facto, ab eodem Patriarcha et Episcopis synodaliter congregatis

tres idonei Ecclesiastici viri, collatis consiliis, Romano Pontifici pro tempore existenti proponantur, ut ex illis digniorem et magis idoneum eligere, et vacanti Episcopali Sedi providere possit. Non dubitamus autem, quin iidem Episcopi dignos ac vere idoneos viros proponere studeant ne umquam cogamur Nos vel Successores Nostri pro ejusdem Apostolici ministerii officio alium, licet ab eis non propositum, episcopali dignitate augere, et vacanti Ecclesiae praeficere. Quod si propter instantem necessitatem, aut itineris longitudinem universi Episcopi ad synodum uti supra a Patriarcha indictam accedere non poterunt, tres saltem Episcopi propriam dioecesim cum jurisdictione habentes una cum memorato Patriarcha in eamdem synodum omnino conveniant, absentibus ternariam suam propositionem scripto significantibus. Volumus autem ut universa acta ejusdem Synodi ad praefatam Congregationem de Propaganda Fide Orientalium Ecclesiarum Negotiis praepositam per nostrum et hujus Sanctae Sedis Apostolicum Delegatum transmittantur, ut diligenti primum trutina ab eadem Congregatione expensa, demum Nostro et Successorum Nostrorum judicio subiiciantur.

Dum autem haec pro Armeniorum Antistitum electione decernimus, haud obliviscimur reliquorum Patriarchatuum ritus Orientalis, pro quibus etiam hoc gravissimum de Episcoporum electione negotium quamprimum moderandum curabimus, uti iam venerabilibus Fratribus Nostris Patriarchis Maronitarum et Melchitarum, aliisque Orientalibus Praesulibus Romae in praesentia commorantibus palam ediximus.

Haec volumus, praecipimus atque mandamus, decernentes irritum atque inane, si quid contra praemissa a quolibet quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari: ac reservantes nobis et Successoribus Nostris ea in posterum sancire, quae in memorato Ciliciae Patriarchatu pro temporum, locorum ac personarum rationibus magis in Domino expedire dignoscentur.

Decernimus quoque praesentes Nostras litteras semper et quandocumque validas et efficaces fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari debere; quin ullo umquam tempore ex quocumque capite vel causa de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, vel de Nostrae intentionis defectu notari aut impugnari possint; sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, indicari et definiri debere.

Non obstantibus Nostra et cancellariae Nostrae Apostolicae regula „De jure quaesito non tollendo“ ac quibusvis aliis, etiam in Synodalibus, Provincialibus, generalibus, Universalibusque Conciliis editis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis; dictarumque Ecclesiarum Patriarchalis Ciliciae et Primatialis Constantinopoleos etiam iuramento corfirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis atque indultis et litteris Apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam insolitis clausulis et decretis concessis: quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, ad praemissorum omnium et singulorum validissimum effectum latissime et plenissime, ac specialiter et expresse, nec non opportune et valide harum quoque serie Motu pari derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis.

Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam Nostrae extinctionis, unionis, abolitionis, constitutionis, prohibitionis, inhibitionis, praescriptionis, praecepti, mandati, decreti, voluntatis, intentionis, reservationis et derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexagesimo septimo, quarto idus Julii, Pontificatus Nostri Anno vigesimo secundo.

FRANCISCUS VICI SUBDATARIUS. N. CARD. PARACCIANI CLARELLI.

Visa de Curia.
D. Bruti.

Loco ✠ Plumbi. J. Cugnonius.

APPENDIX XIII.

DECRETUM APOSTOLICUM.

ANTONIUS JOSEPHUS PLUYM

Dei et Apostolicae sedis gratia archiepiscopus Thyanensis delegatus Apostolicus etc.

Dilectis Nobis in Christo, Armenis Catholicis, salutem et benedictionem in Domino.

Sanctissimus Salvator noster Judaeam et Galilaeam pertransiit beneficiendo et sanando omnes oppressos a diabolo[1]). Sed quod cordis affectum et grati animi sensum ei acquirere debuisset, ex pharisaeorum malitia invidiae et odii fomitem ministravit. Plantavit vineam, expectavit ut faceret uvas, et fecit labruscas[2]), Jerusalem, Jerusalem inquit, quae occidis prophetas et lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti![3]).

Quod aeternus Pastor exprobravit Judaeis, hoc in analogis rerum adjunctis Vicarius ejus, Romanus Pontifex, a quibusdam Armenicae gentis Catholicis se passum esse juremerito conqueritur. Quo impensiore enim studio afflictas Armeniorum Ecclesiae res erigere nisus est, et ad eum adducere ordinem, eamque concordiam et firmitatem, quae antiquum decus referre possent, eo acerbius affectus fuit a nonnullorum malitia, qui curas ejus omnes non modo frustrati sunt, sed per machinationes suas converterunt in animorum dissidium, in pusillorum scandalum, in propriae gentis perniciem[4]).

1) Act. X, 38.
2) Isaï. V, 2.
3) Matth. XXIII, 37.
4) Litt. Apost. dd. 20 Maji 1870 *Quo impensiore.*

Institit Sanctissimus Dominus Noster, futurum confidens ut resipiscerent et ad debitum reverterentur obsequium; et ut horrore saltem incurrendae poenae perterriti, novissima providerent et rectius saperent, minatus est putida haec membra, quae jam ultro secesserunt a capite, sejungere a caeteris, si in sua contumacia permanerent.

Distulit amantissimus Pater infligere poenam: ast hanc ejus longanimitatem inobedientes filii perverso modo et sensu contrario interpretati sunt, et magis aberraverunt a via veritatis et justitiae.

Abyssus invocavit abyssum. Licet schisma ab haeresi discrepet, ordinarie tamen ab ea gignitur vel eam gignit. Illi ex schismate lapsi sunt in haeresim. Non solum hierarchicam subordinationem et veram obedientiam erga Romanum Pontificem renuerunt, sed insuper plenam et supremam ejus potestatem jurisdictionis in rebus quae *ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae* pertinent, et hanc quidem ordinariam et immediatam *sive in omnes et singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles*, plane negaverunt.

Inventi sunt episcopi, scilicet Illustrissimi ac Reverendissimi DD. Kalypgian, Bahtiarian, Gasparian et Kasangian, qui perversam hanc, schismaticam et haereticam doctrinam, necnon sacerdotum suspensorum sacrilegos et invalidos actus verbo et exemplo approbare, confirmare, et eorum rebellioni publice adhaerere ausi sunt. Et ne ulli dubio relinqueretur locus, post communicatum ipsis et publicatum monitorium nostrum [1]), quo, auctoritate apostolica et de mandato speciali Summi Pontificis, eorum in causa dissidentium Armenorum agendi rationem et conversationem reprobavimus, illi ipsi episcopi ad Armenos Catholicos dederunt litteras circulares, quibus non solum sacerdotes illos suspensos declarant innocentes, sed etiam quae a S. Vaticano Oecumenico Concilio definita fuerunt, de Romani Pontificis primatu, plane rejiciunt [2]).

[1]) Datum in festo S. Michaëlis Arch., publicatum 2a Octobris seq.
[2]) Datas 24 Semptembris (v. s.) 1870.

In hisce rerum adjunctis simplex et pura susceptio et admissio Constitutionum, Litterarum Apostolicarum, Decretorum et Instructionum, quae in rebus ad disciplinam et regimen Ecclesiae pertinentibus pro Orientalibus et speciatim pro Armenis, a Sancta Sede emanarunt, sufficere amplius non poterant. Ut tergiversationibus et subterfugiis imponeretur finis, explicita fidei professio facta est necessaria.

A Sede Apostolica transmissa Nobis fuit formula hujusmodi fidei professionis, una cum declaratione correlaria, de suscipiendo et reverenter admittendo Constitutiones Apostolicas aliaque supra laudata. Nos vero, pro muneris nostri officio, omnibus et singulis Episcopis supranominatis, aliisque ex clero armeno dissidentibus, formulam hanc communicandam curavimus, peremptorie insimul denuntiantes, post decem dierum elapsum terminum, refractarios omnes declarandos esse formaliter schismaticos, nisi praedictam formulam approbent eique subscribant. Ne autem, recusando litteras nostras — prout jam olim, et etiam hac vice a quibusdam factum est — ignorantiam horum praetenderent, formulam ipsam cum adjuncta denuntiatione typis mandari et publicari praecepimus.

Elapsus est jam praefixus terminus. Per alios quinque dies expectavimus; sed nullus eorum formulam subscriptam Nobis remisit.

Equidem, die 14/26 mensis Octobris, illi sacerdotes suspensi collectivam ad Nos dederunt epistolam; et in ea, solito haereticorum et schismaticorum more, *cor suum declinant in verba malitiae ad excusandas excusationes in peccatis*[1]). In rebellione autem contra Sedem Apostolicam, quam Episcopi praedicti approbare non erubuerunt, pertinaciter persistunt; et juxta horum exemplum, quae de primatu Romani Pontificis SS. Vaticanum Concilium definivit plane rejiciunt.

Quovis quidem tempore factum est ut dogmaticae Conciliorum oecumenicorum sanctiones, absque ulla controversia, seu totidem fidei articuli habitae fuerint; et hinc tota antiquitas illico uti haereticos habuit eos omnes cujuscumque

[1]) Ps. CXL.

ritus et dignitatis pastores et fideles, qui post decretorum dogmaticorum promulgationem obtemperare illis detrectaverint. Sic post Nicaenum Concilium Ariani; post Constantinopolitanum Macedoniani; post Ephesinum Nestoriani; post Chalcedonense Eutichiani spectati fuerunt haeretici; et sic post promulgatam jam SS. Vaticani Concilii dogmaticam constitutionem *de Ecclesia Christi* omnes illi, cujuscumque ritus et dignitatis pastores et fideles, *anathematis* poenam incurrerunt et tamquam haeretici habendi sunt, qui negant Romanum Pontificem habere plenam, supremam, ordinariam et immediatam potestatem jurisdictionis, etiam in rebus quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; id est: non solum ad disciplinam et regimen Ecclesiae universalis, quatenus *universalis*, sed etiam ad disciplinam et regimen ecclesiarum particularium, quatenus *particularium;* videlicet, prout Concilium Vaticanum definivit: *in omnes et singulas ecclesias, et in omnes et singulos pastores et fideles* [1]).

Neque ullo modo haec Concilii Vaticani definitio, uti perperam illi praetendunt, contraria est decreto fidei, quod de primatu Romani Pontificis edidit Concilium Florentinum. Etenim jura et privilegia patriarcharum, quatenus *patriarcharum*, cum sint originis et institutionis mere ecclesiasticae, de iis in decreto dogmatico FIDEI florentino non potuit fieri, nec reapse facta est mentio. In materia subjecta, Concilium Vaticanum fecit quod in similibus casibus ab aliis Conciliis oecumenicis peractum est: magis *explicite* definivit quod jam a Concilio Florentino definitum erat, eoquod hujus definitionis Florentinae perversa quorumdam interpretatio occasionem praebuerat errori.

Tandem, quoad horum rebellionem erga Sanctam Sedem, omnibus vobis notum est, dolorosam hanc rebellionem imprimis ab aversione et odio quodam personali sumpsisse exordium. Quum autem perversis quorumdam desideriis non fieret satis, legitimae auctoritatis spiritualem jurisdictionem noluerunt agnoscere. Appellaverunt deinde

[1]) Constit. dogm. de *Ecclesia Christi* Cap. 3.

ad Sanctam Sedem Apostolicam; cumque haec eorum appellatio justis de causis fuerat rejecta, ipsius Sanctae Sedis monita et decreta spreverunt, et in apertum Schisma prolapsi sunt.

Haec cum ita sint, Episcopi illi supranominati, omnesque sacerdotes quorum nomina enumerantur inferius, sibi ipsis notam haeresis inusserunt, et jam ultro recesserunt a visibili Ecclesiae Capite. Quid tandem Romano Pontifici superest nisi dicere cum propheta: *Curavimus Babylonem et non est sanata; derelinquamus eam?*[1])

His igitur de causis, invocato Sanctissimo Dei Nomine, Nos auctoritate apostolica qua in his partibus fungimur, ac *Nomine* et *de mandato speciali* Sanctissimi Domini Nostri Pii, Papae IX:

(Hic sequuntur nomina *4 Archiepiscoporum. — 18 Monachorum ex Ordine Antoniano. — 12 Monachorum ex Congregatione Veneta Mechitharistica. — 2 Presbyterorum Coll. Urb. de Pr. Fide. — 8 Presbyterorum ex Clero Seculari. — 5 Presbyterorum Congregationis in Bzomar.*)

Declaramus: Omnes et singulos Episcopos et Sacerdotes supra nominatos, aliosque omnes de clero saeculari et regulari armenici ritus, qui ad eundem coetum refractariorum pertinent, licet eorum nomina praecedenti elencho non recenseantur:

Formaliter Schismaticos et proinde a Sancta Ecclesia Romana Catholica separatos.

Insuper declaramus: Eosdem omnes et singulos Episcopos et Sacerdotes de *jure* et specialiter juxta tenorem et in virtute Constitutionis Apostolicae, quae incipit *Apostolicae Sedis*, dd. 12 octobris 1869, incurrisse:

Excommunicationem latae sententiae, specialiter reservatam Summo Pontifici.

Datum Constantinopoli, die secunda mensis Novembris anni Domini millesimi octingentesimi septuagesimi.

(L. S.) ✠

Antonius Josephus Pluym,

Archiepiscopus Thyanensis, Delegatus Apostolicus.

1) Jerem. LI. 9.

APPENDIX XIV.

De SS. Reliquiis S. Gregorii Illuminatoris Notitiae historicae.

Ab undecim retro saeculis Neapolitani, et Neritonenses cives peculiarem cultum adhibent D. Gregorio Illuminatori, quem sibi in Patronum, et Protectorem adsciverunt ob insignia miracula per sacras ejus reliquias obtenta, quae Neapoli in Ecclesia sub ejus nomine Deo dicata, et in Cathedrali Neritonensi asservantur.

Indubia documenta ostendunt[1]) jam ab VIII. saeculo Neapoli in Diaconia S. Januarii extitisse Ecclesiam in honorem S. Illuminatoris erectam, ipsique Monialium aedes adjunctas, quibus saeculo IX. Sergius Consul, et Dux plura bona, ac praedia in perpetuum attribuit. En decretum: — In nomine Domini Dei Salvatoris Nostri Jesu Christi. Imperante Domino nostro Basilio Magno Imperatore, anno quinquagesimo; sed et Constantino fratre ejus Magno Imperatore, anno quadragesimo septimo, die secundo mensis Septemb. Ind. octava, Neapoli. Nos Sergius in Dei nomine eminentissimus Consul et Dux, concessimus et tradidimus tibi, Maria, Ven. Abbatissa, filia quondam Stephani parentis nostri, idest integrum Monasterium et coenobium vocabulo Beatissimi Gregorii et Sebastiani, atque Domini et Salvatoris Nostri Jesu Christi, et Beati Pantaleonis Christi Martyris quae in unum aggregavimus et copulavimus intus Parthenope, et protecta nostrae Civitatis Neapolis in platea quae Nustriana

[1]) Videsis Ephemerides „La scienza e la fede“. Napoli 1851. Tom. XXI. pag. 221. seqq.

cum omnibus casalibus, ecclesiis et domibus, et habitationibus, seu horticis, et cum omnibus casalibus, et terris cultis et incultis, intus et foris, montibus et collibus, rivis aquis, pratis, pascuis, seu olivetis . . . . simul et cum omnibus servis ancillis et defisis intus et foris . . . . ad praedictum Monasterium, quod in unum aggregavimus et copulavimus ut superius diximus . . . in integra a nobis tibi jam dicta Maria Ven. Abbatissa, sit concessum et traditum, hoc videlicet ratione . . . . Ego Sergius Consul et Dux subscripsi." (Capac. Hist. Neap. f. 165.)

At quaenam erant hae Sanctimoniales faeminae? Neminem fugit saeculo VIII. Imperatores Bizantinos impio, atque insano furore percitos desaeviisse in cultores SS. Immaginum, eorumque sacra, destruxisse Ecclesias, ac coenobia, occidisse vel expulisse monachos et moniales, e quibus complures Constantinopoli relicta in italicas oras perfugium quaesierunt, secumferentes venerandas Icones, sacra lipsana, sanctorumque exuvias, quae adhuc magna ex parte supersunt, et Romae custodiuntur. Moniales Constantinopolitanae S. Anastasiae,[1]) quae Basilium Patrem legisferum sectabantur anno 750, sub Pontifice Zacharia I, qui pariter Graeco erat genere. Romam adventarunt, devehentes corpus S. Gregorii Nazianzeni, quod postea in Vaticana Basilica conditum fuit, et ad S. Mariae in Campo Martio, sibi sedem constituerunt.[2])

Ut jam de venerabilibus Reliquiis S. Gregorii Patris incoeptum sermonem prosequamur, dum in vivis ageret cl. Michael le Quien[3]) adhuc inter Armenos ferebatur, eas VI. saeculo, Zenone imperante, brachio et manu dextera

1) Hae Virgines a S. Thecla primitus nuncupatae, Deoque devotae Nazianzi sub Regula Basilii Magni, reliquias S. Gregorii Theologi custodiebant, sed ob temporum calamitates, ac tumultus Constantinopolim confugientes Monasterium incoluerunt prope Templum S. Anastasiae, ubi quae essent in urbe nobilitate generis illustres ad sacrum habitum admitti poscebant: idque usque ad annum 750.

2) Cronaca del Ven. Monastero di S. M. in Campo Marzo, Roma. 1850.

3) Oriens Christianus. Tom. I. Dioec. Armen. Major.

exceptis, Constantinopolim fuisse translatas. Confirmatur idem etiam a veteribus historicis nationalibus. Vardanus, scriptor saeculi XIII, diserte tradit in Chronicis suis,[1]) Zenonem Imperatorem reliquias S. Illuminatoris ex Armenia transferre voluisse, atque alibi[2]) supponit easdem jam saeculo VII. Constantinopoli requievisse. In exploratis pariter est, easdem reliquias duobus post saeculis Neapolim allatas fuisse a Monialibus[3]) Byzantinis, quod etiam docet Baronius in notis ad Martyrologium Romanum sub die 11 Junii; quo vero anno id contigerit, definite sciri non potest: videtur tamen sub Constantino V. Copronymo (741—775). nam in vita S. Stephani Junioris Abbatis, ac Martyris[4]) a Stephano Diacono auctore coaevo conscripta relatum est, eum sciscitantibus quonam perrexerint tot Monachi orthodoxi in persecutione Copronymi respondisse: „Tres apud nos (nempe in ditione graeci imperatoris) supersunt partes eorum qui cum nefaria hac haeresi communionem non habent: vobis auctor sum ut illuc accurratis;“ — et inter haec tria loca refugii memorantur — „Neapolis, et quae usque ad Romae fluvium Tiberim continentur.“

Monachus Ubaldus qui saeculo XI. scripsit Chronica Ducum neapolitanorum, in Ducem Theodorum (an. 728—759) haec narrat. „Tempore istius Ducis (Theodori) Neapolim venerunt plures monachi fugientes de civitate Constantinopolis, qui nolebant obedire mandatis Domini Imperatoris Constantini, et exportaverunt multa corpora sanctorum et fuerunt hilariter recepti et hospitati a Domino Duce: partim de illis iverunt ad Dominum Papam, et partim Neapoli remanserunt.“ [5])

[1]) Vard. Histor. ed. Ven. p. 41.

[2]) Ibidem p. 67.

[3]) Idque ex eo confirmatur quod in Monasterio neapolitano S. Gregorii etiam num extat sacellum S. Mariae vulgo ab Idria, vel Odegitriae (*Οδηγητρια*) quod est „Dux bonae viae“. titulus a Monialibus Graecis ei certe inditus, quod illuc incolumes appulissent. Praeterea Saec. XVI. in praefato Monasterio adhuc in usu erat, ut duae feminae aetate grandiores caeteris post Abbotissam praeessent, quae veteri nomine dicebantur „*Fermarare*“ *α φερμα*, ut videtur (proventus) et *ἄρω* (apto italice *adatto*). = Vide ephem. cit „La scienza e la fede“ Tom. XXI. pag. 223.

[4]) Anocd. Graec. Tom. I.

[5]) Vide Protelli, Historia principum Longobardorum. Tom. III. — Pellicia Raccolta di Cronache ... del Regno di Napoli Tom. II.

Jamvero Moniales quae Neapolim confugerant asportantes sacra lipsana consederunt in praedicta Diaconia S. Januarii, ubi prope Ecclesiam S. Gregorio dicatam primum earum Monasterium excitatum fuit, ibique manserunt usquedum anno 1572 aliud novum aedificatum fuit, quod cernitur in adversa ejusdem viae parte, ita, ut Ecclesia S. Gregorii Armeni quae nunc est, antiquiorem illam in Diaconia S. Januari positam prospiciat.

Superest videamus, quasnam S. Illuminatoris reliquias eaedem sanctimoniales Neapolim conportaverint. Totum nempe corpus, ut innui, brachio, manuque dextera demptis. Attamen impraesentiarum in Monasterio, et Ecclesia S. Gregorii sequentes tantum reliquiae inveniuntur: caput, fibulae,[1]) catenae, et fustes; quonam vero alia membra sacri corporis allata fuerint, et ubinam sint, hactenus certo asseri nequit

Affirmate dicitur corpus S. Martyris quiescere in Ecclesia S. Laurentii PP. Conventualium sub ara principe, ad cujus tergo conspicitur marmor ita inscriptum:

Aram hanc maximam
Quam Antonius de Cignis
Corrupta nomenclatura Cicinellus
Genere etc. (heic legitur elogium hujus viri satis prolixum cui sequentia junguntur)
Magnificentius instaurandam
Sculptisque marmoribus
Sacris signis affabre elaboratis
Quo sanctissimi Martyris
Gregorii Magnae Armeniae Antistitis
Quae hic sacra sunt sita corporis analecta
Honorificentius asserverentur
Suis sumptibus exornandam curavit
A. D. MDCLIII.

1) Una ex hisce et pars catenarum anno 1866 ex concessione Summi Pontificis Pii IX (quem Dens servet ad triumphum Ecclesiae) solemniter Constantinopolim translatae in Cathedrali Armeno-Catholica reposita fuerunt.

Quaenam porro sint haec sancti corporis *analecta* ignoramus: qui vero factum est, ut inibi potius quam in contigua S. Gregorii Ecclesia sita fuerint, ita liceat conjectare. In Diaconia S. Januarii ubi primum fugitivas Moniales diximus invenisse hospitium, sparsa erant templa, et oratoria Sanctorum Januarii, Laurentii, Pantaleonis, Blasii, SS. Salvatoris etc. Fieri itaque potuit ut corpus S. Martyris (excepto capite, et aliis reliquiis, quae in hodierna ejus Ecclesia honorantur) remanserit in aliquo oratorio, quod postea in praesentem S. Laurentii Ecclesiam coiverit. Neque omittendum, ignoto tempore ante Concilium Tridentinum memoratas Moniales bellorum vi coactas caput S. Gregorii penes FF. Conventuales S. Laurentii deposuisse quod vix tandem anno 1628 recuperare potuerunt.

Aliae quaedam paucae S. Martyris reliquiae inclusae in ejus protome ex argento in thesauro S. Januarii reperiuntur.

Brachium S. Illuminatoris quod in Cathedrali Noritonensi summa religione colitur, valde probabile est fuisse ex oriente allatum a Monachis graecis ex Ordine S. Basilii, qui persequentibus iconoclastis sub Pontificatu S. Pauli I. (757—767) in Italiam confugientes constiterunt Noriti, quod aliquando fuit sub eorum Abbatiali ditione.

13169